GRAMMATICA
ARAMAICA SEU SYRIACA

PHILOLOGICE EXPOSITA JUXTA UTRUMQUE SYSTEMA,

ORIENTALE SCILICET ET OCCIDENTALE,

COLLATIS ARABICA, HEBRAICA CÆTERISQUE LINGUIS SEMITICIS,

ATQUE PRÆMISSIS COPIOSISSIMIS PROLEGOMENIS DE VARIIS

QUÆSTIONIBUS LINGUAM SYRIACAM RESPICIENTIBUS

QUAM AUCTOR

C. J. DAVID

ARCHIEPISCOPUS SYRUS DAMASII

EX PRIMA SUA EDITIONE ARABICA, COLLABORANTE IN PARTE

ALOYSIO RAHMANI

ARCHIEPISCOPO SYRO ALEPENSI

LATINAM FECIT, MAGNOPERE LOCUPLETAVIT


AC APPENDICE DE PROSODIA SYRIACA AUXIT.



MAUSILI

TYPIS FRATRUM PRÆDICATORUM

M DCCC XCVI


Ex Libris
Beth Mardutho Library
The Malphono Abrohom Nuro Collection

MONITUM

Hoc qualecumque opusculum a me primo lingua Arabica compositum, Syriacæ amatoribus in Europa offerre volens latine malui scribere (quamquam hanc linguam jam inde a triginta annis cessante omnino usu dediscere cœperim), morem scilicet laudabilem sequens qui ante quinquaginta circiter annos in Europa vigebat ut libri qui lectoribus omnium nationum destinati essent, lingua Latina conscriberentur. Nemo enim non videt hunc morem majorem offerre utilitatem quam usum hodiernum doctorum Europæ ut unusquisque nativa lingua elucubrationes suas quæ ad scientias referuntur, componat. Cæterum indulgentia me benigne habeant, quæso, studiosi Europæi qui me legere dignabuntur, quod librum multas novitates portantem, nobilissima, mihi tamen extranea, lingua Latina ineleganter et forte incorrecte scriptum, illustrissimo Orientalistarum cœtui offerre ausus sim.

Cum autem multi sint soni linguæ Syriacæ ceterarumque linguarum Semiticarum quibus sermo Latinus caret, cumque linguam Latinam (incredibile dictu et valde dolendum!) non uno hodie modo legant populi Europæi, sed tot sint rationes litteras Romanas pronunciandi quot sunt populi, imo tot fere sint systemata sonos extraneos per elementa Latina figurandi quot sunt scriptores (qui ceteroquin, et hoc etiam inter populorum Europæorum singularitates recensendum est, negligunt ut plurimum lectorem instruere de ratione legendi systematis a se adoptati), cumque denique id quod litteratorum ac eruditorum duces

sæpe animo conceperunt, adhuc ad effectum nescierint perducere, ut scilicet unicum systema instituatur universale et definitum ab omnibusque auctoribus qui scriptura Romana utuntur, observandum, quod omnes soni linguarum mundi per certas, expeditas ac uniformes figuras exprimantur, mihi visum est necessarium declarare qualem rationem in hoc opere secutus sim in transcribendis per litteras Latinas sonis Syriacis seu in genere Semiticis, ut possit lector eos recte pronunciare, aut saltem tentare, aut ad minimum ab invicem approximative distinguere.

Valor Vocalium

Omnis vocalis quæ signo caret, semper brevis est si eam una tantum consonans sequitur, quemadmodum *a* et *e* proferuntur ab Italis in *chiamero*. Si duæ consonantes sequuntur vocalem in eadem voce, ea pronunciatur clausa ut efferuntur tres primæ vocales ab Italis in *mercanteggiare*.

_̀ Hoc signum significat vocalem producendam esse; ex. gr. *àcòre*, pronuncia quasi *aacoore*.

A Pronunciatur semper ut apud Italos et Gallos.

E Item. Nunquam est muta ut apud Gallos.

Ǝ inversum pronunciatur inter *e* et *i* Gallorum, fere ut Angli pronunciant *e* in *carpet, former*, estque semper clausum.— Simile habetur cum duo *e muta* ut dicunt in eadem voce se invicem sequuntur, ex. gr. *chevelure*.

I Sonat ut apud Italos et Gallos. Nunquam est consonans nisi in diphthongo.

J Nunquam est vocalis sed semper consonans ut videbitur infra.

O Sonat ut apud Italos et Gallos.

U Pronunciatur ut apud Italos et Germanos. Nun-

quam consonans est nisi in diphthongis AU et EU ut videbis infra. Nunquam sonat ut *u* Gallicum.

W Non est unquam vocalis sed semper consonans ut videbis infra.

AU Sonat ut in *aula* Italorum, *haus* Germanorum.

AI Sonat ut in *bailo* Italorum, *kaiser* Germanorum.

EU Sonat ut in *euro* Italorum, *leute* Germanorum.

Valor Consonantium

1 NOTA. Litteræ, quæ hic non nominantur, sonant prorsus ut apud Italos, Gallos, etc.

2 NOTA. Nulla littera mutat sonum aut silet propter adjacentem litteram. Igitur ex. gr. *agnus*, *atho*, *etjam*, *naso* leguntur *ag-nus*, *at-ho*, *et-jam*, *na-so*.

ʼ = Spiritus tenuis respondens *hamzæ* Arabum sonumque dans gutturalem levissimum.

ʻ = ع Arabum. Est fortissima gutturalis procedens ex eodem organo ex quo exit sonus *hamzæ* de qua mox.

C = ك Arabicum, sonat semper ut *k*.

C^{i} = Sonat ut *ch* Anglicum in *champ*, ut c Italicum in *cera*.

D^{h} = ذ Ar., *th* Angl. in *that*, DELTA Græcorum.

D^{hh} = ض Ar. Sonus proprius Arabibus. Est D^{h} exaggeratum seu emphaticum. Lingua Keltica videtur simillimum sonum habere, saltem in dialecto Hibernica. (Irlandica).

G = ج Ægyptiorum. Sonat semper ut *g* durum in *guttur*.

G^{h} = غ, GAMMA Græcorum. Sonat ut *r* provinciale Gallorum quod dicitur *r grasseyé*.

G^{i} = ج Syriæ, *g* Italorum in *giro*, *j* Anglorum.

H = ه , *h* Anglorum et Germanorum.

H^h = ح Hic sonus ignotus est in Europa. Est *h* fortissime aspiratum.

J = ي consonans, *y* Angl. in *yard*, Gallorum in *yacht*, Germanorum in *ja*, Ital. in *jeri* .

K^h = خ Arabum, *ch* Germ. ex. gr. *kochen, lachen*, *j* Hispan., CHI Græc., sed magis aspiratum.

Q = ق , difficillima Europæis consonans gutturalis, seu potius palato-gutturalis.

S = س , semper durum habet sonum, nunquam sonat ut *z* Gall. etiamsi inter duas vocales veniat, ut *rosa*, lege *roça*.

S^h = ش , *sh* Angl., *ch* Gall., *sch* Germ., *sce* Ital. in *scelta*.

S' = ص , sonus Europæis incognitus. Est S exaggeratum, seu emphaticum.

T^h = ث , *th* Angl. in *thick*, THETA Græc., *c* Hisp. in *cera* .

T' = ط , est T exaggeratum seu emphaticum.

T^{hh} = ظ , sonus Arabibus proprius. Est T^h exaggeratum.

W = و consonans, sonat ut *w* in *wake* Angl., ut *u* in *uopo* Ital.

Z = ز , est semper dulce ut apud Gallos.

Z^h = sonat ut *j* Gallicum in *jour, gibier*.



LIBER II

DE VOCABULORUM FORMATIONE

LIBER III

DE NOMINE

LIBER IV

DE PRONOMINIBUS

LIBER V

DE VERBO

LIBER VI

DE PARTICULIS

LIBER VII


DE VARIIS QUÆSTIONIBUS AD CONSONANTES AC VOCALES PERTINENTIBUS

LIBER VIII

DE SYNTAXI

APPENDIX

DE ARTE POETICA APUD SYROS



PROLEGOMENA

DE LINGUÆ SYRIACÆ NOMINE, NATURA, DOTIBUS, HISTORIA, DIALECTIS, ALPHABETIS, LITTERATURA, CUM CETERIS LINGUIS COMMERCIO, ALIISQUE.



CAPUT I

DE LINGUÆ SYRIACÆ DEFINITIONE. NOMINE ET PRÆSTANTIA.

Syriaca lingua olim erat vernacula antiquissimæ nobilissimæ atque populosissimæ gentis quæ amplam Asiæ Occidentalis partem incolebat, Syriam, inquam, Mesopotamiam, Assyriam atque Babiloniam cum vastissimis finitimis regionibus; qui quidem amplissimus Asiæ tractus fere omnis ab Hebræis *Aram* nuncupabatur, propterea quod ab Aram filio Sem ejusque progenie occupatus ac cultus fuerit; istoque Aram nomine in veteri Testamento quod hebraice primo scriptum est, præfatæ regiones fere omnes nuncupantur. Ea de causa Syriaca (1) lingua nonnisi *Aramaica* in veteri Testamento vocatur (2); ipsique Syri suam linguam sæpissime hoc nomine usque ad hunc diem distinguunt in suis scriptis.

Quoad alteram vero hujus linguæ denominationem, *Syriacæ* nempe, nonnulli inter Europæos opinati sunt illam a Græcis invectam Aramæisque appositam fuisse, indeque apud ipsam Syram gentem ceterosque populos

(1) Cum in hoc etiam populi Europæi inter se dissentiant, in scribenda scilicet littera majuscula nominum initio, nos in toto hoc opere adoptamus regulam Anglorum quam magis rationalem videmus; nominum igitur propriorum nec non et adjectivorum ab eis derivatorum initium semper littera majuscula scribimus.

(2) Vid. II Reg. 18, 26; Isai. 36. 11; Dan. 2, 4; Esd. 4, 7.

prævaluisse ad hanc diem(1). Quod merum est assertum, veritati dissentaneum, tum quia nullo argumento probari potest, tum quia in contrarium habemus quod varii populi qui adhuc lingua Syriaca, quamquam plus minus corrupta, communiter loquuntur, qui scilicet alii in regionibus Assyriæ atque Curdistani, alii in media Mesopotamia, alii denique in Syria prope Damasium, ex antiquissimis Syris adhuc supersunt, isti, inquam, populi linguam qua utuntur quanquam variam, omnes *Syriacam* vocant, cum alii quidem, scilicet incolæ Assyriæ, linguam suam ܣܘܪܬ *sûrât*^{h}, suumque gentilem ܣܘܪܝܐ *sûrâja* appellent; alii, nempe Mesopotamii, suam linguam ܣܘܪܝܬ *sûrjat* vocent; alii denique, videlicet Syriam incolentes, se loqui ܣܘܪܝܢ *sûrion* dicant; neque earum gentium ulla aliud nomen cognoscit. Jam vero cui credi potest tantam nationem integram, in tam remotas regiones dispersam, relicto sui generis suique sermonis genuino nomine, aliud illudque peregrinum advexisse, præsertim si ea natio talis esset quales sunt hodie gentes Syriæ de quibus sermo est, parum aut nihilum cultæ, rusticæ ac agriculturæ deditæ, nullumque commercium cum aliis populis habentes.

(1) Qui hujusmodi opinionem sustinuerunt sunt docti in Europa qui studiis Hebraicis vacant; quorum maximum argumentum est quod nusquam vocabulum *Syri* in veteri Testamento occurat, quasi vetus Testamentum nomina omnium populorum et gentium deberet continere. Nonne Curdorum atque Turcarum nomina, ex. gr., in s. Scriptura desunt? Quis inde concluderet hæc nomina in propriis linguis non existere? Prædicti eruditi in eo etiam errant, quod dialectos Aramaicas a Syriaca lingua distinguant, quasi Aramaica lingua sit genus et Syriaca species, illam scilicet quam nomine *litteralis* distinximus; hæc autem Europæorum doctorum distinctio nullo nititur fundamento, nam ut in textu expositum est, unaquæque gens ex iis quas dicti eruditi Aramaicas nuncupant, seipsam *Syram* vocat. Imo si aliquis debet fieri ordo inter hæc duo nomina, nomen *Syrorum* magis genericum est; nam omnes populi qui lingua Syriaca loquuntur, a finibus Persidis usque ad Libanum, *Syros* se vocant; nomen autem *Aramæorum*, stricte loquendo, non convenit Syris orientalibus, cum ii non ab *Aram* descenderint sed ab As^{h}s^{h}*ur* ejus fratre. (Vid. Gen. 10, 11 et 22).

multo minus cum Græcis a se terra marique longe dissitis? Certum est igitur Græcos, cum nationi Aramaicæ nomen *Syrorum* dederunt, hoc nomen non suo marte effinxisse, sed ab ore ipsorum Syrorum audivisse, habito cum iis frequentissimo vastissimoque commercio. Quandonam autem nomen Syrorum ab Aramæis assumptum sit, qua ratione, ubi primo; cur hoc nomen nunquam in veteri Testamento memoratum inveniatur; utrum ex duobus nominibus vetustius sit, an *Aramæum* vel *Syrum*; cur in vernaculis dialectis Syrorum populorum ad hunc diem superstitum nullum existat vestigium nominis *Aramæi*; cur etiam nominis *Aramæi* nulla apud exteros scriptores scilicet Græcos et Romanos, vel fere nulla inveniatur mentio, fatemur omnes istiusmodi quæstiones, considerato scientiæ actuali statu, insolubiles omnino esse, quidquid de illis aliqui in Europa eruditi tentaverint dicere.

De nomine autem *Aramæo* quo Syri noscuntur, non est dubitandum illud genuinum ac nationale esse. Non licet enim cogitare istud nomen Syris ignotum fuisse ipsosque a Codice sacro Hebraico illud didicisse. Nam etiamsi detur, quod tamen incertum est, interpretem Syrum V. Testamenti ideo Syris Syriacoque sermoni nomen *Aram* dedisse quod illud in textu Hebraico legerit, hoc tamen verum esse nequit quoad Novum Testamentum: interpres enim Syrus librorum N. Testamenti, ubicumque vidit nomen *Græci* sensu *ethnici* seu *non Judæi* usurpatum, illud per vocem ܐܪܡܝܐ *armâja* id est *Aramæus* reddidit.– (Conf. Rom. 1, 16; 10, 12; 1 Cor. 1, 22 et 24; Galat. 3, 28). Item in Luc. 4, 27; ubi textus Græcus vocat Naaman *Syrum* (græc. SYROS) interpres Syrus eum ܐܪܡܝܐ (*Aramæum*) nuncupavit. Ex quo evidenter liquet

nomen Aramæi notissimum atque vulgare fuisse ipsis Syris, seposito veteri Testamento ac Hebraica lingua, ita ut antiqui Christiani illud ad denotandum hominem ethnicum seu non Hebræum constituerint, ad imitationem Græcorum qui non Hebræos per *Græcos* designabant in Christiana Ecclesia, vel potius Græci Syros imitati sunt, quia primi Christiani Aramæi erant. Etiam apud Hebræos Rabbinos nomen *Aramæi* est synonymum non Judæi seu *ethnici*. Neque desunt hujus nominis *Aram* vestigia in antiquis monumentis aliorum populorum præter Hebræos. Huc enim referendum est nomen *Arimorum* quod apud Homerum (*Il.* 11, 783) et Hesiodum (Theog. 304) legitur. — (Conf. Strab. Geogr. l. XI pag. 473 et l. XVI p. 464.)

Ceterum quanquam certum est nomen *Syrorum* non a Græcis inventum esse, sed primitivum huic nationi ac genuinum esse ut vidimus, attamen inficiandum non est nomen *Syriæ* Græcæ originis esse ut patet ex ejus grammaticali forma, ab ipsisque Græcis ad Syros transiisse, qui ex illo tempore huic regioni in suis scriptis nomen ܣܘܪܝܐ dant. Notandum tamen est hoc Syriæ nomen nunquam ab Arabibus genuinis adhibitum fuisse etiam postquam hanc regionem occupaverunt. Neque mirum est Syriam apud ipsos Syros nullum proprium nomen habuisse ita ut nomen *Syriæ* a Græcis huic regioni imponi necesse fuerit: nam et Arabes ipsi nullum proprium nomen regionis quam incolunt unquam habuerunt, ita ut Græci debuerint ex *Arabum* nomine vocabulum *Arabiæ* formare, quod nomen a Syris assumptum est modo, ut ita dicam, stupido, cum dixerint pure et simpliciter ܐܪܒܝܐ, nulla habita ratione litteræ *àin* quam Græci nomini ideo non apposuerunt quia hanc articulationem

non habent neque eam efferre possunt, quamque Syri ignorare nequeunt cum nomen Arabum apud ipsos ܥܪ̈ܒܝܐ hanc litteram luculenter habeat. Sicut igitur nomen *Arabiæ* a Græcis invectum nullum est argumentum nomen Arabum Græcæ esse originis, ita nomen Græcum *Syriæ* nullo modo probat nomen *Syrorum* Græcæ esse originis. Denique observandum est non eam tantum regionem quæ a Græcis *Syria* dicta est, a Syriaca natione inhabitatam fuisse: haud mirum est igitur regiones quas Syri incolebant, non uno nomine ab ipsis fuisse designatas. (1)

Porro hæc lingua Syriaca seu Aramaica una est ex illis linguis quas *Semiticas* eruditi nuncupant, utpote

(1) Doctus Smith auctor lexici Syriaci et Latini in explicanda voce Aramæus, ait ܐܪ̈ܡܝܐ et ܐܪ̈ܡܝܐ antique ambo *Syrum* significasse, et revera idem esse vocabulum: quod enim Occidentales ܐܪ̈ܡܝܐ pronuntiabant, id Chaldaeos ܐܪ̈ܡܝܐ vocasse. Quum autem Christiani facti sint, sese ܣܘܪ̈ܝܝܐ appellasse, utpote qui moribus, cultu, deis mutatis, etiam nomen antiquum abhorrebant; hoc modo nomen ܐܪ̈ܡܝܐ penitus abolitum esse, sed cultu Sabaeo apud Harranenses perdurante, sese adhuc ܐܪ̈ܡܝܐ appellasse; unde hoc vocabulo alias *Harranensis, Sabæus, Nabatæus* alias ethnicus, paganus significatur. —

Deinde citat *Renan* ubi ait: Denique nomen *Aram* mutatum est temporibus « regum Seleucidarum in Oriente in nomen *Syriæ* quæ vox nihil aliud est nisi « abbreviatio vocis *Assuria* (*Athur* aut *Athuria* juxta Græcam pronunciationem) « estque generale nomen quod apud Græcos comprehendebat totam Asiam inte« riorem. At vero nomen *Aram* non est penitus amissum in Oriente sed adhæsit « Aramæis qui christianam religionem non sunt amplexi, uti sunt Nabathæi et habi« tantes urbis Harran, quapropter vox *Aramaia* evasit apud eruditos linguæ Sy« riacæ synonimum vocis Sabaei vel ethnici. » Ex hisce concluditur quod universa gens Syriaca per orientem et occidentem ante Christum vocabatur a suis *Aramaea* aut *Athuria* prout vocatur semper in sacris scripturis et quod nomen Syriæ non erat nisi abbreviatio *Athuriæ* facta per Græcos qui crebri erant in regionibus Aramaicis post Magnum Alexandrum, mutato *Th* in *S* ob facilitationem pronunciationis. Deinde quando Aramaei Christianam amplexi sunt religionem, antiquum nomen neglexere adhibueruntque nomen Syrorum ut discrimen inter se et ethnicos poneretur. Non ergo nomen *Syri* ad gentem sed ad religionem designandam et usque in hanc diem antiquorum Aramaeorum qui nunc extant nepotes in Athur, Adorbejan et monte Abdin adhibent vocem ܣܘܪ̈ܝܝܐ *Syri* (quam lingua eorum vulgari dicunt ܣܘܪ̈ܝܐ uno solo ܝ sicut *Athuraia*) non ad denotandam gentem sed religionem: est enim haec vox apud eos idem ac ܡܫܝ̈ܚܝܐ Christianus. — (*Adnotatio revisoris.*

quibus soboles Sem filii Noe utuntur (1). Principales vero linguæ Semiticæ sunt Arabica, Hebraica, Phœnicia, Aramaica, Æthiopica(2), cum variis earum dialectis. Sunt inter doctos qui linguam Ægyptiacam cum linguis Semiticis adnumerant. Propterea autem Arabicam linguam ante ceteras nominavimus quia hæc lingua, fatentibus omnibus melioris notæ criticis, est omnium linguarum Semiticarum nobilissima quatenus lingua locupletissima, ejusque cognitio necessaria est omnibus qui perfectioribus ceterarum dialectorum Semiticarum, præsertim Syriacæ, studiis vacare volunt.

Si linguam hanc specialiter cum Hebraica conferimus, videmus Syriacam linguam longe superiorem esse Hebraicæ quamquam hæc multis abhinc seculis famam celebritatis præ ceteris linguis Orientalibus in Europa propter V. Testamentum adepta sit. Etenim lingua Syriaca ita priscis temporibus diffusa ac apud plurimos populos Syris vicinos dominata est, ut variæ locutiones et formæ grammaticales ex lingua Syriaca in ipsam Hebraicam transierint, teste veteri Testamento hoc idiomate conscripto, necnon et in linguam Phœniciam, ut testantur ejus antiquissimæ inscriptiones, in Persicam antiquam, *Pehlevi* dictam, aliasque.

Jamvero Syriaca lingua quibusdam prædita est proprietatibus quæ eam a ceteris Semiticis linguis distinguunt. Inter quas sequentia memorare lubet:

I. Quod nomina substantiva nullum habent articulum determinativum in lingua Syriaca.

(1) De hujus denominationis exactitudine quæstionem nolumus hic tangere, utpote quæ extra nostræ disquisitionis sphæram sita est.

(2) Æthiopes in veteri Testamento Cus*h*itæ appellantur, atque ad stirpis H*h*am seu Cham fratris Sem referuntur; sed hoc non impedit quominus hujus populi linguam semiticam appellemus sicut ceteras quas enumeravimus. Idem dicatur de Phœniciis.

II. Quod lingua Syriaca peculiarem habet particulam ad significandum regimen genitivi, videlicet præpositionem DE quæ nomini præfigitur.

III. Quod *mim* pluralitatis in pronominibus (1) personalibus in *nun* convertitur.

IV. Quod dualis omnino a lingua Syriaca perditus est, nullo relicto vestigio præter duas aut tres voces.

V. Quod vocales breves regulariter expunguntur.

VI. Quod nomen singulare, item et plurale habens signum feminini, in *a* semper exeunt (2) nisi aliquid illis adhæreat.

VII. Quod *nun* in quibusdam vocabulis primitivis in *res*[h] mutatur.

VIII. Quod Syriaca lingua quamdam habet verbalem formam quæ a ceteris linguis Semiticis perdita est, videlicet formam *saf‘el* et *s*[h]*af‘el*.

IX. Quod nomina composita in lingua Syriaca abundant præ ceteris linguis Semiticis.

X. Denique quod vocabula usu communiora solent modificationem subire per litterarum vel vocalium elisionem, mutationem, substitutionem, etc.

Non est nostra opinio Aramaicam linguam omnium linguarum Semiticarum esse philologice antiquissimam ut nonnulli asseruerunt, multoque minus eam omnes mundi linguas antiquitate superare ut alii sine ullo fundamento aut ratione contenderunt, sed cum doctis viris critice insignibus fatemur inter omnes Semiticas linguas Arabicam esse quæ ad omnium linguarum Semiticarum matrem

(1) Substitutio *nun* pro *mim* in nominibus non est propria linguæ Syriacæ: eam enim habet et lingua Arabica quæ est, ut ita dicam, archetipum omnium linguarum Semiticarum.

(2) Etiam nomen plurale non exiens in *tau* habebat antiquitus istud *a* emphaticum finale, ut ܓܒ̈ܪܐ *viri*: quod et hodie etiam in multis nominibus extat.

magis accedat vel si mavis quæ eas omnes antiquitate philologica superet. Attamen nullus est locus dubitandi quin lingua Syriaca summa antiquitate prædita sit cujus initium assignari nequit. (1) Certe dolendum summopere est quod vicissitudines temporum nullum nobis reliquerint nationale documentum de vetustissimis Aramæis qui celebritatem attigerunt maximam, præsertim in imperiis Babylonis et Ninives, de quibus historia antiqua testatur ad quantum culturæ, expolitionis et potentiæ gradum pervenerint, quæque omnium mundi civitatum sunt antiquissimæ. Attamen præter prædicta historica monumenta, præstantius firmiusque habemus testimonium de linguæ Aramaicæ antiquitate ex lapideis monumentis quæ in antiquis Ninives et Babyloniæ sitibus alibique inde a præteriti seculi initio detegi cœperunt, quæque scripta sunt antiquissimo Aramæorum alphabeto quod *Cuneiforme* appellatur eo quod ejus elementa figuris cuneis similibus constent. Hujusmodi vero inscriptionum Chaldaicarum sermonem Aramaicum esse, omnes fere investigatores statuunt, idque ratio ipsa peremptorie suadet, cum vernacula lingua illorum florentissimorum olim imperiorum Syriaca seu Aramaica semper fuerit ut versus finem capitis secundi demonstravimus. Quidquid sit, Biblia sacra nobis solemniter testantur maximam linguæ Aramaicæ antiquitatem, cum referunt (Gen. XXXI. 47) Labanum,

(1) Si ex latere generationis linguam Syriacam spectamus, ea omnium linguarum Semiticarum antiquissima est sine contestatione ut mox videbimus. Etenim genus Syrum est genus *Aram* qui unica tantum generatione a *Sem* distat. Hebraica vero et Arabica ceteræque gentes Semiticæ pluribus generationibus ab ipso *Sem* distant. At si linguam Syriacam quoad primitivam *Sem* linguam consideramus, fatendum est linguam Arabicam ea antiquiorem esse utpote quæ multo magis quam Syriaca primitivas linguæ Sem formas locutionesque conservaverit. Non est hic locus argumenta majoris linguæ Arabicæ vetustatis philologicæ exponere quæ a nobis jam satis exposita sunt in prolegomenis quæ nostræ grammaticæ Arabicæ, arabice conscriptae, praemisimus.

quem sacer Codex expresse *Aramæum* nuncupat videlicet *Syrum*, quique Jacobi patriarchæ avunculus erat, quum fœdus cum Jacobo pepigit, seculo ante Christum XVIII°, Aramaice seu Syriace locutum esse ac dixisse ܝܓܪ ܣܗܕܘܬܐ *cumulus testimonii* (1), quæ verba, in prædicto sacri Codicis loco litteraliter citata, primum linguæ Syriacæ quod ad nos pervenerit documentum cum plena certitudine historica constituunt. Alia linguæ Syriacæ plura documenta post fere mille centum quadraginta annos scripta, ad nos pervenere in libris quos hac lingua versus sextum seculum ante Chr. scripsit Daniel propheta Hebræus, qui hanc linguam Babylone didicerat ubi erat cum captivis quos ex Judæa Nabuchodonosor rex duxerat; hujus enim scriptoris prophetia magna ex parte syriace seu aramaice conscripta est.

Lingua Syriaca seu potius stirps Syrorum ita communicabilis est, ut ajunt, ut ab antiquis temporibus in longinquas regiones eam diffusam videamus. Refert historia colonias Syras in Græcia, in Asia Minori, in Africa, in Indiis, in Turkistan aliisque dissitis regionibus ab antiquis temporibus constitutas fuisse; ideo monumenta Syriaca in multis longinquis terris inventa sunt et quotidie inveniuntur. Inter celebriores colonias Syras memoranda est colonia in Ægypto constituta ab antiquis temporibus et quæ multa monumenta reliquit in inscriptionibus lapideis atque papyris exaratis.

Imo natio Syra ita semper in Ægypto præponderans fuit, ut post Christianismi introductionem, in Ecclesia

(1) Hallucinantur qui asserunt hoc tam remoto tempore impossibile esse ut lingua Aramaica istiusmodi formam jam adipisceretur. Nam sexcenti circiter anni jam præterierant ex quo filii Noe in mundum dispersi erant, Aramque a suis fratribus se separaverat. Sexcenti autem anni sufficiunt ut lingua seu potius dialectus efformetur.

Ægyptiaca quæ Coptica dicitur, Syrorum vestigia passim occurrant, inter quæ imprimis memorandum est celebre monasterium Scetense Sanctæ Mariæ in quo pretiosissima æque ac antiquissima Syriacorum codicum manuscriptorum ingens copia, imo magnus thesaurus cui par in universo mundo non erat, a seculis reconditus erat usque ad prima nostri seculi lustra in quibus hic thesaurus in Europam scientiarum et omnis generis culturæ amantissimam et fautricem advectus est. Imo Syriaca lingua et ritus Syriacus, ut fertur, nonnunquam in liturgia ecclesiastica apud Coptos adhibetur, quod Tyri nunquam fecerunt quoad Ægyptios, quamquam Alexandrinus patriarchatus cui Ecclesia Ægyptiaca subjecta est, superior sit hierarchice patriarchatui Antiocheno Syrorum. Notum est etiam Syros Orientales litteraturam Syriacam ad longinquas Asiæ Centralis regiones advexisse et potissimum ad Indiarum plagam maritimam quæ dicitur Malabar, ubi ecclesiam populosissimam multis centenis millium constantem inde a primis Nestorianismi seculis fundaverunt, quæ adhuc exstat at non amplius Nestoriana, sed partim ecclesiæ Romanæ unita, partim sectæ Jacobitarum Antiochenæ addicta .

Sufficit autem Syriacæ genti gloriæ titulus quod ea ab Aramo descenderit qui est Shemi filii Noe immediatus filius, quodque ab ea vel saltem ab ejus terra ipsum Hebraicum genus originem duxerit; notum enim est Hebraicam gentem in veteris Testamenti historia celeberrimam,ab Abrahamo patriarcha emanasse,qui Abrahamus patria Syrus seu Aramæus erat. (V.Gen.XI. 31,et XII.)

Ita vero Aramaismi ratio populo Hebræo vel ex antiquissimis temporibus adhæsit, ut omnis homo Hebræus potuerit cum veritate dicere , teste sancta Scriptura,

(Deut. XXVI, 5): *Pater meus erat Aramæus errans*, intendens Jacobum Abrahami nepotem ex quo Hebræi nomen Israelitarum adepti sunt, quique totam fere vitam in Aram seu Syria egit.

Item in libro Judit. V, 6 natio Hebræa dicitur de stirpe Chaldæorum esse, Chaldæi autem ex Aram progenie erant vel saltem Aramæorum terras coluerunt. Sin autem altius ascendimus, videmus *Haber* ex quo Hebræi originem duxere, quatuor generationibus a Noe distare, cum Aram Syrorum pater duabus tantum generationibus ab eodem Noe distet. Sin autem alterum generis Syri patrem consideramus nempe *As^{h}s^{h}ur* ex quo Syri Orientales descenderunt qui speciali nomine dicuntur Assyrii, Babylonii et Chaldæi, videmus et eum esse immediatum S^{h}em filium (Gen. X, 22). Jure igitur meritoque Syri, ex omnium Semitarum familiis quæ hodie noscuntur, gloriari possunt quod elementum Semiticum eminentissimo gradu præ se ferant. Loquimur de ethnologia tantum, non de linguistica ut dicitur in scholis.

Præter antiquitatem atque in longinquas regiones diffusionem, aliis honoris ac præstantiæ titulis excellit Syriaca lingua. Liceat quædam attingere.

I. Hac lingua pars Scripturæ sacræ a Deo inspirata est, etenim maxima pars Danielis prophetiæ, partes librorum Esdræ atque Nehemiæ necnon alia veteris Testamenti lingua Syriaca ab origine exarata sunt; probabilius est quoque Matthæi evangelium aliosque Novi Testamenti libros eadem lingua primitus conscriptos esse.

II. Præterea Dominus Noster Jesus Christus, ejus beatissima mater Maria Virgo, atque ejusdem sancti Apostoli hac lingua locuti sunt cum notum sit Hebræos Christi tempore haud amplius Hebraico sermone patrum

suorum proprio usos esse sed Syriaca lingua(1). Ipsi enim Hebræorum litterati qui Rabbini dicuntur, a tempore quo Judæi ex captivitate Babylonica reversi sunt, eorum linguam vernaculam Aramæam seu Syriacam nuncupant, et aliquando Assyriacam. Quodsi hæc lingua a Judæis illo tempore adhibita Hebraica dicitur in novo Testamento alibique, id factum est non quod ea reapse Hebraica esset sed quia ea ab Hebræis usitata erat, quemadmodum si quis linguam Arabicam Ægyptiacam appellaret, non id faceret quod ea revera Ægyptiaca sit, sed quia ab Ægyptiis adhibetur. Hac igitur dialecto locuta est sanctissima Virgo, Jesus Christus ejusque Apostoli, utpote quæ erat vernacula patriæ et nationis. Hanc linguam Judæi filii Israelis inde a seculo VI° ante Christum quo eam Babylone didicerunt, usque ad hunc diem in toto terrarum orbe in quo per myriades dispersi sunt, religioso cultu prosequuntur, eaque suos liberos non secus ac Hebraica lingua in scholis instruunt; imo Syriaca lingua Judæos usque ad sepulcrum, ut ita dicam, comitatur, mortuorum enim Judeorum epitaphia fere semper Aramaicas locutiones ferunt.

III. Tertia linguæ Syriacæ prærogativa est quod ea sit una ex paucissimis linguis quæ ab Ecclesia Christi in honore tenentur propterea quod sint linguæ rituales seu liturgicæ. Etenim Syriaca lingua ea fuit qua Ecclesia usa est primo in sacrificii divini liturgia ceterisque cultus ritibus antequam Græca lingua ad hoc modo celebriori adhibita fuerit; nam prima Ecclesia quam Apostoli post Christi ascensum instituerunt, in civitate Hierosolyma fuit, quod evidens est et nullum patitur dubium. Jamvero communis Hierosolymæ lingua, eo tempore.

(1) Vide hujus veritatis demonstrationem ad calcem præsentis capituli.

Syriaca erat ut diximus, quamquam paululum a nostra differens (1). Et usque ad hanc diem sermo Syriacus est lingua liturgica maximæ partis Christianorum Orientis, scilicet primo eorum qui Chaldæi dicuntur suntque Nestoriani sive origine sive facto (videlicet sunt Catholici, Nestoriani vel Jacobitæ) in Mesopotamia, in Babylonica quæ hodie Irak عراق dicitur, in Assyria, in Curdistan et in Malabaria, Indica regione; secundo eorum qui idiomate ecclesiastico Syri simpliciter nuncupantur, scilicet Jacobitarum vel origine vel facto (qui nempe sunt Catholici vel Monophysitæ in dictis provinciis, in Syria et alibi); tertio eorum qui Maronitarum nomine noscuntur, suntque in Syria et præsertim in Phœnicia.

IV. Quarta prærogativa est quod Syriaca lingua est ea qua, cum Græca et Latina linguis et post eas, sanctorum Patrum Doctorumque Ecclesiæ scripta composita sunt; etenim omnes Ecclesiæ Doctores, quocumque tempore et loco fuerint, nonnisi una harum trium linguarum libros ecclesiasticos scripsere, scilicet Græca, Latina vel Syriaca. Non loquimur de libris mere liturgicis qui aliis etiam linguis conscripti sunt.

V. Præterea præstat lingua Syriaca eo quod eximia ac copiosissima opera in ea composita sunt de omni scientiarum ac litterarum genere, quæ litteratis et eruditis viris maxime cordi sunt, præsertim ad historiam, theologiam ac sacræ Scripturæ scientiam pertinentia; Syrorum enim docti de omni litterarum genere libros scripsere, maximeque benemeriti sunt quod vetera atque pretiosa Græcorum opera in Syriacum sermonem transtulerint, quorum non minima pars in textu originali perdita, in versione Syriaca conservata est. Eo vero tempore quo Arabes

(1) Hoc certissimis argumentis in fine hujus capituli probaturi sumus.

colendis scientiis imperii Abbasidarum initio incumbere voluerunt, Syri summopere eos adjuverunt, scripta Græcorum et Syrorum e Græca et Syriaca linguis pro illis transferentes, primosque magistros se illis præbentes.

Hactenus de temporibus quæ ortum religionis Christianæ secuta sunt. Quod attinet autem ad tempora quæ Christianismum præcesserunt, omnis historiæ peritus scit prima mundi imperia apud Syros constituta fuisse, scilicet Ninive et Babylone, Syrosque Orientales, præsertim Chaldæos id est Babylonenses primo omnium populorum litteras ac liberales artes coluisse, præsertim astronomiam et mathematicas, insignem quoque artem scribendi invenisse ut videbimus, ceterosque populos et præcipue Græcos ab eis didicisse.

His aliisque dotibus prædita est ac excellit Aramaica lingua. Propterea eminentes doctrina et merito viri in Europa hanc linguam magni faciunt et æstimant, omnique diligentia et cupidine ejus monumenta perquirunt, ingentes expensas profundentes, eaque vehementi studio et ardore investigant ut ex iis pretiosas litterarum gemmas eruant. In quo negotio innumerabilia pene scripta sunt volumina in omnibus fere Europæ linguis, præsertim Latina (in qua de litteratura Syriaca infinita, ut ita dicam, composita sunt opera), Germanica, Gallica et Anglica. Imo in omnibus fere Europæ publicis gymnasiis Syriaca lingua post Græcam et Hebraicam docetur.

Antequam capitulum hoc concludamus, operæ pretium existimamus quæstionem de lingua Syriaca quæ vernacula erat in Palæstina inde a seculo VI ante Christum fusius tractare. Igitur eminens Orientalista Renan doctissimus vir sed novitatum amator, in *Hist. des Lang.*

Sémit. (pag. 144 5[e] edit. et sequentibus) negat in captivitate Babylonica Judæos didicisse linguam Aramaicam, negat etiam aut saltem dubitat linguam Aramaicam Biblicam esse eamdem ac linguam Babylonicam. Sed facillime hic auctor erroris convincitur. Nam omisso argumento ex rei natura sumpto, et alio ex facto notissimo quod scilicet illico post prædictam captivitatem scriptores Judæi Aramaice scribere cœperint (Daniel, Esdras, etc.), nullus unquam ante illam; omisso etiam testimonio doctorum Judæorum qui hoc idioma in scriptis adhibebant et quorum plerique in Babylonia ipsa floruerunt; satis sit unum argumentum producere desumptum ex similitudine et fere identitate (condonetur barbarum vocabulum) dialecti Aramaicæ Biblicæ cum dialecto quæ certe noscitur in Babylonica regione viguisse. Hæc dialectus est lingua sectæ famosissimæ dictæ Mandaitarum, quæ adhuc exstat in regione Babylonica, cujusque linguam Babylonicam fuisse ipse Renan concedit (pag. 254 et alibi). Atqui mirum in modum cum hac Mandaica dialecto similitudinem præsefert Chaldaismus, id est lingua Aramaica Biblica, contra ceteras dialectos Aramaicas et præsertim illam classicam quam litteralem nuncupare convenimus. Id autem patet ex collatione tum grammaticali, tum lexicographica. Quoad primum, id est similitudinem grammaticalem dialecti Mandaiticæ cum Chald. Bibl. vide *Nöldeke (Mandaïsche Grammatik)* ubi plures formæ, flexiones, constructiones occurrunt communes cum Chaldaismo Biblico contra dialectum litteralem. Unum punctum tantum excipiendum est, mutatio *jod*[h] præformativi 3[e] pers. aoristi verborum in *nun*, in quo solo puncto dialectus Mandaitica, res miranda! cum Syr. litt. convenit contra omnes ceteras dialectos Aramaicas. Liceat autem ex parte lexicologica nonnulla nominatim

ex infinitis proferre, ut magis pateat concordantia dialecti Chaldaicæ Biblicæ cum idiomate Mandaitarum. Consule *Norberg (Lexidion Codicis Nasaræi)*, ex quo ingens formaretur elenchus vocum in quibus duæ prædictæ dialecti conveniunt contra linguam vulgatam. Ex quibus tabella sequens sufficit speciminis modo :

MAND.	CHALD.	SYR. LITT.	
ܐܪܩܐ	ܐܪܩܐ	ܐܪܥܐ	Terra
ܐܡܛܘܠ	ܐܡܛܘܠ	ܡܛܠ	Propter
ܙܪܥܐ	ܙܪܥܐ	.....	Semen
ܓܘܒܪܝܐ	ܓܘܒܪܝܐ	ܓܒܪܐ	Viri
ܓܕܦܐ	ܓܕܦܐ	ܓܕܦܐ	Ala
ܓܘܗܢܡ	ܓܝܗܢܡ	ܓܗܢܐ	Gehenna
ܓܘܦܐ	ܓܘܦܐ	.....	Corpus
ܓܘܢܕܐ	ܓܘܢܕܐ	ܓܘܕܐ	Cohors
ܓܘܢܙܐ	ܓܘܢܙܐ	ܓܙܐ	Thesaurus
ܕܘܒܫܐ	ܕܘܒܫܐ	ܕܒܫܐ	Mel
ܕܘܦܢܐ	ܕܘܦܢܐ	ܕܦܢܐ	Latus
ܕܓܪ	ܕܓܪ	.....	Collegit
ܡܘܪܐ	ܡܪܐ	.....	Rivulus
ܐܬܝܗܪ	ܐܬܝܗܪ	.....	Superbivit
ܐܘܚܪܢ	ܐܚܪܢ	ܐܚܪܢܝܢ	Alius
ܡܣܪ	ܡܣܪ	.....	Tradidit
ܢܗܘܪܐ	ܢܗܘܪܐ	ܢܘܗܪܐ	Lux
ܠܚܢܬܐ	ܠܚܢܬܐ	.....	Concubina
ܫܘܡ	ܫܘܡ	ܫܡ	Nomen

Fatemur non omnia vocabula secundæ columnæ hujus tabellæ in Bibliis inveniri, sed negari nequit ea quæ occasio non se obtulit scriptoribus sacris adhibere, ita pure Chaldaica esse ut occurente casu scriptores prædicti non aliter adhibuissent. Nullum dubium igitur rationabile concipere licet quin Chaldaismus Biblicus meram dialectum Babylonicam repræsentet. Certe Judæorum populus centum annis antequam ad captivitatem ductus fuerit, linguam Aramaicam ignorabat, teste sacro Codice (Vid. II Reg. XVIII, 26). Quidnam in illo parvo centum annorum intervallo evenit tam magnum quod Judæorum linguam vernaculam ex Hebraica in Aramaicam mutaverit ita ut cum Babylonidem proficiscerentur, illius civitatis linguam jam scirent ?

Itaque inde a sexto ante Christum seculo populus Hebræus non amplius linguam Hebraicam in usu communi adhibebat sed linguam Syriacam, quæ in monumentis Judæorum illius ætatis dicitur ܣܘܪܣܝ et ab ipsis doctis Judæorum dicitur esse eadem ac Aramaica, quamquam negari nequit doctos inter illum populum linguam Hebraicam non omnino deseruisse sed aliquantum coluisse ut linguam mere litterariam. (V. ipsum Renan libr. cit. pag. 150). Ita se res habebant magno seculo quo Christus apparuit, atque inde certissimam solutionem accipit famosa quæstio: Qua lingua loquebatur Jesus Christus, ejus mater atque apostoli ? Etenim eruditi viri noscunt hanc linguam fuisse Aramaicam seu Syriacam, falsissimumque esse quod nonnulli recentiores, potius amore quam ratione ducti, contenderunt, nempe linguam Christi fuisse Græcam. Quo magis autem hæc veritas elucescat, liceat præcipua adducere argumenta quibus comprobatur linguam communem ac vernaculam in Jerusalem ac tota Palæstina

(exceptis novis civitatibus a Græcis vel Romanis fundatis ut Cæsarea, Neapoli etc.) non fuisse linguam Græcam sed Aramaicam seu Syriacam. Etenim:

1° - Omnes qui libros conscripsere in Palæstina in illa ætate aramaice scripsere, inter quos lubet nominare Tobiam, Ecclesiasticum, Judith, Targumim (i. e. plures versiones V. Testam. Chaldaic.),maximam partem Talmudorum, etc . Paucissima illa ætate hebraice scripta sunt; nemo Græce scripsit ; et ipse Josephus Flavius celeber seculi I[i] scriptor Judæus in historia . *Bell . Jud. I* testatur se primo lingua Hebræorum i. e. Aramaica scripsisse suas historias et postea illas græce convertisse ad usum exterorum. Neque difficultatem facit quod liber Sapientiæ et Machabæorum secundus græce conscripti sint origine ut omnes critici sentiunt ; nam probabile est hos libros Alexandriæ compositos fuisse, ubi certe lingua vernacula Græca erat. Illud de libro Machabæorum inde probabilius apparet, quod hic liber initio duas epistolas e Judæa in Ægyptum missas contineat, quodque auctor (II, 24) testetur suum opus esse compendium libri cujusdam Jasonis Cyrenæi, i. e. oriundi Cyrenes quæ erat civitas Ægypto finitima.

2° - Inter nomina propria Apostolorum aliorumque Judæorum hominum occurentia in N. Testamento non poterant non esse multa Hebraica propter religionis cultum ut *Jesus, Joseph, Simeon, Matthæus, Saül, Maria, Joannes, Hanna*; at quæ non sunt Hebraica, nonnisi Aramaica sunt, ut *Thomas, Barnabas, Bartholomæus, Martha, Salome, Barabbas, Caiphas, Sapphira* (ܫܦܝܪܐ), *Silas* (ܫܝܠܐ), *Barsabba* (ܒܪ ܫܒܐ), *Barjona*. Notum est autem, in omni populo homines generatim nuncupari nominibus ex vigenti apud se lingua sumptis. Græca nomina in N. T.

occurentia hominum Palæstinæ, pauca sunt, ut Philippus, Nicanor, Stephanus, Nicodemus, multo pauciora Latina, ut Marcus, Lucas; forsitan hæc exotica nomina ex genuina lingua Hebræorum a Græcis N. T. scriptoribus translata sunt Græcis litteris; cujus rei insigne habemus exemplum apud Josephum Flavium nuper nominatum, qui in sua ipsius biographia n° 1 loquens de sua genealogia, vocat suum proavum voce Græca *Psellum*, qui certe ex Hebraica stirpe erat, cujus proinde nomen Aramaicum ܥܠܓܐ esse debuit. Idem quoad Novum Testamentum dicendum est de Andrea, v. gr., qui certe non erat Græcus utpote frater Simeonis Petri. Idem dicatur de Paulo apostolo qui certissime ex stirpe Judaica et præcise ex tribu Benjamin erat ut ipse testatur, (Philip. III, 5), quique primo nuncupabatur Saül nomine Hebraico; cum autem ad Christianismum conversus est, novum nomen illi datum est Damasci in qua ejus conversio locum habuit, quod nomen certe Aramaicum esse origine debuit ܐܠܘܪܐ vel potius ܐܠܝܡܪܐ ut tunc dicebatur, quod Latine i. e. lingua Romanorum factum est *Paulus* utpote viri qui civitate Romana gloriabatur. Aliud insigne exemplum habemus in apostoli Simeonis Barjonæ nomine. Teste enim Joanne I. 42, nomen *Kephæ* Syriacum huic apostolo a Christo ipso impositum est; cum autem haud credibile sit hoc nomen a Christo impositum ab apostolis neglectum fuisse, necessario dicere debemus hujus apostoli novum nomen semper *Kepha* fuisse, quod revera sæpe occurrit in Novo Testamento, v. g. in 1 Cor. I, 12 – III, 22 – IX, 5 et XV, 5 – Galat. I, 18 – II, 9, 11 et 14. Ergo nomen *Petros* quod aliis N. T. locis legitur, non est nisi Græca versio nominis *Kephæ*, a Græcis scriptoribus seu translatoribus N. T. facta. Si enim Simeonis vulgare nomen esset Græcum

Petros, prorsus incredibile est Paulum græce scribentem hoc Græcum nomen abjeccisse pro eoque Syriacam vocem barbaram *Kepha* misisse, non est enim possibile Simeonem duobus novis nominibus notum fuisse. Certissime ergo constat scriptores Græcos solitos fuisse nomina propria exotica Græcis litteris exprimere.

3. - Loca publica urbis Jerusalem tempore Christi nomina habebant Syriaca, ut *Syloë* ܫܝܠܘܚܐ, *Gethsemani* ܓܕܣܡܢ, *Bethesda* ܒܝܬ ܚܣܕܐ; *Gabbatha* ܓܒܒܬܐ. *Golgotha* ܓܓܘܠܬܐ, sed omnium notissimum est nomen quod ipso Christo vivente a magnatibus Judæorum impositum fuit illi agro qui pecunia a Juda Iscariote restituta erat emptus, quod nomen est mere Aramaicum *Haceldama* ܚܩܠ ܕܡܐ (Act. I, 19).

4. - Refertur in Actis (XXI, 40) Paulum apostolum, cum coram principe a plebe Jerusalemitana accusatus esset, velletque se ab ipsius calumniis justificare, illam hebraice i. e. aramaice, ut ex innumeris locis N. Test. manifestum est (v. gr. Joan. XIX, 13 et 17), allocutum esse, idque magis accusatorum attentionem traxisse (XXII, 2); imo tam in fine eos excitasse ut contra ipsum irruerint (XXII, 22). Certe si Græca fuisset lingua vernacula Hierosolymitarum, eam potius adhibuisset Paulus ad se defendum coram ipsis præsertim cum ejus judex Græcus esset.

5. - Notissimum est viris qui in litteratura Hebræorum versati sunt, in horum monumentis passim referri dialectum Aramaicam Hierosolymæ illa ætate vernaculam, mentionemque fieri punctorum in quibus ea a dialectis ceterorum Palæstinæ locorum et nominatim Galilææ distinguebatur (*V. Buxtorf. Lexic. Chald.* sub voce ܓܠܝܠ).Quod ab ipso Evang. confirmatur; etenim refertur (Marc. XIV,70)

Petrum apostolum tempore passionis Christi ut Galilæum ab adstantibus cognitum fuisse, idque ex ejus loquela (Matth. XXVI, 37).

6.-Denique quod sigillum certitudinis firmissimum imponit, sunt ipsissima Christi verba quæ in N. T. referuntur eo sono quo ab ejus sacro ore prolata sunt, quæque sunt omnino Syriaca; nam cum Christus Simeoni apostolo nomen Petræ seu Petri dare voluit, Syriaca voce ܟܐܦܐ usus est, non Hebraica ܐܒܢ (Joan. I, 42); item duos fratres Zebedæos aramaice nuncupavit ܒܢܝ ܪܓܫܝ (Marc. III, 17); aramaice dixit puellæ quam e mortuis suscitavit: ܛܠܝܬܐ ܩܘܡܝ (Marc. V, 41); aramaice clamavit cum crucifixus erat: ܐܝܠ ܐܝܠ ܠܡܢܐ ܫܒܩܬܢܝ (Matth. XXVII, 46). Et cum Petrus puellam mortuam Joppe suscitavit, aramaice illi dixit: ܛܒܝܬܐ ܩܘܡܝ (Act. IX, 4).

Est igitur certissimum linguam tempore Christi in Palæstina et præsertim Hierosolymæ vigentem, fuisse Aramaicam seu Syriacam quæ vulgo dicitur Chaldaica. Attamen infitiari non possumus linguam Græcam ex illo tempore qua Alexandri Magni successores in Oriente cœperunt regnare, notam fuisse in Palæstina sicut in aliis Orientis regionibus, ea scilicet ratione qua hodie lingua Turcica in omnibus fere Imperii Othomani urbibus nota est, erat quippe ea, i. e. lingua Græca, vernacula multorum advenarum qui in Oriente dispersi vivebant. Propter hoc cum Pilatus titulum crucis Christi scribere jussisset, scriptus est hic titulus non solum Hebraica lingua i. e. Aramaica quæ erat vernacula regionis, ac Latina quæ erat lingua auctoritatis civilis, sed etiam Græca ut et exteri qui multi erant possent eum legere. Ipsi autem originarii incolæ nullum cum Græca lingua relationem habebant, vel. si mavis, pauci extabant inter ipsos qui eam

loquerentur sive propter commercium sive propter alias similes rationes, eo modo quo multi viri et mulieres hodie in Syria linguam unam vel alteram extraneam loquuntur. Imo tam Judæi Palæstinæ extranei erant linguæ Græcæ ut prohibitum esset illis eam in scholis discere, saltem viris; fœminis autem id permissum erat ut ornatus articulus.– V. *Buxtorf* « *Lex. Chald.* » sub voce ܝܘܢ, et *Joseph.* « *Antiq. Jud.* » XX. 11, 2. (1)

Quid ? quod ipse celeberrimus Josephus qui ex nobiliori stirpe Hierosolymitana oriundus erat, quique tot ac tantas relationes cum magnis sui temporis viris Græcis ac Latinis habuit, linguam Græcam quamquam duros labores ad eam addiscendam impenderit, non bene loquebatur, ut ipse de se testatur loc. cit.

Neque ullam difficultatem facit singularissimum æque ac dolorosissimum factum, quod videlicet: exceptis paucissimis de quibus infra, omnia scripta quæ ad nos pervenerunt ex documentis quæ ex Palæstina fininitimisque regionibus prodierunt inde a Christianismi initio usque ad VIII^m seculum circum circiter, græce sunt exarata; nullum omnino documentum non Græcum ad Christianos pertinens ex illa ætate et illo populo cognoscimus, cum Evangilia, actus Apostolorum, ceterique libri N. Testamenti, libri apocryphi, tot documenta ad initia Christianismi pertinentia et ab Origene, Eusebio, aliisque scriptoribus relata, ipsius Jerusalem episcoporum, Cyrilli aliorumque scripta, uno verbo omnia litteraria opera ad Palæstinam pertinentia ex quo Christianismus in ea

(1) Quis hæc legendo non obstupescet cum considerat Rabbinos, id est doctores Judæorum qui hujusmodi prohibitionem decreverunt, linguam tamen Aramæo-Hebraicam ab ipsis creatam, replevisse seu potius deturpasse tot vocabulis Græcis, quæ, ad majorem turpitudinem, ab ipsis valde corrupta ut plurimum, introducta sunt ?

ortus est, omnia Græca sunt; nullum vestigium alius linguæ in toto illo temporis intervallo datum est nobis videre. Hæc omnia, inquam, quamquam, proh dolor ! verissima, quamquam ingentia, quamquam stupenda, nequeunt tamen infirmare evidentiam quam tot luculentissimis argumentis stabilivimus. Nempe ab eodem tristissimo fato quod litteraturam Palæstinæ Aramaicam ante Christianismum partialiter persecutum est, hæc litteratura in Christianismo totaliter destructa est. Nam quemadmodum tot opera Chaldaica, Palæstinensi lingua apud Judæos extra Christianismum conscripta, ex. gr. historiæ Tobiæ, Judith, Susannæ, Machabæorum, liber Ecclesiastici, Baruch, libri Josephi Flavii et alia innumera litteraria monumenta deperdita sunt, ita monumenta ejusdem linguæ ejusdemque regionis sub Christianismo potuere fere omnia deperdi. Unde factum est quod omnino ignoremus utrum Judæi Palæstinæ sub Christianismo propriam litteraturam patriam Chaldaicam scilicet Aramaicam habuerint quemadmodum sub Mosaismo habuerant; quonam genere scripturæ usi sint; quonam tempore omnino lingua Aramaica loqui cessaverint; quo seculo scriptura, *Estrangelo* simili, quæ in aliquibus seculi undecimi codicibus cernitur, uti cœperint. Omnia hæc et alia similia, problemata sunt, quæ nunquam solutionem plenam nanciscentur.

Monumenta autem ad quæ innuimus, quæque diximus ex omnibus documentis Syro-Palæstinensibus Christianis sola superstita ad nos pervenisse, sunt paucissimi codices manuscripti qui nonnisi seculo proxime elapso ineunte ex per tot secula derelictis latebris detegi, eruditorumque curiositatem attrahere cœperunt. Quorum præcipuus est codex in Bibliotheca Vaticana conservatus, continens evangeliarium lingua Syro-Palæstinensi de qua

agimus compositum juxta ritum Melchitarum annoque Chr. 1030 exaratus. Huic codici addenda varia folia incertæ ætatis nostro seculo detecta, ex uno vel variis libris laceris disjuncta, quæque eadem lingua continent varia fragmenta ex prædicto evangeliario, ex lectionario veteris Testamenti, aliisque rebus ad eumdem ritum Melchitarum pertinentibus. Omnia hæc alphabeto particulari Aramaico ab alphabeto Strangelo, de quo infra, proveniente exarata sunt. Fragmenta omnia typis publicata sunt, latine interpretata et doctis scholiis illustrata a cl. *Land* in IV° tomo *Anecdotorum Syriacorum*.

Ex his Syro-Palæstinensibus documentis discimus:

1 – Dialectum Syriacam quæ Christi ætate in Palæstina vigebat, in ea perdurasse sub Christianismo per septem secula et amplius, libri enim liturgici in his voluminibus contenti non potuerunt componi ante seculum VIII^m; et aliunde nisi ea lingua vigeret, illi libri in ea scribi non potuissent.

2 – Linguam de qua agimus, habuisse sub Christianismo aliquam litteraturam, utique valde limitatam, quemadmodum habuerat ante Christianismum et quemadmodum habuit extra Christianismum post ipsius ortum.

3 – Palæstinenses, sive Mosaistas, sive Christianos, nullam partem habuisse communem cum Syris Mesopotamiæ ceterarumque regionum in linguæ Syriacæ vicissitudinibus.

4 – Unamquamque communitatem, Christianorum scilicet et Mosaistarum in Palæstina, suam propriam in usu litterario linguæ Syro-Palæstinensis viam secutam esse, ab altera independentem; etenim, scriptura Christianorum, saltem seculis posterioribus, multum diversa erat a scriptura Mosaistarum.

5 – Versionem Syriacam sacræ Scripturæ quam vocant ܦܫܝܛܬܐ *Simplicem*, non fuisse usitatam Christianis Palæstinensibus, nam libri omnes liturgici de quibus agimus continent aliam versionem sacri Codicis de Græco immediate factam, quamquam valentes critici judicant translatorem ante oculos habuisse prædictam versionem Simplicem. Neque putetur Palæstinenses istos ob amorem Græci ritus s. Scripturam Syriacam dictam *Simplicem* repudiasse; etenim Melchitæ Syriæ et Mesopotamiæ lubenter hanc versionem in sua liturgia adhibebant ut omnes codices ad illam sectam pertinentes testantur.

6 – Linguam Syriacam Palæstinensem usu ecclesiarum Melchitarum (præter quos nulli vel valde pauci erant in in Palæstina Christiani) viguisse in illa regione etiam postquam hæc lingua ex usu vulgari ab Arabica extrusa erat; nam in dictis libris omnes rubricæ lingua Arabica scriptæ sunt.

Ex his omnibus luculentissime patet linguam Græcam non fuisse in Jerusalem ætate Christi vernaculam, neque prædominantem, neque communem. Christi enim religio extra sphæram Græcæ sapientiæ constituta fuit; initia quoque Ecclesiæ nullatenus Græca fuerunt; nam ejus fundator neque origine, neque patria, neque lingua Græcus fuit, nullus ex ejus religionis apostolis ac propagatoribus Græcus erat, neque primi horum proselytæ Græci fuere (V. Act. II, 14 et 41). Imo non defuere inter primos Christianos qui vellent Græcos a Christiana religione excludere (V. Act. XI, 2). Ideo nihil Hellenismi cernitur in institutione Christiana prout ea a Jesu ipso vel ab ejus apostolis prædicata est; et si Joannes in suis scriptis inspiratis vocem Græcam *Logos* de Filio Dei adhibuit id fuit non in Palæstina sed Ephesi quæ erat

urbs Græca. Denique in Ecclesiæ Christianæ idioma nullum Græcum elementum ingressum est; et si nonnulla, eaque paucissima, nomenclaturæ ecclesiasticæ vocabula Græcam habent originem, ut *episcopus, evangelium, synodus, parœcia, chorepiscopus, chrisma, eucharistia*, ea valde posteriora sunt ortui Christianæ religionis, atque extra Palæstinam, ubi hæc religio nata est, inventa sunt.

Quod attinet ad episcopos qui inde ab initiis Ecclesiæ sedes Hierosolymitanam aliasque in Palæstina occuparunt, non negamus multos eorum Græcos fuisse, sed id non probat totum populum Palæstinensem Græce locutum esse. Nam nonnullæ, eæque paucæ, urbes recenter conditæ ut Cæsarea aliæque, Græcos utique habebant incolas; sed de his non est nobis quæstio. Quoad Hierosolymam, quæ principem tenebat locum, narrat Eusebius Pamphilus libr. IV cap. 6 suæ historiæ Ecclesiasticæ, episcopos Jerusalem principio ex Hebraico genere fuisse; sicque quindecim episcopos Hebræos illam ecclesiam successive gubernasse post Christum usque ad tempus Adriani imperatoris qui regnare cœpit anno 117; hunc autem imperatorem omnes Hebræos, ad qualemcumque religionem pertinerent, ex urbe Jerusalem expulisse propter seditiones a Judæis excitatas, atque decrevisse ut nemo ex genere Hebraico illam civitatem ingrederetur, exinde evenisse quod illa civitas Græcos habitatores haberet, indeque Græci episcopi eam gubernare cœperint, quorum primus Marcus fuit. Hæc Eusebius. In ceteris autem locis gens Hebraica remansit, imo illi additus est populus Hierosolymitanus, et tamen non defuere multi episcopi Græci in Palæstina. Causam hujus extranei facti ponere oportet in consuetudinem hodie in ecclesiis Græcorum non catholicorum totius Orientis Asiatici et Africani dominantem,

ut scilicet ipsorum sedibus episcopalibus et potissimum patriarchalibus Græci viri præficiantur, quamquam Græca lingua in nullo totius Orientis angulo amplius sit vernacula inde a multis seculis. Pari fere modo frequens erat antiquitus ut in Syria Occidentali et in Palæstina episcopi eligerentur vel ex Græcis vel ex Græcæ linguæ peritis; idque principio quidem quia qui græce erant eruditi, magis idonei æstimabantur; postea autem facta Constantinopoli metropoli imperii Orientalis, hujus civitatis imperatores et episcopi, in totum Orientem tyrannicam exercentes auctoritatem ecclesiasticam, causa erant ut nonnisi ex Græca gente episcopi in ecclesiis promoverentur.

Atque hæc sufficiant quæ occasione quæstionis de lingua qua locutus est J. Christus, dicenda nobis erant.



CAPUT II

DE LINGUÆ SYRIACÆ DIALECTIS

Quod ceteris gentium omnium mundi linguis solet evenire, lingua Aramaica seu Syriaca non potuit non sortiri; nempe hæc lingua quæ primitus una et singularis omnino erat, progressu et vicissitudine temporum cum ea per populos et regiones diffusa fuit, magnas et varias mutationes pedetentim passa est, ita ut diversæ inde dialecti juxta locorum et temporum diversitatem natæ sint. Harum dialectorum Syriacarum aliæ notæ sunt, aliæ ignotæ utpote quæ perierunt.

Ex dialectis vero Syriacis quæ hodie notæ sunt, aliæ litteraturam aliquam habent, aliæ nulla scriptura coluntur.

Prima omnium dialectorum Syriacarum quæ notæ sunt et litteraturam habent, est Babylonica seu Chaldaica; deinde recentior Iraki seu Babyloniæ dialectus quæ Mandaitarum dicitur ; post lingua litteralis hodie vigens ; denique dialectus Samaritana. Ex dialectis non scriptis quæ adhuc existunt , primam nominamus vulgare idioma regionum versus Orientem maxime sitarum, i.e. Assyriæ, Curdistani, Persidis Occidentalis finitimarumque terrarum ; deinde dialectum Mesopotamiæ ; denique Syriasmum Syriæ.

De istis singulis dialectis hic per ordinem nobis tractandum est. (1)

Babylonica seu Chaldaica est omnium antiquissima, genuinumque ac originalem typum sermonis Syriaci servat, eratque initio omnium fere populorum Aramæorum vernacula; Babylonicam eam appellamus quia nobis non innotuit nisi ex Babylonia civitate , celeberrima et antiquissima metropoli imperii Chaldæorum seu Syrorum Orientalium . In hac dialecto liber Danielis prophetæ aliæque sacræ Scripturæ partes inspiratæ sunt ut diximus; eam, ut supra retulimus, Judæi in captivitate Babylonica didicerunt et suam fecerunt inde a seculo VII° ante Christum quo Nabuchodonosor Babylonis rex eos subegit. Hæc dialectus quæ in antiquo Testamento simpliciter Aramæa dicitur , Judæorum litterati modo Syriacam , modo Aramaicam appellant , in novo autem Testamento Hebraica vocatur utpote quæ Hebræis vernacula in illo tempore erat . Eruditi vero in Europa eam Chaldaicam nuncupant , referendo eam ad Chaldæos id est Aramæos

(1) Omittimus secundarias et fere ignotas dialectos varias, quas Barhebræus in suis grammaticis et Bar Ali atque Bar Bahlul in suis lexicis memorant utpote in suis ætatibus existentes, quæque proprie loquendo non sunt veræ dialecti sed leves varietates unius ejusdemque linguæ , nempe Syriacæ quam dicimus litteralem .

Orientales imperiorum Babylonici et Assyriaci. Eamdem denique dialectum Arabes *Nabatæam* (1) vocant. Hæc dialectus a lingua Syriaca hodie vulgata parum differt, imo ex parte ea correctior est ut videbimus. A tempore quo hæc dialectus Hebræis vernacula evasit, plurimi libri præter sacram Scripturam, lucem apud eos viderunt in hac dialecto, deformata tamen hic illic Hebraismis exoticisque vocibus. Quorum librorum principales *Targumim* nuncupantur, suntque libri qui continent versiones s. Scripturæ ex lingua Hebraica in hanc Hebræorum Aramaicam dialectum factas. Targumim autem multiplicia sunt, cum unusquisque liber sacer unam vel plures versiones habeat.

Propter has Paraphrases Chaldaicas, Hebræorum juventus in scholis usque ad hunc diem non solum lingua Hebraica instituitur, sed etiam Chaldaica. Nam hac Aramaica dialecto Judæi hodie utuntur non solum in interpretatione s. Scripturæ librorum, verum etiam in publico cultu religioso. Imo pro hoc cultu poesim in hoc sermone compositam non raro adhibent, cujus unum specimen, hymnum scilicet metricam, ex quodam libro rituali Hierosolymæ non multis abhinc annis impresso, hic exhibere lubet, characteribus hodiernis, dictis Nestorianis, conscriptum juxta orthographiam hodie in lingua litterali vigentem :

ܙܘܡܪܐ ܕܥܒܕܘܣܝܢ . ܠܡܕܢܠ ܠܐ ܦܐܘܣܝܢ . ܕܡܚܣܠ ܐܦܘܣܝܢ .

ܕܢܘܗܝ ܡܕܒܪܝܢ ⁘ ܐܘܡܝܢ ܠܗ ܡܫܬܐ . ܒܦܐܘܪܬܐ ܢܒܬܐ .

ܘܡܫܪܬܐ ܛܒܬܐ . ܕܢܗܪܐ ܥܠ ܩܕܡܝܢ ⁘ ܡܫܒܪܐ ܘܫܦܠܬܐ .

ܘܡܢܗܘܢ ܕܠܬܐ . ܒܡܫܘܚܬܝܢ ܐܘܠܬܐ . ܘܡܬܝܢ ܘܠܒܘܫܝܢ ⁘

1 Scribimus *t* sine *h* quia sic exigit vox Arabica نبط .

ܡܫܬܟܚ ܠܗ ܒܟܬܒܐ ܘܒܦܘܫܩܐ ܕܝܠܗ . ܕܥܒܝܕ ܢܫܐ ܠܗ .
ܗܘܬ ܒܠܫܢ ܕܟܠܕܝܐ ܕܡܬܬܪܓܡܢܝܢ ܀ ܡܢܗܘܢ ܐܘܪܫܠܡܝܐ . ܠܥܕܡܐ ܠ ܦܘܫܩܝܢ .
ܠܦܘܫܩܐ ܦܠܓܝ . ܘܦܘܫܩܐ ܕܐܝܟ ܕܐܫܝܢ ܀ ܒܢܦܫܗܘܢ ܠܗ ܘܠܐ ܒܟܠܗ .
ܘܡܬܪܓܡܢܝܢ ܐܢܫܐ . ܠܒܪܢܫܐ ܘܡܦܫܩܝܢ . ܠܐܘܪܫܠܡ ܡܬܩܪܝܢ ܀

Ex hac Aramaica dialecto et ex Hebraica lingua Judæorum doctores qui Rabbini dicuntur, novam efformarunt linguam sibi propriam quæ Rabbinicæ nomine distinguitur; in eaque Judæorum doctores libros suos exararunt, inter quos primum tenet locum liber famosissimus dictus *Talmud*, et propterea hæc lingua Talmudica etiam dicitur.

Ideo autem Judæorum doctores sacra Biblia in linguam Chaldaicam converterunt inde a I° Chr. seculo ut diximus, quia populus Judæus hanc linguam jam vernaculam habebat pro Hebraica quam amplius sine disciplina non intelligebat. Lingua Chaldaica sic remansit vernacula in Palæstina per multa secula etiam post adventum Christi, donec ea ab Arabica lingua expulsa sit circa seculum VIII^m, ut supra fusius exposuimus.

Notatu dignum est Babylonensium hujus dialecti Syriacæ de qua hucusque, quæque prima monumenta Aramaica nobis exhibet, nulla monumenta Aramæos ipsos conservasse, eamque illis penitus ignotam esse; ejus scripta quæ ad nos pervenere, nullatenus apud Aramæos servari, neque eorum fœtus esse, sed apud extraneos conservari ab extraneisque composita esse.

Hujus dialecti, quæ, ut vidimus, ab Arabibus Nabatæa dicitur, et ab Europæis Chaldaica, vestigia insignia remanserunt in partibus Iraki, Orientalem plagam ad meridiem respicientibus, apud gentem origine Syriacam,

a ceteris tamen Syriaci generis gentibus tum religione, tum moribus distinctam. Hæc gens *Sabæorum* seu *Mandaitarum* nomine dignoscitur, estque hoc tempore valde diminuta. Hujus populi dialectus in libris suæ religionis tantum conservata est; in ceteris enim lingua Arabica a seculis utuntur Mandaitæ. Hæc Aramaica dialectus quæ nonnisi corrupta dialectus linguæ Babylonicæ de qua supra, habenda est, hanc habet proprietatem, quod in ea littera *ʿain* in *alaf* (1) convertitur, ut hodie mos est etiam Syrorum Assyriæ et Curdistani, et quod $h^h et^h$ pronunciatur ut *he*. Ratio autem pronunciandi linguam Syriacam apud Mandaitas est ea quæ dicitur *Orientalis*, quamque mox explicabimus; attamen *zqafa* finalis apud ipsos pronunciatur fere ut apud Occidentales, id est sapit aliquantulum soni *O*.

Hic anidmadvertendum est populos Aramaicos qui hodie linguam Syriacam adhibent sive scriptura, sive sermone, omnes Christianos esse, præter gentem hanc Mandaitarum cujus religio neque Christiana neque Judaica est, et duo oppida prope Mʿalulam in territorio Damasci quorum incolæ Mahumetani sunt, ut deinceps erit sermo. Loquimur tantum de populis qui sunt de genere Aramaico; nam Judæi qui sunt omnes Israelitæ seu genere Hebræi utuntur ubique locorum lingua Aramaica in cultu religioso tantum, ut dictum est; prætcrea in urbe Zachu in Mesopotamia prope Geziram est magna Judæorum colonia cujus lingua vernacula est Syriaca vulgaris, ea quæ in Assyria et Curdistano viget.

Nunc de dialecto seu lingua Syriaca quam nomine

(1) In toto hoc opere nomina litterarum Syriacarum juxta pronunciationem Syrorum et quidem Orientalium scribimus, excepta *ʿain* ut videbimus. *Alaf* autem scribimus cum *f* non cum *ph* quia reapse Syri *p* litteram lenem ut *f* Latinum non ut *ph* Græcorum nobis ignotum, pronunciant.

litteralis distinximus. Hæc dialectus (quam hodierni Syriologi in Europa *Edessenam* nuncupant, quamquam in Syriacis documentis nomine Edessenæ dignoscatur secunda hujus linguæ dialectus de qua infra, non ipsa lingua, exceptis Palæstinensibus apud quos Edessena appellabatur ipsa lingua, teste codice M S. apud Land *Anec. Syr.* t. I pag. 90) hæc dialectus, inquam, est ea ad quam post temporum et locorum longas vicissitudines reducta est lingua Aramaica circa tempus apparitionis Christi. Lingua hac usi sunt primi Christiani, saltem in partibus Orientalibus et Septentrionalibus Syriæ, quia Christianismus propagatus est et claruit primo in regionibus in quibus lingua Syriaca vigebat. Hac lingua in ea forma quæ hodie classica est, primi Christianorum libri scripti sunt, quorum principalis et primævus est Biblia sacra, antiquum inquam et novum Testamentum, quæ nequeunt esse seculi secundi primordiis posteriora. Item omnes libri Syriace conscripti qui in manibus Christianorum ab illo tempore exstiterunt et hodie existunt, hanc dialectum ferunt, utpote quæ inde ab exordio Christianismi jam firmitatem stabilitatemque nacta erat, atque ab illo tempore usque ad hunc diem nullam omnino mutationem subiit. (1) Per multa autem secula lingua Syriaca litteralis in usu vulgari remansit in plerisque regionibus in quibus vigebat, præsertim in parvis civitatibus et in oppidis, etiam post Islamismi fundationem et linguæ

(1) Utrum hæc lingua seu potius dialectus ipso illo Christi I° seculo litteralis et classicæ conditionem nacta sit, an antea, id cum certitudine dici nequit, cum nullum documentum Christianismo anterius in manibus habeamus. Ubinam autem hæc lingua ortum primo habuit, vel potius ubinam considerabatur ut purior et norma, id etiam cum certitudine dici nequit. Sunt inter eruditos qui autumant hanc linguam Edessæ in Mesopotamia primo propriam fuisse, et ideo eam Edessenam vocant, sed sine ullo fundamento certo. In monumentis quidem Syrorum *Edessenæ* nuncupatio propria est dialecti Occidentalis hujus linguæ non ipsius

Arabicæ dominationem, etenim ex scriptis Barhebræi, celebris grammatici Syri, liquet linguam Syriacam litteralem ipsius tempore i.e. seculo XIII vernaculam fuisse ac vulgatam in Oriente. At post ea tempora, ignoratur quando cœpit lingua Syriaca litteralis ab usu vulgari cessare seu potius in ore vulgi corrumpi, ita ut hodie nullus existat omnino locus in quo ea vernacula sit, et sic lingua Syriaca litteralis mortua evaserit. Toto hoc temporis tractu, infiniti, ut ita dicam, libri sive ad litteras et scientias sive ad religionem spectantes lucem inter Syros Christianos viderunt, præsertim inter Nestorianos et Jacobitas; (nam ex Melchitis nullum scriptum Syriacum præter libros liturgicos ad nos pervenit, item ex Maronitis usque ad seculum XVII). Hi libri exarati universim hac lingua Syriaca litterali de qua agimus, quæ sola hodie intelligitur cum absolute dicitur lingua Syriaca aut Aramaica. Attamen, ut innuimus, omnes libri qui hac lingua scripti reperiuntur, posteriores sunt fundationi Christianismi, omnesque, paucissimis exceptis, in Christianismo compositi fuerunt. Etenim maxime dolendum est quod gens Syriaca nihil, ne litteram quidem, conservaverit, quod ante Christum natum vel extra Christianismum scriptum sit, (1) quod infortunium, in æternum deplorandum, aliis

linguæ. Nec credibile est Edessam ubi pronunciatio dicta Occidentalis vigebat quam nullus ceterorum populorum Aramæorum est secutus, potuisse esse normam purioris Syriasmi. Hic, ut manifestum est, non loquimur de scholis, nam populi saltem antiqui non per scholas linguam vernaculam addiscunt. Quod observari meretur, est quod tribus prioribus post Christ. seculis non videtur hæc lingua tam communis evasisse; etenim in Syria Orientali adhuc sermo ad veterem dialectum Babylonicam seu Chaldaicam accedebat, ut patet ex inscriptionibus lapideis Palmyræ .

(1) Nullo modo putandum est ante Christianismi ortum populos Syros , sive in Occidente sive in Oriente, nullos habuisse codices scriptos, cum ipsi fuerint qui alios populos artem scribendi docuerint , quique longe ante alios populos scientiis ac liberalibus artibus illustrati sint. Memoratur quidem in monumentis Græcorum et Latinorum quidam Berosus , (nomen incertæ etymologiæ) , Babyloniæ ortus

nationibus quibus natio Syriaca celebritate nihil cedit, ut Judæis, Græcis ac Latinis, haud evenit; unaquæque enim ex his nationibus pleraque documenta conservat quæ apud ipsam lucem viderunt multo plus quam mille annis ante Christianismi ortum. Propter hunc veterum Syriacorum scriptorum interitum, nihil possunt populi Syri cognoscere de suorum majorum historia, religione, imperiis, bellis, moribus, liberalibus artibus, litteratura, nisi recurrendo ad monumenta aliorum populorum, præsertim Judæorum et Græcorum; nisi enim haberemus scripta Judæorum et Græcorum, nihil omnino de rebus antiquorum Aramæorum sciremus usque ad seculum tertium post Christum. (1) Attamen si majorum nostrorum

seculo tertio ante Christum qui historiam Chaldæorum scripsit; sed hujus operis deperditi nonnisi errantia, eaque paucissima, fragmenta apud auctores Græcos et Latinos remanserunt in has linguas conversa. Ubi igitur sunt elucubrationes litterariæ, philosophicæ, historicæ, astronomicæ, mathematicae majorum nostrorum qui Christianismum praecesserunt? — Nonnulli, imo plurimi codices, sine dubio, igne periere, excessivo ardore pro religione primos Christianos impellente ut vestigia cultus idolorum destruerent quemadmodum fecere primi Christiani Ephesi de libris superstitiosis ut refertur Act. XIX, 19. Ceteri erasi sunt et denuo juxta christianismum scripti fuere, cujus modi codices *palympsesti* dicuntur. Graeci vero et Latini, quamquam eamdem religionem amplexi sunt, haud tanto tamen furore contra monumenta temporis paganismi moti sunt, imo ipsorum monachi et clerici per assiduam transcriptionem ab interitu servarunt pretiosissimam paganismi litteraturam. Hanc causam nos assignamus disperditioni librorum antiquorum Syrorum; vicissitudines enim politicae quamquam certe vehementissimae quibus populi Aramaei subjecerunt, non potuere solae hujusmodi destructionem operari, cum Judaei qui longiores vehementioresque concussiones politicas experti sunt, item et Persae, attamen singuli, suorum majorum scripta monumenta usque ad hunc diem perfecta fere integritate conservant. Sed quod maxime mirandum ac dolendum in pristinis Syris Christianis, est eorum agendi ratio cum monumenta ethnica exterorum populorum in suam linguam convertere ac conservare curaverint (Homeri, ex. gr., Aristotelis, aliorumque Graecorum auctorum ethnicorum opera), suorum autem majorum ne apicem quidem servare cogitaverint! Quot arcana impenetrabilia nobis praebet humani generis historia!

(1) Mirum sane est Syros omnes sive Orientales sive Occidentales ex quo Christiani facti sunt, ita patrum suorum oblitos esse, ut in tota longissima seculorum serie in qua omni scientiarum genere litteratura Syriaca floruit nullus scriptor apud Syros apparuerit qui cogitaverit de historia conscribenda aut

qui Christianismi ortum præcesserunt, scripta perierunt et nihil ex iis superstes ad nos pervenit, habemus quoddam consolationis argumentum in monumentis alius generis, contra quæ tempus nihil agere potuit, in monumentis, inquam, lapideis ut ita dicam infinitis, quæ majores nostri alphabetis apud ipsos tunc usitatis insculpsere, in Syria, in Mesopotamia et in Chaldæa (quæ dicitur hodie ʿIrak), nominatim in civitate Palmyra Syriæ, ubi multa millia inscriptionum, alphabetum sic dictum Palmyrenum ferentium, effossa sunt et quotidie effodiuntur. Item in Ninive prope Mossul ubi infinitæ inveniuntur inscriptiones cuneiformes sic dictæ, et alibi. Hæc pretiosa monumenta per longa secula sine consideratione imo quodam contemptu jacuerunt, usque ad initium seculi proxime elapsi in quo Europæi ea laudabili ardore summisque laboribus et expensis exquirere, doctisque suis investigationibus subjicere cœperunt; atque inde varia documenta scientiis inservientia, præsertim historiæ et philologiæ felici successu eruerunt.

Lingua Syriaca litteralis, ut revertamur ad materiem quam interrupimus, duas habet hodie varietates, quarum altera Orientalis, altera Occidentalis dicitur; vulgus tamen priorem Chaldaicam, alteram simpliciter Syriacam appellat. Varietas Orientalis propria erat incolarum regionum Syriacarum Orientalium, quæ versus Occidentem per provinciam Nisibis limitabantur; comprehendebant autem Assyriam, Babyloniam quæ hodie dicitur

saltem memoranda populorum Syrorum antiquorum quorum tamen nonnulli ut Assyrii et Babylonenses historica celebritate inter primos populos noscuntur. Non ita fecerunt Persae et ipsi Arabes qui Islamismum amplexi sunt, neque Armeni, nec vel ipsi Abyssini qui Christiani facti sunt; hi enim omnes populi non solum majorum suorum fasta omni diligentia ex tenebris colligere sategerunt, sed ut illis majorem gloriam acquirerent, non contenti veris gestis, imaginarias ac phantasticas historias excogitarunt ad suos majores exaltandos.

Irak, Aderbig'anam, Mediam et partem Orientalem Mesopotamiæ. Hæc dialectus est lingua liturgica Nestorianorum ubicumque sint, et Chaldæorum sic dictorum (id est Nestorianorum cum Ecclesia Romana unitorum), Syrorumque catholicorum ac Jacobitarum qui sunt in regione Indica Malabar dicta, quique origine omnes Nestoriani erant. Varietas Occidentalis a parte Occidentali Mesopotamiæ usque ad mare Mediterraneum vigebat; (1) estque hodie lingua liturgica Syrorum sic simpliciter dictorum (qui sunt origine Jacobitæ), Jacobitarum et Maronitarum; vulgo quoque creditur eam fuisse linguam liturgicam Melchitarum . (2)

Sciendum insuper quod Dialectus Occidentalis vocatur etiam *Edessena* (ܐܘܪܗܝܐ) referendo ad *Edessam* celebrem civitatem Mesopotamiæ, in qua purior hæc dialectus vigebat; Orientalis autem dicitur *Nisibena* (ܢܨܝܒܝܐ) a *Nisibi* , altera Mesopotamiæ urbe , quæ celeberrimam

(1) Hoc creditur communiter, sed in partibus occidentalibus Syriæ, ut videbimus infra, systema Orientalium magis vigebat.

(2) Melchitæ dicuntur Christiani in Syria qui Ecclesiam Constantinopolitanam inde a seculo V in ejus dogmate secuti sunt, et inde a seculo VIII vel IX in ejus ritu. Hi Christiani linguam Syriacam in liturgia adhibebant usque ad tempora nobis viciniora, eisque jam pridem libri liturgici Ecclesiæ Constantinopolitanæ e Graeco in Syriacum sermonem translati sunt, quorum multa exstant hodie exemplaria. Hos libros si examinamus, rem attentione dignam videmus, nempe Melchitarum scripturam (loquimur de Melchitis Syriæ tantum, nam Melchitæ Palæstinæ propriam habebant et scripturam et dialectum ut cap. præced. vidimus versus finem) , Melchitarum Syriæ scripturam , inquam , in omnibus characteribus esse calligraphice Nestorianorum scripturæ simillimam, orthographice autem Melchitas systema Occidentalium i.e. Jacobitarum sequi. Probabilius est igitur Melchitas linguam Syriacam pronunciasse ad Nestorianorum instar, virosque qui libros liturgicos iis in Syriacum sermonem transtulerunt, fuisse ex Jacobitarum secta: in historia enim non memoratur in secta Melchitica antiquitus claruisse viros ita linguae Syriacae et Graecae peritos ut hujusmodi translationem, tam elegantem, tam accuratam, ut videmus in libris de quibus loquimur, aggredi possent. Denique quoad textum s. Scripturae, dignum est observatione illum , saltem Psalterii , magis ad lectionem Jacobitarum accedere, quamquam multae sint in eo lectiones quae Nestorianorum textum confirmant.

habebat scholam Nestorianam in hac dialecto. (1)

Discrimen inter has linguæ litteralis dialectos non est essentiale, sed consistit tantum in nonnullarum litterarum et vocalium pronunciatione ac in orthographia. Hujusmodi autem variatio non a quodam homine aut hominibus dedita opera invecta est, ut quidem ex vulgo autumant, sed ea est effectus communis legis rerum omnium humanarum, ut eæ scilicet secundum diversitatem locorum ac temporum varientur. Attamen negari nequit Orientalium dialectum, nimirum illam quæ vulgo Chaldaica dicitur, esse genuinam ac veriorem linguam Aramaicam, eamque alteri præstare ut loco suo ostendemus, atque demonstrabimus Barhebræum illustrem Jacobitarum doctorem, vehementer hallucinatum esse cum dialectum Orientalium vilipendit ac suæ gentis vernaculæ Occidentali postposuit.

Ex quo plane intelligitur eos qui primo linguæ Syriacæ in Europæ scholas introduxere, male egisse cum Occidentalium pronunciationem adoptarunt, ita ut ea usque ad hæc tempora in scholis Europæ et Americæ sola

(1) Barhebraeus in quadam nota ad opus suum grammaticale cujus titulus ܡܟܠܠܐ, *(pag. 5. èdit. Martin)* loquendo de dialectis Syriacis, dicit eas tres esse: Occidentalem seu *Edessenam*. Orientalem i.e. *Nisibenam* et *Palæstinensem*; ast nihil dicit de discrimine inter dialectum Palaestinensem et ceteras duas. Ceterum nescimus an aliquis auctor ex antiquis scriptoribus de hac dialecto Palæstinensi a Barhebraeo memorata locutus sit. Si per Palaestinensem dialectum intelligere voluit Barhebraeus, ut probabilissimum est, linguam qua scriptus est celeber codex a nobis jam memoratus qui hodie in bibliotheca Vaticana Romae extat continens evangeliarium ordinatum juxta ritum Melchitarum, quique Antiochiae Arabum exaratus est in usum Melchitarum anno p. Ch. 1030, tunc difficultas surgit quod hujus codicis dialectus notabiliter differt ab ordinaria lingua Syriaca qua Barhebraeus scribebat quaeque fere eadem est ac dialectus qua hodie utuntur Syri oppidi Málulae de quibus postea erit sermo.

Ideo non intelligimus quo jure eam cum dialectis Orientali et Occidentali Barhebraeus contulerit, cum hae duae dialecti non differant inter se nisi pronunciatione ut diximus; dialectus autem sic dicta Palaestinensis multum differt grammatice et lexicologice a ceteris duabus.

vigeat. Debebant enim potius systema Orientalium assumere, quod antiquius ac verius est, imo quod illi consentaneus sit usus multorum populorum Occidentalium ipsorum, Syriæ nempe et adjacentium regionum; etenim incolarum montis Libani pronunciationem conformem fuisse mori Orientalium, inter cetera ostendunt plurima Syriaca nomina propria quæ usque ad hunc diem conservata sunt, ut *Res^{h}aina, Mairuba, Alma, Nuhra, Becfaija, Res^{h}maija, S^{h}allit^{h}a, etc.* (1)

Pariter Damasceni territorii incolas Syriacum sermonem more Orientalium pronunciare solitos fuisse, probant nomina oppidorum adhuc superstitum, exemp. grat. *Râs^{h}aija, Dàraija, Maarra. Beitlahja, H^{h}as^{s}baija.* Item in oppidis Damasco vicinis, cujus præcipuum est Malula, in lingua Syriaca quæ adhuc ibi viget ut vernacula ut videbimus, pronunciatio Orientalis prævalet. (2) Si in istis Occidentis regionibus lingua Syriaca solita fuisset pronunciari more Occidentalium, nomina a nobis nuper citata pronunciarentur: *Ris^{h}aino, Mairubo, Olmo, Nuhro, Becfàjo, Ris^{h}màjo, S^{h}àlît^{h}o. Ris^{h}ajo, Dôràjo, Màro. Beitlahjo, Has^{s}bàjo.*

(1) Si quis objicit dicens Quomodo haec assertio concordat cum facto notorio quod et super memoratum est, scilicet quod Maronitae, qui sunt praecipui et maxima pars incolarum montis Libani, in cultu religioso linguam Syriacam more Occidentali adhibent? Respondemus hujus diversitatis causam manifestam esse, nempe Maronitas antea quidem, cum scilicet lingua Syriaca usu vulgari utebantur, eam modo Orientalium pronunciasse, postea vero cum hac lingua uti cessassent, assumptis in cultu religioso fere omnibus libris liturgicis Jacobitarum, ab iis didicisse linguam Syriacam pronunciare more Occidentalium in lectione non in loquela. Non impossibile est etiam Maronitas ab antiquis temporibus quibus lingua Syriaca adhuc loquebantur, more Orientalium loqui, at more Occidentalium legere solitos fuisse, sicut hodierni Syriae incolae alio modo linguam Arabicam pronunciant loquendo, alio legendo. Quod probabilius est.

(2) Valde probabilius est Melchitas etiam qui in tota Syria degebant, vel eos qui in montibus erant, linguam Syriacam more Orientalium proferre solitos fuisse, ut vidimus supra.

Unaquæque ex duabus nationibus Syriacis Orientali nempe et Occidentali ardentem curam impendit in lingua Syriaca colenda, expolienda, perficienda, præsertim inde a seculo IV post Christum. Plurimæque pro hoc scholæ erectæ sunt, quarum celebriores duæ erant, altera Edessæ quæ mater seu metropolis Syrorum nuncupatur, altera Nisibi, quæ ambæ urbes Mesopotamiæ sunt. Nam et hoc animadversione dignum est litteraturam Syriacam nullibi tam floruisse primis Christi seculis, nec in Syria, neque in Assyria aut in Babylonia, ut in Mesopotamia.

Litteralis linguæ Syriacæ usus generalis olim fuit in maxima Orientis parte ut diximus supra. Ast ex quo Islamismus apparuit, paulatim sermo Syriacus ab ore populorum cedere incepit, ita ut longo abhinc tempore nulla inveniatur hodie ingens civitas cujus incolæ linguam Syriacam in communi sermone adhibeant. Solis in oppidis ac parvis civitatibus conservata est Syriaca lingua usque ad hunc diem, at multum mutata et corrupta, sicut successio temporum facere solet in omnibus mundi linguis.

Hæc quæ diximus de dialecto Syriaca litterali satis sunto.

Quarta dialectus Syriaca, quæ Samaritana dicitur, vernacula erat sectæ cujusdam ex populo Israelitico, Samaritæ dictæ, quæ urbem nunc Nablus nuncupatam ejusque territorium in Palæstina incolit estque reliquiæ Samaritanorum veterum qui a Judæis sub Jeroboamo rege sese separarunt. Cum enim S^halmanasar Assyriæ rex qui Samaritanorum terras oppugnavit eosque captivos duxit medio circiter seculo VIII ante Christum (2 Reg. XVII), atque ad eorum terras misit colonias Syriacas, ex Babylone aliisque civitatibus imperii Assyriaci collectas, quæ

illas terras habitarent ac colerent, hic novus populus linguam Syriacam quam secum tulerat, conservavit, sed multis vocibus ac usibus Hebraicis deformavit, ut nova inde brevi tempore orta sit Syriaca dialectus, cui placuit nomen linguæ Samaritanæ dari. In hanc linguam converterunt Samaritani Pentateuchum præter quem nullum recipiunt alium librum ex Bibliis Hebraicis; alios quoque habent codices lingua hac sua conscriptos; eorumque alphabetum quo scribunt, ex primitivo alphabeto Aramaico originali, (vulgo dicitur Phœnicium), derivatum est, ex quo cetera nota alphabeta fluxerunt. Samaritanorum, de quibus sermo, qui olim ingentem nationem considerabilem formabant, valde diminutus est numerus hoc nostro tempore; multisque abhinc annis, lingua Samaritana derelicta quam tamen in scholis addiscunt, Arabica utuntur loquela. Hujus extraneæ dialecti Syriacæ lex est ut omnes litteræ gutturales, *he*, *h''et*, et *ảin*, ut *hamza* pronucientur; item in ea, nomina plurium alphabeti litterarum corrupta sunt, dicitur enim: *Bet*, *Gaman*, *je* (pro *he*), *ba* (pro *waw*), *it* (pro *h''et''*), *t''it*, *labad*, *in* (pro *ảin*), *s''an* (pro *s''in*), etc. In scriptura nihil habent Samaritani præter litteras; nulla vocalium signa aut puncta cujuscumque generis scribunt. Lingua Syriaca in hac dialecto omnino more Orientalium pronunciatur. Vocum, quæ a littera quiescente incipiunt, initio solent Samaritani vocalem *a* addere pronunciando.

Atque hæ sunt linguæ Syriacæ dialecti quæ scribuntur.

Dialectorum autem non scriptarum prima est lingua *Assyriaca* vulgaris quæ viget in Assyria, in montibus Orientalibus Mesopotamiæ, in Curdistano, in Persico regno, etc. Dialectus hæc est, ut diximus supra, Syriasmus

valde corruptus innumerisque vocibus exoticis permixtus. Qui hoc idiomate utuntur, ipsi se Syros(ܣܘܪ̈ܝܐ pro ܣܘܪ̈ܝܝܐ) vocant, necnon suam linguam simpliciter appellant Syriacam (ܣܘܪܝܬ). Mirandum tamen est quod hos populos gentes extraneæ cum quibus ii conversantur haud hoc nomine vocent, imo nesciant eos Syriaci generis esse præter litteratos, sed eos quodam contemptu vocent *fallâhʰos* (i.e. *ruricolas*), eorumque linguam *fallâhʰicam (rusticam)*, quasi suum genus et originem in aliorum populorum oculis amiserint. E contra ceteri populi qui, in Mesopotamia Occidentali et in Syria, vulgari Syriaco idiomate utuntur et de quibus mox erit sermo, noscuntur et vocantur Syri ab aliis populis, quamquam hi multo pauciores sint quam illi qui Assyriaca dialecto loquuntur. Pronunciatio Syriaci sermonis in illa Assyriaca dialecto more Orientalium est. Deformatur tamen radicaliter in ea nonnullarum litterarum articulatio ; convertitur enim *hʰetʰ* in *kʰe* et *ain* in *hamzam;* in nonnullis autem locutionibus *zqafa* pronunciatur ut *O* sicut pronunciant Occidentales. Subdividitur hæc dialectus in duas præcipuas varietates, alteram Occidentalem quæ viget præcipue in Assyria partibusque Orientalibus Mesopotamiæ, alteram Orientalem quæ vernacula est Christianorum Syrorum imperii Persici, i.e. provinciæ Urmiæ finitimarumque terrarum et montium. Prior harum duarum varietatum est minus corrupta quam altera.

Secunda dialectus Syriaca vulgaris non scripta, locum habet in montibus Mesopotamiæ qui *Tʰur-Ābdin* dicuntur adjacentibusque locis, quorum omnium incolæ Christiani sunt Syri Jacobitæ. Horum quoque populorum Syriacus sermo corruptus est, sed multo minus quam dialectus Assyriaca quam nuper descripsimus. Pronunciatur

tamen more Occidentalium hæc sola dialectus.

Tertia denique dialectus Syriaca non scripta, erat quondam lingua communis totius Syriæ; hodie tamen ejus usus maxime limitatus est; viget tantum apud exiguum adeo populum in territorii Damasceni tribus oppidis, quorum præcipuum dicitur Malula. (1) Hic parvus populus Christianus est, at sequitur ritum Græcorum id est Ecclesiæ Constantinopolitanæ, seu ad sectam Melchitarum pertinet; sunt tamen inter eum multi Mahomedani qui eodem idiomate utuntur. Hujus dialecti pronunciatio media est inter Orientalem et Occidentalem, at magis ad Orientalium modum appropinquat; *zqafam* enim in fine vocabuli semper ut A proferunt hi Syri, aliquando etiam in medio vocis; duplicant litteras ut Orientales, vocalemque finalem clausam quam sequitur consonans sine productione ut ceteri genuine Aramæi pronunciant. Nonnullas tamen litteras vitiant; *qof* enim ut *h* pronunciant, *taw* durum ut Persicum چ, Gallicum *tch*, Anglicum *ch*, Italicum *c* in *cima*; sæpe *b* ut *p* proferunt. Hæc tamen Malulana est omnium trium dialectorum vulgarium minus corrupta, magisque ad regulas puræ linguæ Syriacæ accedit, et ex hoc capite majorem considerationem meretur. Imo hic populus, quamquam tam minimus, sic spiritu Syriasmi, ut ita dicam, imbutus est, ut vocibus exoticis quas præcipue ex Arabica lingua adoptat, Syriacam formam semper det. Lexicologia tamen Syriaca in hac dialecto valde pauper est; ex Arabica lingua suppletur.

(1) De hac dialecto Malulæ scripsit doctus orientalista R. Duval, et in *Journal Asiatique* n° 3 an. 1879 edidit brevem articulum, cui non desunt errores varii propterea quod auctor qui nunquam hominem Malulanum in sua vita viderat, ad scribendum suum articulum nullum documentum præ manibus haberet præter mancas duarum paginarum notulas quas quidam doctus vir Gallus per Malulam transiens ex ore incolarum festinanter et inaccurate collegerat, sæpe male redegerat, quasque non semel typographia vel mala lectio corruperat.

Diximus supra tres extremas dialectos non esse scriptas; attamen sciendum est primam earum nempe Assyriacam nonnullis abhinc annis scribi cœpisse, primo quidem in regno Persico ubi ànte quinquaginta circiter annos in urbe Urmia Protestantes Americani typographiam erexerunt, qua sacram Scripturam aliosque libros ediderunt ea hujus dialecti Assyriacæ varietate quæ est propria regionis illius Persicæ quæ Aderbig'an dicitur. In urbe autem Mossul ante triginta circiter annos Missionarii catholici ex Ordine S. Dominici imprimere cœperunt religiosos libros lingua Assyriaca vulgari conscriptos sed ea varietate quæ est propria Assyriæ. Quæ duæ varietates dialecti de qua agimus, non parum discrepant inter se. Utraque tamen varietas iisdem characteribus impressa est, scilicet scriptura sic dicta Nestoriana, cum utraque vigeat apud populum qui est origine Nestorianus. In dialectum autem Ṭ'ur-'Abdinensem recenter translatæ sunt a Protestantibus nonnullæ s. Scripturæ partes. Utrique autem dialecto, Assyriacæ inquam et Ṭ'ur-'Abdinensi, diligenti cura studuerunt docti Europæi, librosque elementares grammaticos et lexicographicos ad has duas dialectos addiscendas in linguis Europæis composuerunt. In dialecto autem Ma'lulæ nescimus an aliquid scriptum sit, at credibile est eam aliquando scriptam fuisse, etenim codices quos cap. præced. descripsimus, continentes fragmenta Syriaca librorum liturgicorum ritus Melchitarum, dialecto scripti sunt cui hoc Ma'lulæ idioma simillimum est.

At ex eo tempore quo hæc dialectus in hunc exiguum Ma'lulæ tractum relegata est, admodum rudis evasit, ita ut nemo cogitaverit in ea aliquid scribere, præsertim ob paucitatem eorum qui ea utuntur et ob jurisdictionem non Syriacam cui ecclesiastice subjecti sunt; imo

fama est quosdam ex iis quorum vox a gente illa pretiosas has suorum majorum reliquias conservare satagente auscultanda est, incassum conatos esse eam gentem inducere ut sermoni Syriaco Arabicum substituerent. Ante paucos vero annos in istam plagam quidem juvenis solertissimus orientalista Germanus, Mauritz nomine, se contulit, dialectumque Malulæ discendi operam navavit, ac ejus elementarem grammaticam germanice composuit.

Nunc vero, ut summatim ea quæ hactenus de septem linguæ Syriacæ dialectis exposita sunt perstringamus dicimus: 1° Omnes hæ septem dialecti more Orientalium proferuntur, excepta dialecto T'ur-Àbdin quæ sola more Occidentalium pronunciatur, sicut dialectus litteralis Edessena.– 2° Ex his septem dialectis ea quæ magis ad genuinum ac primitivum Aramaïcum typum accedit, est dialectus Babylonica (dicta Chaldaica), dein lingua litteralis, dein dialectus Malulæ, dein Mandaitica, Samaritana, T'ur-Àbdinensis et tandem Assyriaca.–3° Hæ dialecti discrepant multum inter se, sed unaquæque ex eis cum altera aut pluribus concordat. Nam: *a*- Dialecti Babylonica, Samaritana et Malulana inter se concordant in hoc quod littera præformativa 3^æ personæ totius in aoristo sit in his dialectis *jod^h* sicuti est in linguis Arabica et Hebraica, cum in ceteris dialectis quæ hoc tempus habent ea sit *nun*. *b*- Insuper omnes dialecti præter litteralem, Assyriacam et T'ur-Àbdinensem pluralem omnium nominum *taw* fœminini carentium formant per additionem *jod^h* duplicati in fine. *c*- Præterea Mandaitica, Samaritana et Assyriaca pronunciant *àin* ut *hamzam*. *d*- Deinde Assyriaca cum T'ur-Àbdinensi concordat in eo quod ambæ tempus præteritum et aoristum amiserunt, et pro his

participium agentis et participium patientis adhibent. *e*- Dialectus Samaritana cum Mạlulana concordat quod habent inter verba conjugationem *inp'el* (انفعل) quæ non invenitur nisi in lingua Arabica et Hebraica. (1)

Hæc quoad grammaticam. Quoad lexicographiam autem, dialecti Chaldaica, Mandaitica, Mạlulana et Samaritana mirum in modum inter se concordant, ita tamen ut Chaldaica, præsertim prout est in Targumim vetustioribus, dici possit omnium harum dialectorum archetypus. E contra vocabula in dialectis Assyriæ et Mesopotamiæ magis ad Syriacam litteralem accedunt.

Hic gravissima quæstio sese offert discutienda: Quæ causa fuit tantæ evidentissimæ similitudinis inter dialectum Mạlulanam et linguam Palæstinensem quæ certissime Chaldaica est et ex Babylonia tam dissita originem habuit, ut suo loco satius demonstravimus? – Mihi unica hujus quæstionis solutio est hæc: Antiquitus purus et præcipuus Aramaismus repræsentabatur a dialecto dicta Chaldaica, quæ ideo in omnibus syriace loquentibus regionibus plus minus bene vigebat, exceptis forte partibus Occidentalibus Mesopotamiæ et Orientalibus Syriæ in quibus forsitan idioma vulgare erat plus minus simile Syriasmo linguæ hodie vulgatæ quam dicimus litteralem, qui postea, i. e. circa tempus fundationis Christianismi, communior et prædominans ignota causa evaserit, ita ut Chaldaismum ipsum ceterasque dialectos cessare fecerit in

(1) Ex praecedentibus patet Payne-Smith, auctorem Thesauri Syriaci cujus editio adhuc ad terminum non ducta est, virum ceteroquin maximi meriti, male egisse, quod in dictionario linguæ Syriacæ classicæ inseruerit vocabula corruptissimæ dialecti Urmiæ quæ omnium dialectorum Syriacarum vulgarium hodie vigentium pessima est, vel saltem quod hanc dialectum solam elegerit neglectis ceteris, Assyriaca Occidentali, Turabdinensi, Malulana, quæ maxime illi praestant. Desiderarem etiam quod characteres strangelas adoptasset vir praestantissimus pro Jacobiticis.

omnibus regionibus, exceptis Babylonica (ubi Mandaitica mansit) , Palæstina (ubi dialecti Judæorum et Samaritanorum) et Syria Occidentali (ubi Malulana). Hæc fusius exponentur in cap. VII.

Quo autem clarius innotescat tum concordantia tum

LIBRI GENESI

DIALECTUS ASSYRIACA	SYRIACA LITTERALIS
ܒܫܘܪܝܐ ܒܪܐ ܐܠܗܐ ܝܬ	ܒܪܫܝܬ ܒܪܐ ܐܠܗܐ. ܝܬ
ܫܡܝܐ ܘܝܬ ܐܪܥܐ . ܘܐܪܥܐ	ܫܡܝܐ ܘܝܬ ܐܪܥܐ. ܘܐܪܥܐ
ܗܘܝܐ ܚܪܒܬܐ ܘܣܪܝܩܬܐ .	ܗܘܬ ܬܘܗ ܘܒܘܗ .
ܘܚܫܘܟܐ ܥܠ ܦܐܬܐ	ܘܚܫܘܟܐ ܥܠ ܐܦܝ
ܕܬܗܘܡܐ . ܘܪܘܚܐ	ܬܗܘܡܐ . ܘܪܘܚܗ
ܕܝܠܗ ܗܘܐ ܕܐܠܗܐ	ܕܐܠܗܐ
ܡܪܚܦܬܐ ܥܠ ܦܐܬܐ	ܡܪܚܦܐ ܥܠ ܐܦܝ
ܕܡܝܐ . ܘܐܡܪ ܐܠܗܐ	ܡܝܐ . ܘܐܡܪ ܐܠܗܐ
ܗܘܐ ܢܘܗܪܐ ܘܗܘܐ	ܢܗܘܐ ܢܘܗܪܐ ܘܗܘܐ
ܢܘܗܪܐ . ܘܚܙܐ	ܢܘܗܪܐ . ܘܚܙܐ
ܐܠܗܐ ܠܗ ܢܘܗܪܐ	ܐܠܗܐ ܠܢܘܗܪܐ
ܕܛܒܐ ܝܠܗ . ܘܦܪܫ	ܕܫܦܝܪ . ܘܦܪܫ
ܐܠܗܐ ܒܝܢ ܢܘܗܪܐ	ܐܠܗܐ ܒܝܬ ܢܘܗܪܐ
ܘܒܝܢ ܚܫܘܟܐ . ܘܩܪܐ	ܠܚܫܘܟܐ . ܘܩܪܐ

discrepantia diversarum dialectorum Syriacarum, hic inserimus specimina ex Gen. I et ex Deuter. V desumpta, quatuor dialectis Syriacis expressa, Assyriaca scilicet, Litterali, Samaritana et Chaldaica, in totidem columnis parallelis disposita.

CAPUT PRIMUM

DIALECTUS SAMARITANA	DIALECTUS CHALDAICA
ܒܫܘܪܝܐ ܛܠܩܝܗ ܐܠܗܐ ܝܬ ܫܡܝܐ ܘܝܬ ܐܪܥܐ. ܘܐܪܥܐ ܗܘܬ ܨܕܝܐ ܘܒܝܢܢܐ . ܘܚܫܟܐ ܥܠ ܐܦܝ ܬܗܘܡܐ . ܘܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ ܡܪܚܦܐ ܥܠ ܐܦܝ ܡܝܐ ܘܐܡܪ ܐܠܗܐ ܢܗܘܐ ܢܘܗܪ ܘܗܘܐ ܢܘܗܪ . ܘܚܙܐ ܐܠܗܐ ܠܝܬ ܢܘܗܪܐ ܗܠܐ ܛܒܐ . ܘܦܪܫ ܐܠܗܐ ܒܝܢ ܢܘܗܪܐ ܘܒܝܢ ܚܫܟܐ . ܘܩܥܒ	ܒܫܘܪܝܐ ܒܪܐ ܠܗ ܐܠܗܐ ܠܫܡܝܐ ܘܠܐܪܥܐ . ܘܐܪܥܐ ܚܪܒܬܐ ܘܣܦܝܩܬܐ ܗܘܐ . ܘܚܫܟܐ ܥܠ ܦܐܬܐ ܕܬܗܘܡܐ . ܘܪܘܚܐ ܕܐܠܗܐ ܡܪܦܪܦܐ ܥܠ ܦܐܬܐ ܕܡܝܐ . ܘܐܡܪ ܠܗ ܐܠܗܐ ܗܘܐ ܒܗܘܪܐ ܘܗܘܐ ܠܗ ܒܗܘܪܐ . ܘܚܙܐ ܠܗ ܐܠܗܐ ܠܒܗܘܪܐ ܕܦܫܝܪܐ . ܘܦܪܫ ܠܗ ܐܠܗܐ ܒܝܢ ܒܗܘܪܐ ܘܒܝܢ ܚܫܟܐ . ܘܩܪܐ ܠܗ

DIALECTUS ASSYRIACA

ܐܠܗܐ ܠܢܘܗܪܐ ܐܝܡܡܐ .
ܘܠܚܫܘܟܐ ܩܪܐ ܠܠܝܐ .
ܘܗܘܐ ܪܡܫܐ ܘܗܘܐ
ܨܦܪܐ ܝܘܡܐ ܚܕ ⁘
ܘܐܡܪܗ ܐܠܗܐ . ܗܘܝܐ
ܪܩܝܥܐ ܒܡܨܥܝܬܐ ܕܡܝܐ .
ܘܗܘܝܐ ܡܦܪܫܢܐ ܒܝܢ
ܡܝܐ ܠܡܝܐ . ܘܥܒܕܠܗ
ܐܠܗܐ ܗܘ ܪܩܝܥܐ . ܘܦܪܫܠܗ
ܒܝܢ ܡܝܐ ܕܒܝܢ ܠܬܚܬ
ܠܪܩܝܥܐ : ܘܒܝܢ ܡܝܐ
ܕܒܝܢ ܠܥܠ ܠܪܩܝܥܐ ⁘
ܘܗܘܐ ܗܟܢ ⁘

SYRIACA LITTERALIS

ܐܠܗܐ ܠܢܘܗܪܐ ܐܝܡܡܐ .
ܘܠܚܫܘܟܐ ܩܪܐ ܠܠܝܐ .
ܘܗܘܐ ܪܡܫܐ ܘܗܘܐ
ܨܦܪܐ ܝܘܡܐ ܚܕ ⁘
ܘܐܡܪ ܐܠܗܐ . ܢܗܘܐ
ܪܩܝܥܐ ܒܡܨܥܬ ܡܝܐ .
ܘܢܗܘܐ ܦܪܫ ܒܝܬ
ܡܝܐ ܠܡܝܐ . ܘܥܒܕ
ܐܠܗܐ ܪܩܝܥܐ . ܘܦܪܫ
ܒܝܬ ܡܝܐ ܕܠܬܚܬ
ܡܢ ܪܩܝܥܐ ܘܒܝܬ ܡܝܐ
ܕܠܥܠ ܡܢ ܪܩܝܥܐ ⁘
ܘܗܘܐ ܗܟܢܐ ⁘

DEUTERONOMI

DIALECTUS ASSYRIACA

ܐܢܐ ܡܪܝܐ ܐܠܗܘܟ .
ܕܝ ܐܦܩܠܘܟ ܡܢ ܐܪܥܐ

SYRIACA LITTERALIS

ܐܢܐ ܐܢܐ ܡܪܝܐ ܐܠܗܟ
ܕܐܦܩܬܟ ܡܢ ܐܪܥܐ

DIALECTUS SAMARITANA

ܐܠܗܐ ܠܢܗܘܐ ܐܢܗܘܪ ·
ܘܠܝܒܫܬܐ ܘܡܚܨ ܠܢܗܪܐ ·
ܘܗܘܐ ܕܡܫܝܚ ܘܗܘܐ
ܨܦܪ ܢܘܡܫܐ ܣܢܐ ❖
ܘܐܡܪ ܐܠܗܐ · ܝܗܘܢ
ܢܗܝܪܐ ܒܫܡܫܘܢ ܫܡܝܐ ·
ܘܗܘܢ ܡܦܪܫܝܢ ܒܝܢ
ܝܡܡܐ ܠܠܝܠܝܐ · ܘܥܒܕ
ܐܠܗܐ ܝܬ ܢܗܝܪܐ · ܘܐܦܪܫ
ܒܝܢ ܝܡܡܐ ܕܡܢܗܝܪܝܢ
ܠܢܗܝܪܐ ܘܒܝܢ ܝܡܡܐ
ܕܡܠܠܝܠ ܠܢܗܝܪܐ ·
ܘܗܘܐ ܕܟܢ ❖

DIALECTUS CHALDAICA

ܐܠܗܐ ܠܡܗܘܐ ܢܗܘܪܐ
ܘܠܝܒܫܬܐ ܡܝܐ ܠܗ ܠܢܗܪܐ ·
ܘܗܘܐ ܠܗ ܕܡܫܐ · ܘܗܘܐ
ܠܗ ܨܦܪܡܐ ܘܡܫܐ ܕܬܠܬܐ ❖
ܘܐܡܪ ܠܗ ܐܠܗܐ · ܗܘܐ
ܢܗܝܪܐ ܒܦܠܓܐ ܕܫܡܝܐ ·
ܘܗܘܐ ܦܪܫܝ ܒܝܢ
ܝܡܡܐ ܠܠܝܠܝܐ · ܘܥܒܕ ܠܗ
ܐܠܗܐ ܢܗܝܪܐ · ܘܦܪܫ ܠܗ
ܒܝܢ ܝܡܡܐ ܕܒܝܢ ܠܠܝܐ
ܡܢ ܢܗܝܪܐ ܘܒܝܢ ܝܡܡܐ
ܕܠܠܝܐ ܡܢ ܢܗܝܪܐ ·
ܘܗܘܐ ܠܗ ܗܟܢܐ ❖

CAPUT QUINTUM

DIALECTUS SAMARITANA

ܐܢܐ ܡܪܝܐ ܐܠܗܘܢ
ܕܐܦܩܬܗܘܢ ܡܢ ܐܪܥ

DIALECTUS CHALDAICA

ܐܢܐ ܗܘ ܡܪܝܐ ܐܠܗܘܢ ·
ܕܐܦܩ ܦܠܚܝܗܘܢ ܡܢ ܐܪܥܐ

DIALECTUS ASSYRIACA	SYRIACA LITTERALIS
ܕܡܨܪܝܢ ܡܢ ܒܝܬܐ	ܕܡܨܪܝܢ ܡܢ ܒܝܬ
ܕܥܒܕܘܬܐ . ܠܐ ܒܗܘܐ	ܥܒܕܘܬܐ . ܠܐ ܢܗܘܐ
ܠܘܟ ܐܠܗܐ ܐܚܪܢܐ	ܠܟ ܐܠܗܐ ܐܚܪܢܐ
ܒܪ ܡܢܝ . ܠܐ ܥܒܕܬ	ܠܒܪ ܡܢܝ . ܠܐ ܬܥܒܕ
ܠܘܟ ܨܠܡܐ ܟܠ ܕܡܘܬ	ܠܟ ܟܠ ܨܠܡ ܘܟܠ ܕܡܘܬ
ܕܝ ܒܫܡܝܐ ܡܠܥܠܐ	ܕܐܝܬ ܒܫܡܝܐ ܡܢ ܠܥܠ
ܘܕܝ ܒܐܪܥܐ ܡܠܬܚܬ	ܘܕܐܝܬ ܒܐܪܥܐ ܡܢ ܠܬܚܬ
ܘܕܝ ܒܡܝܐ ܡܠܬܚܬ	ܘܕܐܝܬ ܒܡܝܐ ܠܬܚܬ
ܠܐܪܥܐ . ܠܐ ܣܓܕܬ	ܠܐܪܥܐ . ܠܐ ܬܣܓܘܕ
ܠܗܘܢ . ܘܠܐ ܦܠܚܬ	ܠܗܘܢ . ܘܠܐ ܬܦܠܘܚ
ܐܢܘܢ .	ܐܢܘܢ .
ܐܢܐ ܐܢܐ	ܡܛܠ ܕܐܢܐ ܐܢܐ
ܡܪܝܐ ܐܠܗܘܟ	ܡܪܝܐ ܐܠܗܟ .
ܐܝܠ ܛܢܢܐ	ܐܠܗܐ ܛܢܢܐ .
ܡܦܩܕ ܚܘܒܐ	ܦܪܥ ܚܘܒܐ
ܕܒܒܐ ܥܠ ܒܢܘܢܐ	ܕܐܒܗܐ ܥܠ ܒܢܝܐ
ܥܠ (ܕܪܐ) ܬܠܝܬܝܐ	ܠܬܠܬܐ
ܘܥܠ ܪܒܝܥܝܐ	ܘܠܐܪܒܥܐ ܕܪܝܢ
ܠܣܢܝܝ . ܘܥܒܕ	ܠܣܢܐܝ . ܘܥܒܕ

DIALECTUS SAMARITANA

ܡܝܬܪܝܬ ܡܢ ܒܝܬ
ܥܒܕܘܬ . ܠܐ ܢܗܘܐ
ܠܟ ܐܠܗܝܢ ܐܚܪܢܝܢ
ܥܠ ܐܦܝ . ܠܐ ܬܥܒܕ
ܠܟ ܦܣܠ ܘܟܠ ܕܡܘ
ܕܒܫܡܝܐ ܡܠܥܠܐ
ܘܕܒܐܪܥܐ ܡܠܪܥ
ܘܕܒܡܝܐ ܡܠܪܥ
ܠܐܪܥܐ . ܠܐ ܬܣܓܘܕ
ܠܗܘܢ . ܘܠܐ ܬܦܠܚ
ܐܢܘܢ .
ܐܠܐ ܐܢܐ
ܡܪܐ ܐܠܗܟ
ܐܠ ܩܢܐ
ܦܩܕ ܚܘܒ
ܐܒܗܢ ܥܠ ܒܢܝܢ
ܘܥܠ ܬܠܝܬܝܢ
ܘܥܠ ܪܒܝܥܝܢ
ܠܣܢܐܝ . ܘܥܒܕ

DIALECTUS CHALDAICA

ܕܡܨܪܝܢ ܡܢ ܒܝܬܐ
ܕܥܒܕܘܬܐ . ܠܐ ܗܘܐ
ܠܘܟ ܐܠܗܐ ܐܚܪܢܐ
ܠܒܪ ܡܢܝ . ܠܐ ܬܥܒܕܝ
ܠܘܟ ܨܠܡܐ ܕܟܠ ܕܡܘܬܐ
ܕܒܫܡܝܐ ܡܢ ܠܥܠ
ܘܕܒܐܪܥܐ ܡܢ ܠܬܚܬ
ܘܕܒܡܝܐ ܡܢ ܠܬܚܬ
ܡܢ ܐܪܥܐ . ܠܐ ܬܣܓܘܕ
ܐܠܝܢ . ܘܠܐ ܦܠܚܝܬ
ܐܠܗܝ .
ܫܒܚ ܕܐܢܐ ܝܡ
ܡܪܢܐ ܐܠܗܘܟ
ܐܠܗܐ ܩܢܘܡܠܝ
ܦܪܘܩܐ ܕܥܠܡܐ
ܕܐܒܗܬܐ ܥܠ ܒܢܘܗܝ
ܘܥܠ ܬܠܝܬܐ
ܘܥܠ ܐܪܒܥܐ ܕܪܐ
ܠܣܢܝܢ ܘܥܒܕܝܢ

Diximus supra Chaldaicam dialectum inter omnes Syriacas dialectos nobis notas esse antiquiorem magisque quam dialectum dictam litteralem primitivæ linguæ Aramaicæ vicinam. Age nunc ut aliqua ex argumentis quæ hoc demonstrant producamus. Itaque primum argumentum desumitur ex concordantia aliarum dialectorum Syriacarum cum hac in iis in quibus ea a lingua litterali differt. Id confirmatur alio facto quod scilicet in iis in quibus dialectus Chaldaica a Syriaca litterali differt, cum Arabica mirum in modum convenit quæ, ut notum est peritis, est omnium linguarum Semiticarum nobilissima, antiquissima, elegantissima ac prototypo ex quo omnes semiticæ linguæ fluxere, vicinissima: cum hac concordat dialectus Chaldaica ubi differt a ceteris dialectis. (1) Etenim, ut id exemplis ostendamus: – 1° *a* – In parte grammaticali quæ de proniminibus agit, invenimus in utraque lingua pro pronomine personali suffixo 3æ personæ fœm. litteram *he* motam per *a* ut ܐܒܘܗܐ ابوها (*pater ejus f.*), cum hæc *he* in lingua Syr. litter. sit quiescens, ut ܐܒܘܗ̇. *b* – Item pronomen personale 1æ pers. pl. suffixum est in utraque lingua *na* ut ܟܬܒܢܐ كتبنا (*scripsimus*), cum hoc *nun* in Syr. lit. sit etiam quiescens ut ܟܬܒܢ. *c* – Pariter in utraque lingua pronomen demonstrativum exit in litteram *k*, ut ܕܝܟ ذاك (*iste*), cum in Syr. litt. hoc *k* in pronomine demonstrativo nunquam adhibeatur. *d* – Littera præformativa totius 3æ personæ aoristi est littera *jodh* in illis, ut ܝܒܠܥ يبلع (*deglutit*), cum ea sit *nun* in Syr. litt. ut ܢܒܠܥ. *e* – Infinitus ex verborum conjugationibus quæ *alaf* præfixum habent, ea-

(1) Linguæ Hebraicæ testimonium consulto omittimus utpote suspectum cum putari possit Judæos linguam Chaldaicam qua soli multis abhinc seculis utuntur, ad normam Hebraicæ linguæ modificasse.

dem ratione in duabus linguis formatur, addendo scilicet *a* longum ante ultimam litteram, ut ܐܶܕܪܳܐܟܳܐ (pro ܐܶܕܪܳܟܳܐ et sic cetera) ادراك (*comprehensio*), ܐܶܫܬܰܠܡܳܐ إستلام (*traditio*), ܐܶܫܬܰܥܒܳܕܳܐ استعباد (*captivitas*), cum in Syr. litt. hoc nomen addendo in initio *mim* et in fine *waw* formetur. *f* – Particula *k* (ܟ ك) similitudinis quæ in utraque lingua exstat, in Syr. litt. nonnisi cum ܐܝܟ adhibetur ut ܐܝܟܢ (*sicut*).– 2° Chaldaica dialectus plura vocabula habet idem significantia ac in lingua Arabica. ut verbum ܡܢܰܥ منع (*impedivit*), ܩܨܰܪ قصر (*brevis fuit*), aliaque, quæ alio sensu in Syr. litt. exstant.– 3° Plurima nomina et verba Semitica quæ in lingua Arabica usitata sunt, in lingua Chaldaica sunt conservata, at Syriaca litteralis ea amisit ita ut nullum eorum in ipsa remanserit vestigium; ex. gr. verba:

ܡܶܓܶܠܠ	من اجل	*propter*
ܐܰܘܠܳܐ	أَوَّل	*primus*
ܪܚܶܠܳܐ	رَخَل	*agnus*
ܠܶܝܬܳܐ	ليث	*leo*
ܚܶܢܦܽܘܣܝܬܳܐ	خنفساء	*scarabæus*
ܕܶܦܬܰܪܳܐ	دفتر	*liber*
ܐܶܬܟܢܰܥ	كَنَع	*exterritus est*
ܪܚܶܨ	رَحض	*lavit*
ܙܰܥܦܪܳܢܳܐ	زعفران	*crocus*
ܚܰܢܶܟ	حَنَك	*instruxit*
ܐܰܪܺܝܩ	اراق	*effudit*

ܒܪܟܬܐ	بِرْكَة	*piscina*
ܒܕܝܠ	بديل	*mutuus*
ܓܙܐ	جزى	*retribuit*
ܓܕܦܐ	مجذاف	*ala*
ܟܣܘܦܐ	كسافة	*vituperium*
ܚܠ	حالَ	*transiit*
ܚܡܕ	حمِد	*appetivit*
ܣܥܕܐ	اسعاد	*auxilium*
ܐܬܪܓܦ	رجف	*tremuit*
ܨܘܦܐ	صوف	*pensum lanæ*
ܪܢ	رنّ	*sonuit*
ܬܪܟ	تَرَك	*dereliquit* (1)

Quo clarius hujus argumenti vis appareat, advertendum est plura ex his vocabulis eadem ratione exstare et in dialecto Mandaitica imo et in dialecto Samaritana. Verbum autem ܚܠ videtur amissum esse ex his dialectis etiam, non enim invenitur hodie nisi in dialecto Malulæ.

Quartum argumentum est quod plurima nomina in dial. Chald. pronunciantur ut in lingua Arabica, secus ac in Syr. litt.; exempla hic ponimus, admonentes plurima

(1) Cogitare non licet Judæis, per quorum libros tantum linguam Babylonicam cognoscimus, hujus modi vocabula a lingua Hebraica assumpsisse atque in linguam Babylonicam induxisse. Maxima enim pars horum vocabulorum quæ attulimus, non exstant in lingua Hebraica. Plurima etiam eorum in inscriptionibus Syriacis Pamlyrenis leguntur, ut ܒܕܝܠ et ܚܡܕ.

ex his exemplis eadem esse etiam in dialecto Mandaitica.

ARAB.	CHALD.	SYR. LITT.	
أُذنٌ	ܐܶܕ݂ܢܳܐ	ܐܶܕ݂ܢܳܐ	Auris
أُخْتٌ	ܚܳܬ݂ܳܐ	ܚܳܬ݂ܳܐ	Soror
أنفٌ	ܐܰܦܶ̈ܐ	ܐ̈ܦܶܐ	Vultus
بشارة	ܣܒ݂ܰܪܬܳܐ	ܣܒ݂ܰܪܬܳܐ	Nuncium
دِجلة	ܕܶܩܠܰܬ	ܕܶܩܠܰܬ	Tigris (fl.)
زَمَنٌ	ܙܒ݂ܢܳܐ	ܙܒ݂ܢܳܐ	Tempus
صغيرٌ	ܙܥܽܘܪܳܐ	ܙܥܽܘܪܳܐ	Parvus
ضلعٌ	ܥܶܠܥܳܐ	ܥܶܠܥܳܐ	Costa
ضفدعٌ	ܥܽܘܪܕܥܳܐ	ܐܽܘܪܕܥܳܐ	Rana
اصبعٌ	ܐܶܨܒܥܳܐ	ܨܶܒ݂ܥܳܐ	Digitus
صدّيقٌ	ܙܰܕܺܝܩܳܐ	ܙܰܕܺܝܩܳܐ	Justus
رُكبة	ܒܽܘܪܟܳܐ	ܒܽܘܪܟܳܐ	Genu
سلسلة	ܫܰܠܫܶܠܬܳܐ	ܫܫܰܠܬܳܐ	Catena

Denique lingua Syr.litt. testatur Chaldaicam dialectum sese antiquiorem esse per vocabula quæ ipsa continet formam Chaldaicam habentia, nullatenus suis regulis seu elementis conformia, ex. gr. ܗܳܝܕܶܝܢ et ܗܳܝܕܶܝܟ (*tunc*), in quibus ܕܝܢ et ܕܝܟ in Syriaca lingua litter. nullum sensum habent, at in Chald. significant *hic* et *iste*; idem dicendum de ܐܝܟܐ , ܐܝܟܢܐ , ܐܝܡܟܐ , ܕܝܠܟ ,*(aliis)*. Atque hæc satis sunt ad demonstrandum linguam Syriacam Babyloniorum quæ a Judæis conservatur, puriorem

esse ac eam quam Syri Christiani litteralem vocant. Ex his tamen noli concludere deesse omnino in lingua Syr. litt. puncta in quibus ipsa dialecto Chaldaicæ præstet, hæc tamen paucissima sunt.

Restat ut aliquid dicamus de lingua qua scriptæ sunt famosæ ac innumeræ inscriptiones antiquæ quæ ducentis abhinc circiter annis inveniri cœpere in Babylonia et Ninive exaratæ alphabeto quod dicitur vulgo cuneiforme. Igitur cum hæ inscriptiones cognosci cœperint, eruditi Europæi illis attentionem præstiterunt, magnoque conatu tentarunt eas legere ac interpretari; et post longos ineffabilesque labores non multis abhinc annis aliqui ex his investigatoribus proclamarunt se ex suis studiis ac investigationibus detexisse has innumeras inscriptiones non una esse exaratas lingua, sed maximam earum partem, quæ præsertim ex Ninive ac Babylonia extractæ sunt, esse lingua Semitica exaratas quam Assyriacam nominarunt; has inscriptiones non uno eodemque tempore esse factas, sed plurimis successivis temporibus usque ad tempora epochæ Christianæ; scripturam cuneiformem tria habere alphabeta, quorum unum hieraticum id est sacrum, alterum archaicum, tertium recentius. Lingua autem Semitica quam hi docti sibi suadent se ex illis inscriptionibus eruisse, et quam Assyriacam vocare statuerunt, non est lingua Syriaca seu Aramaica nota, sed ab ea et a ceteris linguis Semiticis magnopere differt. Hæc est summa sententiarum quæ hodie circa linguam inscriptionum cuneiformium Assyriæ et Babyloniæ vigent apud istos paucos eruditos qui harum rerum studiis laudabilissimo proposito sese dederunt in Europa, quorumque principes inter Gallos sunt Oppert, Lenormant, Menant, etc.

Nos autem harum opinionum instituto examine, sentimus eas nullo solido fundamento inniti, contendimusque cum doctissimo orientalista Renan quæstionem de interpretatione inscriptionum Chaldaicarum esse adhuc insolutam. Asserimus ergo linguam quam prædicti eruditi existimant se in inscriptionibus cuneiformibus invenisse et quam novo nomine Assyriacam vocant non posse esse linguam antiquæ Babyloniæ neque Assyriæ, quia Assyriorum atque Babyloniorum qui vulgo nomine Chaldæorum noti sunt, lingua Aramaica erat; hæc autem de qua agimus non est lingua Aramaica, sed est confusa atque insipida mixtura ex linguis Hebraica, Syriaca, Arabica, ac aliis.

Sed antequam ultra in hoc argumento procedamus, operæ pretium existimamus nonnulla de origine regnorum Assyriorum ac Babylonensium necnon de Chaldæis, antiquissimis Babyloniæ Assyriæque dominis ac habitatoribus, disserere. Quoad primum, aliqui ex scriptoribus Europæis recentioribus illa duo regna non a Semitis sed a Cus^{h}itis id est a stirpe Cus^{h} filii Cham fundata esse asseruerunt. Sed contra hanc assertionem habemus quod Ninive quidem, Assyriæ metropolis, clare refertur (Gen. X, 11) ab As^{h}s^{h}ur qui est filius Sem (Gen. X, 22) fundata esse. Quod autem attinet ad Babylonem, dicitur quidem (Gen. X, 11) Nemrod filius Cus^{h} in ea *regnasse*, sed ut *venator* i.e. ut victor (ital. *conquistatore*) non ut fundator. Fundatio enim hujus celeberrimæ urbis locum habuit paulo post diluvii cessationem (Gen. XI, 2 et seq.). Ceterum poterat Nemrod Cushita ut *venator* populos Babyloniæ Semitas subjugare quin inde inferre liceat populos Babyloniæ ipsos fuisse Cushitas, præsertim cum nullibi in historia sacra dicatur Nemrod civitates fundasse, sed tantum in eis regnasse (Gen. X, 10).

Tota autem historia posterior monstrat populos illos fuisse Semitas, ut mox videbimus.

Quoad *Chaldæos* speciatim, plures quæstiones sese offerunt. Cur Chaldæorum nomen apud Hebræos habet litteram *sin* (dicunt enim *Casd*^{hh} pro *Cald*^{hh}), cum apud Græcos, Latinos, Syros, ipsos Rabbinos i. e. Judæorum litteratos habet *lamad*^{h}? (1) Unde orinnda est hæc gens? Differtne stirpe a Babyloniis, Assyriis ceterisque Aramæis populis Orientalibus? Cur hoc nomen apud omnes gentes (apud ipsos Aramæos) synonymum est etiam Astrologorum?

Diversa de his quæstionibus dicta sunt ab eruditis, cum nonnisi incerta de his rebus ut plurimum habeantur documenta. Liceat tamen nobis nonnulla summis labiis attingere. Primo observamus nil certi de his antiquissimis populis nobis innotescere nisi ex sacris Bibliis Hebræorum, cum omnia eorum populorum propria documenta perierint; Græcorum autem libri, quamquam maximam utilitatem afferant, non possunt omnes in testimonium tuto vocari. Ceterum pro antiquissimis temporibus cognoscendis parum inserviunt scriptores Græci, cum antiquissimus horum scriptorum, celeberrimus historiographus Herodotus, nonnisi ineunte seculo V° ante Christum vixerit. Unicus igitur fons ex quo possimus certam ac tutam haurire notitiam de Chaldæis antiquis, est liber sacer Hebræorum.

Jam vero quod ad Chaldæorum originem et genus attinet, sciendum est hunc populum semper creditum

(1) Nomen *Casdæorum* cum *s* videtur notum atque vulgatum fuisse ipsis Chaldæis; Rabbini enim qui linguæ Chaldaicæ antiquæ hæredes evaserunt Chaldæos ut populum per ܟܣܕܝܐ cum *s* significant, ut astrologorum autem cœtum per ܟܠܕܝܐ cum *l*. Item in libro Arabico *Agricultura Nabatæorum* dicto, cujus textus originalis Aramaicus est, nominantur tum Casdæi كسدانيون tum Chaldæi كلدانيون.

esse Semiticum et eumdem ac Babylonensem seu Assyrium. Sed præsentis seculi initiis inter cujusdam scholæ doctos in Europa prævaluit opinio Chaldæos fuisse populum a Babylonensibus, Assyriis ceterisque populis Semiticis Orientalibus diversum, eum non Semiticum fuisse sed Arium seu Indo europæum aut Scytham, vel, ut alii malunt, Turanium seu Mongolicum, scilicet e stirpe Turcarum. Novissimus hujus opinionis fautor videtur esse famosissimus Orientalista Renan. (Vid. *Hist. des lang. Sémit.* pag. 62 et seq.).

Sed, omnibus serio consideratis, antiqua doctrina nobis sola videtur esse vera, nempe Chaldæos et Semiticum populum fuisse et eosdem ac Aramæos Orientales nempe Babylonenses et Assyrios. Etenim, ut a primo incipiamus, observandum est Chaldæorum nomen ut populi regnantis in s. Bibliis primo occurrere tempore Tarach patris Abrahami patriarchæ, centum quinquaginta circiter annis tantum post fundatam Babylonem. (Vid. Gen. XI, 28, ubi narratur Tarachum hunc urbem natalem Ur Chaldæorum reliquisse ut se in Syriam conferret). Observa hic Chaldæos fuisse non solum in Babylonica regione, sed et in Mesopotamia, nam hæc urbs Ur in Mesopotamia erat. Jam vero quod argumentum hic invenere scriptores novæ sententiæ, quod Chaldæi non fuerint Semitæ? Imo cum hæc terra Chaldæorum patria Abrahami ejusque parentum esset qui certissime Semitæ erant, atque illo tempore aramaice loquerentur ut testatur Scriptura, (Gen. XXXI, 47), probabilissimum est Semiticam Abrahami linguam in illa terra vernaculam fuisse. Adde quod si Chaldæi non essent Semitæ, eorum quoque nomen non esset Semiticum; atqui Casdæorum nomen Semiticum est, teste s. Scriptura (Gen. XXII, 22), ubi refertur

nepoti Abrahami hoc nomen impositum esse. Prima mentio igitur nominis Chaldæorum in documentis historicis nullum suppeditat argumentum pro nova opinione quam oppugnamus. Post plura secula apparet denuo Chaldæorum nomen in historia Biblica seculo VIII° ante Christum, sed quomodo apparet? Ut synonymum Babyloniorum, qui, fatentibus adversariis, Semitæ erant, imo quorum terra omnium Semitarum scaturigo fuit et ideo Semitici generis prototypus. Infinita sunt Scripturæ loca in quibus sic occurrit nomen Chaldæorum sensu Babylonensium. Vid. inter cetera 4 Reg. XXV, 4, 5, 10, 13, 24, 25, 26, collata cum v. 1, 11, 13, etc. Vide etiam Is. XLIII, 14 et 48, 14 et 20, in quibus locis ii qui hic et alibi dicuntur Babylonenses, appellantur Chaldæi. Adde Jer. XXI, 4 et 9; XXII, 25; XXV, 12; Ezech. XXIII, 23, ubi expresse nominantur plures urbes Chaldaicæ præter Babylonem. Vide etiam Ez. I, 3 et XI, 24 ubi regio Babylonica terra Chaldæorum vocatur. Nec dicatur Herodotum antiquissimum Græcorum historiographum (VII, 63) Chaldæos ab Assyriis distinxisse cum dixerit illos inter hos vixisse. Nam si admittatur Herodotum per Chaldæos intellexisse Babylonenses, tunc verum est Chaldæos inter Assyrios vixisse, cum hi et illi, quamquam ejusdem originis, duos distinctos populos formarent. Sin autem supponitur Herodotum Chaldæorum nomine famosissimum Astrologorum in Babylonia cœtum, quod probabilissimum est, intellexisse, tunc nulla remanet difficultas. Secus quis sibi persuadere potest Herodotum qui sec. V° vixit antiquitatem melius cognovisse quam tot scriptores Hebræi, Isaias, Jeremias, Hezecias, auctores librorum Regum et alii, qui omnes vel vicini Chaldæis vel cum eis mixti et omnes contemporanei erant; quique cuncti Chaldæos exibent ut eundem

populum ac Aramæos Orientales? Id autem tam notissimum est apud ipsos Aramæos, ut quamquam eorum scriptores nomen Chaldæorum fere nonnisi pro Astrologis usurpent, tamen non raro illud de Syris Orientalibus adhibeant. Satis sit Barhebræi celeberrimi scriptoris Syri testimonium qui in sua parva grammatica metrica de Syris Orientalibus loquens dicit ܐܬܡܗܐ ܕܝܢ ܡܕܢܚܝܐ. ܒܢܝܐ ܕܩܕܡܝܐ ܟܠܕܝܐ «mirabiles Orientales (Syri), filii antiquorum°Chaldæorum.» Vid. etiam Barhebr. *(Édit. Martin, tom. II, pag. 5, l. 10.)*

Profecto nescio an extet in tota veteri historia aliquod factum majoribus ac solidioribus argumentis fultum, an evidentioribus rationibus possit veritas sese manifestare. Nam sane incredibile est quod Chaldæorum immensus, florentissimus ac potentissimus populus, ut doctis notum est, e terra perierit quin reliquias in regionibus quas incolebat reliquerit. Atqui in Babylonicæ regionis populatione hodierna quæ est evidenter Semitica, nullum elementum non Semiticum cernitur præter exiguas colonias Persicas, Turcicas vel Indicas hic illic disseminatas, quæ ab indigenis imo ab ipsismet ut extraneæ considerantur, quemadmodum in universis mundi partibus semper extranei inveniuntur cum indigenis, quasque si quis assereret ab antiquis Chaldæis descendere, is ut stultus ab omnibus haberetur. Denique ut possit prudenter suspicari Chaldæorum fuisse genus non Semiticum, oportet ut habeatur saltem unum aliquod documentum in quo tum Chaldæi (quatenus populus, non quatenus Astrogolorum secta) tum Babylonenses seu Assyrii seu Syri Orientales ut duo populi ab invicem distincti nominentur. Jam vero adversarii nunquam poterunt hujusmodi documentum proferre, cum nos e con-

tra innumera habeamus documenta genuina, authentica, contemporanea et omni exceptione majora contrarium probantia. Vide supra.

Denique tam evidens est ac rationi consentaneum Chaldæos fuisse populum Semiticum, ut ipse Renan, sui ipsius oblitus, aliis in locis sui libri fassus sit Chaldæos non solum Semitas fuisse, sed præcise Aramæos. Nam (pag. 245 et 249 textu et nota, et pag. 250), admisit scientias ac omnigenam culturam quibus celeber in historia Nabatæorum populus illustratus est, tribuendas esse Chaldæis eo quod Chaldæi hoc nomine etiam vocati sint (pag. 242 et 243). Jamvero Nabatæos fuisse Semitas ac præcise Aramæos, est doctrina clarissima ipsius Renan quam sæpe repetit in suo opusculo *Mémoire sur l'âge de...l'Agriculture Nabatéenne* (pag. 243 et 247). Unde necessario sequitur Chaldæos fuisse Aramæos (pag. 243 lin. 3 *ab imo*, pag. 247 l. 6 *ab imo*, 249 l. 7, etc.).

Falsissimum est igitur quod prædicti auctores mira discrepantia asserunt, Chaldæos scilicet fuisse origine vel Scythas, vel Turcas, vel Curdos, vel alium quemcumque populum non Semiticum. Nam quod attinet speciatim ad Curdos (de ceteris enim sufficit eos nominasse ut ridicula absurditas appareat), sequentia observare lubet.— 1. In Aramaicis documentis, et ipsorum Rabbinorum qui in Babylonia litteras Chaldaicas didicerunt scriptis, quæ documenta majorem merentur fidem quam omnes doctorum recentiorum novitatem amantium conjecturæ, alii sunt Chaldæi ܟܰܠܕ̈ܳܝܶܐ, alii Curdi ܩܽܘܪ̈ܕܳܝܶܐ.— 2. Deinde non negamus in Assyriaca regione et in Curdistan existere adhuc Curdos cum Semitis mixtos, sed ii ab omnibus considerantur ut diversissimi a Chaldæis necnon

Persis affines. In Babylonica autem regione ubi potissimum regnabant olim Chaldæi rarissimi sunt Curdi. Profecto si quis in Oriente auderet dicere alicui homini qui se crederet descendere ex antiquis Chaldæis: Tu es Curdus, risu ut non dicam contumelia susciperetur. — 3. Denique, quis homo rerum naturam considerans sibi suadere potest Chaldæos, de quibus notum est ad quantum culturæ intellectualis et civilis gradum ascenderint, eundem esse populum ac Curdos qui, ut notissimum est, nullam unquam litteraturam aut gradum vel minimum culturæ civilis habuerunt nec usque ad hunc diem habent? Igitur inutile est originem Chaldæorum e longinquo petere cum positiva documenta testentur eos aborigines in Chaldæa fuisse, quæ certissime, fatentibus ipsis adversariis, Semitica erat et usque ad hunc diem Semitica est.

Sed adversarii objiciunt quod nomina regum et magnatum Assyriæ non sunt Semitica; ergo Chaldæi non erant Semitæ. — Hoc (non negamus) argumenti speciem habet, estque unicus adversariorum prætextus. Nihilominus respondemus: Aliqua horum nominum, fatentibus adversariis, sunt aperte Semitica; ergo eodem, imo majore jure concludimus Chaldæos qui hæc nomina ferebant Semitas fuisse. Cetera nomina regum et magnatum Chaldæorum prout jacent, in omnibus mundi linguis inexplicabilia sunt; ergo aut dicendum est ea origine quidem Semitica fuisse, sed postea, ignota causa, corruptionem passa esse, ut sæpe evenit; etenim plura nomina Biblica ad Hebræos, Aramæos, Arabes vel ad ceteras gentes Semiticas relata, inexplicabilia sunt prout jacent; aut (quod probabilius est), nomina ad Chaldæos pertinentia, quorum Semitica etymologia non apparet, a Chaldæis (ut astrologis) superstitionis ergo conficta esse ut

astrologica seu magica cognomenta, quod in hujus futilissimæ artis cultoribus vulgatissimum est.

Sed, inquit doctor Renan (lib. cit. pag. 65), Chaldæi, teste Daniele I, 4 habebant linguam propriam, ergo non erant Semitæ .– Respondeo : 1° Argumentatio non regit, ut evidens est; nam poterant Chaldæi linguam propriam habere et simul Semitæ esse .– 2° Chaldæi , teste Daniele II, 4, allocuti sunt regem aramaice, ergo Aramæi erant. Deinde si per Chaldæorum linguam et litteraturam intelligitur astrologia et ceteræ Chaldæorum ut astrologorum scientiæ occultæ , quod probabilissimum est, non sequitur Chaldæos ut populum non fuisse Semitas. Denique etiam apud Romanos dicebatur Latinorum seu Latina litteratura instrui, hodie etiam in scholis Arabum dicitur Arabum litteratura institui, consequiturne Romanes non fuisse Latinos , aut Arabum scholas non esse Arabicas? Ipse Oppert celeber Assyriologus de quo supra, fatetur et sustinet nomina Chaldaica , de quibus sermo, non explicari nisi in lingua quam ipse in inscriptionibus cuneiformibus se invenisse asserit, quæque Semitica est, ut peritis notum est.

Triumphaliter autem objicit Renan (lib. cit. p. 69 et seq.) : Quæ referuntur in historia de magnis gestis Babylonensium et Assyriorum , de eorum militari ingenio et potentia, atque cultura in politica, scientiis , artibus , magnificorumque monumentorum erectione, omnia hæc non possunt Semitis quadrare , quia Semitæ ad res gloriosas moliendas inepti sunt ; ergo Chaldæi qui hæc fecere , non erant Semitæ .– Sed nos retorquentes argumentum respondemus : Hæc omnia gloriosa gesta opus sunt Chaldæorum , ut testatur historia , qui ut supra demonstravimus , Semitæ erant ; ergo falsissimum ac

injuriosissimum est hujusmodi magnarum rerum Semitas incapaces esse. Etiamsi verum esset Judaicam nationem, ut Renan contendit, quam ipse super omnes Semiticas gentes extollit, hujusmodi incapacitatis argumenta exhibuisse, consequiturne omnes Semiticas nationes eodem vitio laborare? Nihilominus alibi (p. 249) admittere coactus est Renan sui oblitus, Chaldæorum scientias in historia tam celebres, Semiticas fuisse.

His prælibatis, demonstrandum nunc nobis est assertum quod supra posuimus, nempe Assyriorum ac Babylonensium linguam Aramaicam fuisse contra Oppert ceterosque Assyriologos qui contendunt hanc linguam Semiticam quidem fuisse, sed non Aramaicam. Id autem duorum generum argumentis demonstrabimus quorum alterum petitur ex lingua ab Assyriologis inventa in se considerata, alterum ex consideratione populorum quibus hæc lingua tribuitur.

Ut a primo incipiamus, observamus ante omnia nomen ipsum ab hac schola excogitatum linguæ Assyriacæ esse omnino novum, nullibi enim in monumentis antiquis memoratur lingua Assyriaca ut ab Aramaica seu Syriaca distincta, vel in ipsis Bibliis sacris quæ tam fuse de Assyriis et Babyloniis loquuntur, neque in ceteris monumentis Judæorum, ut Talmudim quorum unum in ipsa Babylonia factum est. Unde licet concludere nunquam antiquitus extitisse hujusmodi linguam a ceteris linguis hucusque notis distinctam. Deinde cum ceteræ linguæ antiquæ omnes etiam quæ perierunt vestigia plus minus copiosa reliquerint, credibile non est linguam de qua agimus, si extitisset, ne verbum quidem unum in tota antiquitate reliquisse exceptis nominibus propriis quorum etymologia incerta est. Impossibile enim est tantos ac tam

celebres populos quales fuerunt Babylonii ac Assyrii, nullum suæ linguæ vestigium apud posteros vel apud vicinos populos reliquisse.

Alterum argumenti genus ad confutandam linguam Assyriacam Assyriologorum ex positiva historia desumitur, quæ certissime testatur linguam Assyriorum ac Babyloniorum Aramaicam fuisse, eamdem scilicet quæ vigebat olim in Syria ac Mesopotamia, utique cum aliquali varietate sicut omnibus mundi linguis varietas inest propter locorum diversitatem.

Ut ab Assyriis incipiamus, facile demonstratur eorum linguam antiquitus Aramaicam fuisse. Nam – 1° Habemus insigne testimonium sacri Codicis in quo refertur II Reg. XVIII, 26, cum urbs Jerusalem obsidione ab Assyriorum exercitibus cincta esset, Judæorum duces ac sacerdotes ab Assyriorum ducibus petiisse ut lingua propria id est Assyriaca coram plebe Judæa hanc linguam non intelligente, loquerentur. Jam vero hæc lingua in sacro textu appellatur Aramaica. Unde evidens est linguam Assyriorum seculo VIII ante Chr. Aramaicam fuisse, quam ideo magnates Judæorum cognoscebant quia eadem erat ac lingua Syriæ ipsis vicinæ. Effugium autem quo Assyriologorum princeps Oppert hujus argumenti tam certi vim labefactare conatur, dicendo eamdem petitionem Judæos potuisse Assyriis facere etiamsi lingua Aramaica non Assyriæ sed Syriæ tantum vernacula esset, hoc effugium, inquam, nihil illi prodest. Etenim credibile non est Judæos sub terrore Assyriorum versantes eorumque gratiam exquirentes, potuisse eos rogare ut lingua non sua ipsos alloquerentur. Interroga Hebræos apud quos hi libri sacri compositi sunt, qui eos conservarunt quique quotidie eis utuntur inde a tempore quo compositi sunt, et uno ore

tibi respondent hic per linguam Aramaicam intelligi linguam Assyriorum.— 2° Notum est etiam scriptores veteres, præsertim Græcos et Romanos, sæpe linguam Syriæ Assyriacam vocare, tam notorium erat utrique regioni unam eamdemque fuisse linguam. — 3° Luculentissimum quoque testimonium habemus ex lingua Samaritanorum qui ex Babylonia ceterisque Assyriaci imperii locis originem ducunt, teste sacro Codice, II Reg. XVII, 24 quorumque idioma est dialectus Aramaica. Evidens autem est quod si lingua Assyriorum diversa fuisset ab Aramaica, Samaritanorum lingua non potuisset Aramaica esse.— 4° Denique maximum et irrefragabile argumentum nobis exibet factum ut ita dicam palpabile et alte loquens in millibus millium incolarum Assyriæ finitimarumque regionum vastarum, qui sunt reliquiæ vel potius descendentes antiquorum Assyriorum, quique usque ad hunc diem Aramaicam linguam in loquela adhibent quamquam cursu temporum valde corruptam ut omnibus mundi linguis evenire solet, suam hanc linguam eodem nomine ܣܘܪܝܬ *Surith* appellantes ac Syri Mesopotamiæ et Syriæ suam. Quod autem hæc Aramaica dialectus hodie in Assyria vigens antiquissima sit neque ex Syria aut Mesopotamia illuc posterioribus temporibus venerit, ex eo certissimum fit, quod nullam transmigrationem aut invasionem populorum ex Syria vel Mesopotamia in Assyriam memoret historia. E contra historia refert celeberrimas invasiones Assyriorum diversis temporibus factas in Mesopotamiam et Syriam. Historiæ igitur magis consentaneum est asserere Aramaicam linguam ex Assyria in Syriam transiisse. Adde quod tam diversa est dialectus Aramaica Assyriæ a dialectis Aramaicis Syriæ et Mesopotamiæ sicut supra exposuimus, ut impossibile sit

Assyriacam dialectum ex Syria vel Mesopotamia provenisse. Hæc satis de Assyria.

Quod attinet ad Babyloniam, certum est etiam hujus vastæ regionis vernaculam linguam antiquitus Aramaicam fuisse. Nam 1°– Hujus populi lingua sæpe in sacra Scriptura Aramaica expresse vocatur, eodem scilicet nomine quo Syriæ Syriaca lingua appellatur. Vid. inter cetera Dan. II, 4, ubi refertur magos et Chaldæos Nabuchodonosor Babylonis regem lingua Aramaica allocutos esse; ibi autem manifestum est hanc linguam ipsam Syriæ Aramaicam linguam fuisse: hoc seculo VII labente ante Chr. evenit. 2°– Deinde reges Persæ qui Babyloniam postea occuparunt, decreta sua ut testantur sacra Biblia, ad subditos Aramaica lingua promulgabant, eorumque gubernatores hac lingua ad ipsos scribebant: vid. Ezr. IV, 7 et seq. ubi refertur ad Artaxerxem Babyloniæ regem ejus vicarios in Samaria litteras Aramaica lingua scripsisse, ipsumque hac lingua respondisse: hoc medio seculo VI ante Chr. evenit. 3° – Insuper notissimum est in historia factum Judæorum qui ineunte seculo VI ante Chr. cum plus quam dimidium seculum in Babylonia sub captivitate Nabuchodonosor regis transegissent, suaque propria lingua Hebraica loqui cessassent, in patriam reversi sunt idiomate Babylonico utentes quod idioma est evidenter Aramaicum, ut alibi fuse exposuimus, quo idiomate exinde libri apud Judæos scribi cœpere. 4°– Aliud insigne testimonium nobis præbet Mandaitarum (qui sunt antiquorum Babyloniorum descendentes) Semitica lingua, quæ, ut notum est peritis, pure Aramaica est. Hæc sufficiunt de Babylonia in specie.

Generica autem argumenta plura ad confirmandam hanc veritatem quoad Assyrios simul ac Babylonios

habemus. 1°– Notum est linguam Persicæ gentis dictam Pehlevicam, vocabulis mere Aramaicis refertam esse. Unde autem Persæ hæc vocabula Aramaica antiquis temporibus desumere potuerunt? Nonne ex vicinis Assyriis et Babyloniis? Ergo hi duo populi antiquis temporibus Aramaicam adhibebant linguam. 2°– Inde a prioribus Christianismi seculis in quibus lingua Aramaica in Christianismo florere atque documenta scripta posteris relinquere cœpit, Assyriam ac Babyloniam videmus magnam in linguæ Aramaicæ litteratura florescente partem habere. Ergo illis seculis horum duorum populorum linlingua vernacula, Aramaica erat. 3°– Denique Assyriologos nostros qui scilicet linguam prætensam Assyriacam invenerunt, antiquissimisque Babyloniis atque Assyriis tribuunt, interrogamus: Quid factum est de vestra hac lingua ex quo cuneiformi charactere scribi cesssavit? Numquid illico sub terram recondita est cum lapidibus quibus scribebatur? Secus enim, ratio nequaquam potest admittere tantæ ac tam celebris nationis linguam tam radicaliter periisse ut ne vestigium quidem reliquerit neque in lingua quam Judæi captivi Babylone didicere, neque in Samaritanorum idiomate qui ex Chaldæa originem habuerunt, neque in Mandaitarum a Babyloniis antiquis descendentium lingua, neque in idiomate vulgari quod nostra ætate in Assyria ac Babylonide viget, neque in illarum regionum epigraphibus Semiticis scriptis alphabeto alio quam cuneiformi quæ ad nos pervenerunt, neque denique in monumentis veterum scriptorum Græcorum et Latinorum qui multa vocabula Aramaica nobis scriptis suis transmiserunt. Si in Assyria antiquis temporibus alia lingua quam Aramaica viguisset, ut contendunt Assyriorologi, dicant si possunt cur lingua

Aramaica quæ juxta ipsos extranea erat, cujusque populus in Syria et Mesopotamia fere nullam celebritatem habuit, apud tot hominum myriades in Chaldæa conservata est usque ad hunc diem, linguæ autem nativæ eorum Assyriacæ, ne vestigium quidem illic remanserit. 4°– Tandem quis suadere sibi potest in Babylonide vicinisque regionibus in quibus genus Semiticum formatum est, atque ex quibus omnes gentes Semiticæ egressæ sunt, cujusque proinde lingua prima est historice omnium dialectorum Semiticarum, viguisse vel ab antiquissimis temporibus i.e. a seculo XVIII ante Chr. paulo post Sem patris obitum, linguam Semiticam tam deformem, tam insipidam, tam ridiculam ac deficientem qualem Assyriologi nostri nobis exhibent, omnibus litteris gutturalibus carentem, excepto *h'*, quæ tamen littera est præcise ea sola qua caret lingua vulgaris hodiernorum Assyriorum, tempore præterito in verbi conjugatione expertem, *mim* pro Arabum *nun tanwini* habentem cum omnes Aramæi e contra suffixum *mim* Arabum et Hebræorum in *nun* convertant, in qua ipsa nomina *Assyriæ* (1) et *Babylonis* (2) sunt male excogitata, quæ denique pro *a* status emphatici quod omnes gentes Aramææ in Assyria et Babylonide habent, *u* substituit ? (3)

Sed Assyriologorum princeps Oppert opponit 1°– Quod nomina propria regum et magnatum Assyriæ et Babylonis prout ea exhibent Biblia et alia documenta,

---

(1) Nomen Assyriæ in Assyria ipsa est ܐܬܘܪ *Athur* non *Assur* ut excogitarunt Assyriologi.

(2) Babylonis nomen in Babylonia ipsa est ܒܒܠ *Babel* non *Babilu* Assyriologorum, qui haud adverterunt nomina propria in Aramaica lingua nunquam in statu emphatico pronunciari.

(3) Lingua pehlevica clarissime testatur, inter cetera, nomina in lingua Assyriorum ac Babyloniorum in statu emphatico in *a* exiisse non in *u* Assyriologorum nostrorum.

non sunt Aramaica, unde concludit hos populos non fuisse Aramæos.– Respondemus : Doctissimus Renan ejusque schola contendunt hæc nomina non esse Semitica; si ergo argumentatio doctoris Oppert valeret, Assyrii et Babylonii non essent ne Semitæ quidem, et sic funditus corruit tota moles linguæ Assyriacæ ab illo constructa. Sed vide quæ supra *pag.* 71 diximus de his nominibus.

Opponit Oppert 2°– Assyrios descendere ab Assur fratre Aram, non ab ipso Aram; unde concludit Assyrios non fuisse Aramæos.– Respondemus : Cum Assur et Aram essent fratres, optime potuerunt eamdem linguam habere, ita ut cum Hebræi Aramæis viciniores essent, linguam descendentium Assur Aramaicam appellaverint. Ecce enim millia myriadum Syrorum qui hodie Assyriam et vastas regiones vicinas inhabitant, eodem nomine ܣܘܪܝܬ *Surit*^{h} suam linguam vocant quo Syri Mesopotamiæ et Syriæ Aramaicam suam linguam appellant, ut supra diximus. Nonne Chaldæi, i.e. Babylonenses, ex Ham fratre Sem descendere dicuntur? Et tamen Oppertiani ipsi fatentur ipsos eamdem adhibuisse linguam ac Assyrios qui ab Assur nepote descenderunt. Si ergo patrui et nepotis posteri, fatentibus adversariis, eamdem linguam habere potuerunt, a fortiori id poterant posteri duorum fratrum.

Conclusio : Cum ergo certissimum sit linguam Assyriorum et Babylonensium Aramaicam fuisse, cumque lingua quam hodierni Assyriologi, ex inscriptionibus cuneiformibus extrahentes, his populis tribuunt, non sit Aramaica, sed insipida mixtura ex Hebraica, Arabica et Syriaca aliisque linguis, jure et merito concludimus problema de lectura inscriptionum cuneiformium adhuc insolutum remanere. Conentur igitur Assyriologi nova

studia in hanc rem impendere, ut ex inscriptionibus Assyriæ et Babylonis cuneiformibus extrahant linguam vernaculo sermoni harum regionum conformem, quemadmodum Ægyptiologi ex lingua Coptica quæ est superstes Ægypti dialectus, inscriptionum hieroglíphicarum linguam scire potuerunt.

Speciminis ergo hic duo fragmenta exhibemus ex lingua nova Assyriologorum prout ea in lapidibus cuneiformi alphabeto scriptis legunt, charactere Syriaco hodie vigente expressa, ut facilius de hac extranea lingua rectum judicium formetur.

I^m Fragmentum (1)

ܢܝܢܘܫܘ ܐܘ ܡܫܐܪܐܘ ܡܬ ܡܘܙܐܢ ܫܐ ܠܐ ܐܒܠܘܫܫܘ
ܐܢܐ ܢܫܝܪܐ ܠܠܫܫܘ ܘܢܘܙܝܢ ܒܫܬܪܘܙܝܢ ܐܘ ܠܠܝܫ ܢܝܢܘܙܝܢ ܫܐ
ܠܡܫܛܪܝܫܫܘܐܘ ܫܐ ܢܫܒܐ ܠܐ ܐܫܫܐ ܐܢܐ ܫܘܒܫܘܫ ܐܘܙܡܐ
ܐܘ ܒܬܙܘܢ ܫܘܦܫ ܡܬܫܘܫܘ ܐܘܡܪ ܢܙܘܢ ܐܢܫܫ ❀

II^m Fragmentum (2)

DIALECTUS BABYLONICA	DIALECTUS SYRIACA
ܢܒܘܟܘܕܘܪܘ ܐܘܨܘܪ ܫܘܪ.	ܢܒܘܟܕܢܨܪ .
ܫܪ · ܒܒܝܠܘ · ܐܫܐܢܝ ·	ܡܠܟܐ · ܕܒܒܠ · ܢܛܘܪܐ ·
ܙܐܢܫܘ · ܡܫܘܪܢܝܢ ܢܫܘ ·	ܡܕܒܪܢܐ · ܡܗܝܡܢܐ ·
ܦܠܚܝܫ · ܒܡܠܠ · ܒܡܠܝܒ ·	ܦܠܚ · ܡܪܝܐ · ܡܪܘܡܐ ·
ܙܐܢܝܢ · ܒܝܬ · ܫܝܓܐܠܘ ·	ܙܢܘܢܐ · ܕܒܝܬ · ܫܓܝܠܬܐ ·
ܐܘ ܒܝܬ · ܐܝܕܐ · ܘܒܠ ·	ܘ ܒܝܬ · ܙܝܕܐ · ܒܪܐ ·

(1) Vid. Menant, *Manuel de la langue Assyrienne*, pag. 330.

(2) Vid. Menant, *Manuel de la langue Assyrienne*, pag. 292. Post hæc omnia quæ hucusque de hac nova lingua *Assyriaca* disseruimus, judicet impartialis

DIALECTUS BABYLONICA	DIALECTUS SYRIACA
ܪܐܠܡܫܐ . ܢܒܘܟܕܢܨܪܘ	ܓܒܪܐ . ܢܒܘܟܕܢܨܪ
ܐܠܗܘ . ܢܒܘܢܐ . ܒܠܐ .	ܐܠܗܐ . ܢܒܘ ܐܠܗܐ . ܒܝܠ .
ܪܒܘ . ܪܡܢܐ . ܐܠܗܐ .	ܪܒܐ . ܪܡܢܐ . ܕܐܠܗܘܬܐ .
ܐܫܘܪ . ܡܫܚܐ . ܪܡܡܘܬܐ .	ܫܡ . ܡܫܘܚܬܐ . ܪܡܝܡܬܐ .



lector quid sit dicendum de historiis quas isti Assyriologi texuerunt suæ fictæ linguæ innixi de originibus Assyriorum ac Babyloniorum, quæque meræ novitates sunt, veteribus scriptoribus antiquisque monumentis genuinis ignotæ. Dicunt enim ante historica tempora quibus celebres Assyrii nomen acquisiverunt, regiones Assyriorum et Babyloniorum fuisse olim per secula occupatas a quadam natione extranea ex eadem origine descendente ac Turcarum genus, quæ a partibus septentrionalibus versus Orientem vergentibus in Chaldæam irruerit ibique domicilium figerit. Huic genti, cui ejus inventores alii nomen *Accad* seu *Accadiorum*, alii *Sumir* seu *Sumerianorum* dedere, non Semitis tribuunt culturam civilem, leges, religionem, artes et ipsam scribendi artem: asseruntque ipsam esse scripturæ cuneiformis inventricem, quam Assyrii ac Babylonii ab ipsa didicerint. Hanc gentem deinceps ab Assyriis ac Babyloniis stirpis Semiticæ supervenientibus ita superatam esse ut eam paullatim penitus destruxerint nihil ex ea relinquendo nisi ejus scripturam ac religionem. Hujusmodi commenta prædicti Assyriologi in Europæ scholis divulgarunt nullo fundamento innixi præter inscriptiones cuneiformes quarum interpretationem se invenisse proclamant. At in ipsa Europa non defuerunt docti viri qui hujusmodi asserta impugnaverint, inter quos præcipuum tenet locum praelaudatus Renan, celeber orientalista, qui ridiculum notavit eorum qui asserunt genus Mongolicum (ex quo Turcae originem habuere) quod nonnisi destructionibus ac ruinis in mundo innotuit omnibus in seculis, dominatum olim fuisse in Chaldaea finitimisque terris; illud in civili cultura ac liberalibus artibus gentes Semiticas praecessisse; has gentes ab eo eruditas esse, etc. Nobis liceat tantum notare, quod cum lingua Assyriaca quam isti Assyriologi se ex inscriptionibus cuneiformibus eruisse praetendunt, nullo, ut copiose demonstravimus, solido innitatur fundamento admittique nequaquam possit, jure ac merito de veritate linguae Accadicae seu Sumerianae quam ipsi autumant in inscriptionibus cuneiformibus se invenisse, dubitare imo eam recusare possumus et debemus sicut eam plerique inter Europae eruditos recusarunt, inter quos J. Halévy mentionem peculiarem meretur.

CAPUT III

DE SCRIPTURA APUD SYROS ET DE ALPHABETIS.

Qui artem scribendi in mundo invenit, quam maximum generi humano attulit beneficium, pro quo æternas meretur gratias. Attamen ignotum est nomen primi hominis qui hanc pretiosissimam artem invexit, ignotum et ejus tempus. At potest quadam certitudine sciri apud quam gentem ars scribendi primo inducta sit, et quæ gens eam ceteros populos docuerit.

Sententia plurimorum eruditorum est quod scriptura inventa sit apud gentem Semiticam quæ Phœnicia dicitur, quæque extremas versus Occidentem meridionalem Syriæ partes incolebat. Causa ob quam hæc nobilissima ars huic populo tributa fuerit, est quod Phœnices olim navigatione et coloniarum in remotis regionibus institutione celebres, ut historia traditur, artem scribendi populos ad quos migrabant docuerint, maxime autem Græcos, omnis generis cultura et scientia ac liberalibus artibus celeberrimos. Quod non est exiguus honoris titulus stirpi Syriacæ, cum Phœnicia sit parvum Syriæ territorium, cujus illustriores urbes erant Tyrus et Sidon. Phœnices autem Syriacum fuisse populum, testatur evangelium (Vid. Marc. VII, 26); et quidem eorum lingua aut mere Syriaca erat, aut Syriacæ linguæ simillima. (1)

(1) Hic sese offerrent plures de Phœnicibus quæstiones quarum tamen discussionem non est locus in his prolegomenis ex professo aggredi. Nihilominus non possumus eas omnino praeterire. Igitur observandum est Phœnicum nomen nonnisi in Graecorum et Romanorum monumentis inveniri; illi quidem ipsum efferunt per ΦΟΙ, hi autem per *Pu*. Praeter hos duos populos nullibi hoc nomen exstare cognoscitur, nullum enim ejus vestigium in veteri Testamento, nullum in lingua Hebraica; neque Judaei, neque Arabes illud agnoscunt; Syri autem Christiani illud a Graecis didicerunt; et quod animadversione dignum est, Josephus Flavius celeberrimus Judaeorum historicus nunquam in suis historiis vocem Phœniciae aut

Sed examine instituto, innotescit non Phœnices ipsos scripturam invenisse, quanquam eam Græcos et Romanos aliosque populos docuerint, sed hanc artem inventam primo fuisse apud aliquam gentem celebrem de Syrorum seu Aramæorum stirpe, quales erant Babylonii et Assyrii huncque populum illam ceteris populis communicasse, præsertim Phœnicibus, quibus ideo veteres scripturæ inventionem tribuerunt quia eam in Græciam attulerunt. Nullum enim documentum historicum positivum habemus quod testetur Phœnices ipsos hanc artem invenisse; et ex omnibus scriptoribus antiquis qui scripturam Phœnicibus tribuerunt, nemo testari potuit eos ipsam invenisse.

Quod autem Phœnices a Babyloniis vel Assyriis scripturam didicerint, id fere certis argumentis probari potest. Nam – 1° Quamquam Phœnices in historia celebrentur ut navigatione, commercio ac aliquibus aliis artibus versatissimi, tamen nihil aliud de iis memoratur et præsertim quoad scientias. E contra apud Assyrios et Babylonios prima surrexerunt imperia et quidem gloriosissima; historia quoque testatur eos fundamenta culturæ civilis et litterariæ ante ceteros omnes populos posuisse; eorum potentiam et imperium per multa perdurasse secula et ad longinquas terras se extendisse; potentes populos, inter quos ipsos Ægyptios, subjugasse; apud eos primum scientias

Phœnicum adhibuit quamquam græce et apud Græcos scriberet. Phœnices quidem qui dicuntur a Graecis et Romanis, habitabant partem terrae quae a Judaeis Chanaan dicebatur; at non est certum Phœnices et Chananaeos eundem fuisse populum, neque scitur quo nomine Phœnices suam gentem appellarent, et utrum de progenie *Hʰam* ut vulgo creditur fuerint, an de stirpe Aramaica. Hae similesque quaestiones sunt hodie insolubiles, cum nullum documentum scriptum de illo populo ad nos pervenerit, antiqui vero scriptores hujusmodi quaestiones non attigerint. denique nulla gens quae ut reliquiae Phœnicum vel Chananaeorum dignoscatur, superste sit; imo eorum ipsum nomen a multis seculis omnino extinctum sit.

mathematicas, astronomicas aliasque ingenuas artes claruisse, quæ certe sine scriptura consistere nequeunt. Historici enim antiquiores narrant, cum Alexander Magnus Babylonem expugnavit, reperta in ea fuisse documenta observationum astronomicarum ab illius civitatis doctis viris scriptis tradita viginti duobus seculis ante Christum id est a tempore Abrahami. In illis vero longis seculis Phœnices nulla claritate noti fuere; sana ergo ratio nequit concedere Babylonios a Phœnicibus scripturam didicisse. –2° Id confirmatur veterum scriptorum testimoniis. Nam Clemens Alexandrinus qui II post Christum seculo floruit, « Sunt qui asserunt, inquit, Phœnices et Syros primos litteras invenisse. » (Strom. lib. 1); Plinius autem clarissimus philosophus ethnicus qui seculo I post Christum floruit, « Litteras, ait, semper arbitror Assyrias fuisse; sed alii apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt. » (Nat. hist. lib. VI). Inter antiquos historicos qui scripturæ originem Syris tribuerunt, numerandus est Diodorus Siculus qui seculo I ante Christum claruit. – 3° Aliud argumentum habemus validissimum pro Syriaca scripturæ origine, desumptum ex forma nominum ipsarum litterarum alphabeti prout exstant apud Græcos qui litteras a Syris didicerunt, ut supra dictum est; hæc enim nomina formam mere Syriacam habent, cum omnia in A status emphatici exeant, ut mos est nominum in lingua Syriaca; quæ proprietas est sola hujus linguæ. Græci enim cum alphabetum efferunt, dicunt: *Alpha, Beta, Gamma, Delta*, etc. Ex quo evidenter constat litterarum nomina origine Syriaca fuisse. Equidem Syri hodie hæc nomina sine A fere ut Hebræi pronunciant; at nonne possibile est eos post litterarum inventionem nominumque earum formationem,

cœpisse hæc nomina cum *gdhamma* (de quo in grammatica n° 165 et seq.) efferre, abscindendo scilicet litteram A finalem ut solent etiam Syri facere ? Secus enim si Græci a Phœnicibus nomina litterarum alphabeti ea forma qua Hebræi hodie ea efferunt , accepissent, dicendo scilicet : *Aleph* , *Beth* , *Gamal* , *Dalath* , etc. non intelligitur cur iis postea A finale addidissent, et quidem ea regula, qua in lingua Syriaca hujusmodi augmentum emphaticum regitur , ut scilicet ultima vocalis elidatur. Etenim si Græci ipsi auctores fuissent augmenti litteræ A finalis in nominibus litterarum, non dixissent: *Alpha*, *Gamma*, *Delta*, etc. ut Syriacæ linguæ regula requirit, sed: *Alepha*, *Gamala*, *Delatha*, etc. Id autem maxime elucet in *kappa*, quam litteram si Græci a Phœnicibus accepissent , eam pronunciassent *caph* ut hodie pronunciant Hebræi , cum augmento autem A dixissent *caphpha* vel si mavis *capha*. Atqui sunt Syri soli qui pronunciant *cappa*; ergo Græci a Syris didicere litteram *cappa* et consequenter ceteras alphabeti litteras.

Attamen non defuerunt inter Europæ doctos qui contenderint honorem inventionis scripturæ tribuendum esse non Syris seu Phœnicibus , sed Ægyptiis qui et ipsi olim scientiis , artibus ac omnis generis cultura illustrati sunt . Novissimus , quantum sciam , qui hanc opinionem sustinuerit , est notissimus inter orientalistas eruditissimos Joseph Halévy natione Gallus , qui tamen in opere cui titulus « *Mélanges d'épigraphie et d'archéologie* » postquam totis viribus probare conatus est Phœnices ab Ægyptiis scripturam didicisse , coactus est tandem fateri litteras quas Phœnices seu Syri ab Ægytiis didicerint nonnisi tredecim esse , nempe *alaf* , *beth*, *simcath*, *mim* , *resh*, *teth* , *caf* , *nun*, *pe*, *taw*, *ain*,

he, s^hin ! ! At peracto examine, manifestum fit has etiam litteras non esse origine Ægyptiacas, quod sequentibus rationibus probatur – 1° Articulationes *h'eth* et *ʿain* in lingua Ægyptiaca non exstant, non poterant ergo Ægyptii earum litteras cuiquam populo tradere. – 2° Ratio ipsa suadet quod si Semitæ ab Ægyptiis tredecim litteras didicissent, ceterasque alphabeti litteras ipsi invenissent, novas litteras ad calcem litterarum Ægyptiacarum appendissent; attamen nos eas videmus distributas inter has pseudo-Ægyptiacas litteras. – 3° In lingua Ægyptiaca necessario existere debebant aliæ litteræ Semiticis similes præter tredecim de quibus agimus; quis enim sanæ mentis homo sibi suadere potest linguam Ægyptiacam tredecim tantum articulationibus constitisse? Atque sana etiam ratio judicat improbabile esse quod Semitæ aliquas tantum acceperint ab Ægyptiis litteras ceteris relictis et postea novas pro his marte suo invenerint figuras. – 4° Hujus opinionis auctores asserunt nomina tredecim litterarum de quibus quæstio est, esse communia Ægyptiis ac Semitis. Jamvero hoc admitti nequit, etenim nemo omnino scit hodie qualia fuerint apud Ægyptios litterarum nomina; scimus, e contra, Coptos, qui sunt antiquorum Ægyptiorum descendentes, cum Græcorum alphabetum et scripturam seculis posterioribus assumpserunt, haud nova nomina litteris Græcis imposuisse, sed cum litteris Græca earum nomina adoptasse cum levissima mutatione. Quomodo igitur scire possumus similitudinem quam adversarii contendunt? Profecto Syri, quos historia certa testatur multis populis, et vel ipsis Græcis scribendi disciplinam præbuisse, nunquam cogitarunt facere id quod Ægyptii fecerunt, nempe Græcorum alphabetum et scripturam adoptare; et nihilominus

nostri novi doctores volunt Ægyptios omnium populorum in arte scribendi magistros fuisse ! ! – 5° Denique fatemur post maturum examen figurarum Ægyptiacarum litterarum tredecim de quibus quæstio, nullam in iis nos vidisse similitudinem cum respondentibus figuris Semiticis; putamus autem omnem hominem a studio partium alienum, idem judicium ferre.

Remanet igitur generi Semitico et præcise Aramaico gloria inventionis scripturæ quæ in antiquo et novo mundo propagata est.

Itaque omni fiducia et veritate licet nobis affirmare omnes populos artem scribendi a gente Syra didicisse. Etenim notum est omnes populos Europæ Occidentales et Septemtrionales a celeberrimis Romanis scripturam accepisse, notum est etiam Romanos a Græcis litteras didicisse seu potius, ut videbimus, ab illis qui ipsas Græcis tradiderunt; denique notum est etiam certitudine historica Græcum populum qui sapientia, scientiarum cultura et virtutibus inter omnes antiquos populos ad summum fastigium ascendit, a Syris artem scribendi accepisse; traditur enim in antiquis Græcorum fastis, circa annum 1590 ante Christum ad Græciam emigrasse coloniam quamdam ex Phœnicia, quæ est extrema versus Occidentem Syriæ pars, præeunte quodam viro cui nomen *Cadmus* (quæ vox Semitica est significatque principem seu priorem), artemque scribendi illuc induxisse, Græcosque ex illo tempore scribere Syriacis litteris cœpisse usque ad hanc diem. Illud quoque summopere notandum est Græcos nomina litterarum Syriaca usque ad hanc diem religiose conservare, (1)

(1) Unum tantum animadvertendum in nominibus Graecis litterarum, quod scilicet in iis littera *taw* pro *ruccak^h* assumpserit *qus^{h}s^{h}aj*, et vice versa. Dicitur

illasque eodem ordine in alphabeto dispositas reliquisse ac eæ sunt in Semitico alphabeto. Imo Græci, præ omnibus populis qui scripturam a Syris didicerunt, litterarum nomina maxime formam Syriacam portantia habent, cum ut diximus, eorum magna pars in A status emphatici exit, quæ inter omnes linguas Semiticas proprietas est linguæ Aramaicæ, ut supra dictum est; dicunt enim: *Alpha*, *Beta*, *Gamma*, *Delta*, etc. Latini autem nomina litterarum Syriaca amiserunt, illisque nova nomina quorum singula constant articulatione propria sequente vel præcedente vocali *E* substituerunt. Ordinem tamen litterarum alphabeti Syriacum fideliter conservarunt Latini, imo, ut ita dicam, fidelius quam Græci ipsi. (1) Ut ad Græcos redeamus, hi litterarum figuras Aramaicas conservarunt ea forma quam tempore quo eas didicerunt, habebant; at postquam initio a dextra sinistrorsum per annos scripserint Semitarum more, hunc modum deseruerunt, ac cœperunt a sinistra dextrorsum scribere usque ad hanc diem; sæpe antiquis temporibus utroque modo scripserunt, scilicet lineam a dextra sinistrorsum, alteram a sinistra dextrorsum, et sic porro, aratoris modo. Latini etiam initio a dextra sinistrorsum scripserunt. (2)

enim *beta*, *delta*, *heta*, *theta*, pro *bet*^{h}*a*, *delt*^{h}*a*, *het*^{h}*a*, *thet*^{h}*a*. Fatemur difficile esse hujus mutationis dare rationem cum lingua Graeca sono *t*^{h} non careat. Nec est credibile primos Syros non distinxisse sonum *ruccak*^{h} a sono *qus*^{h}*s*^{h}*aj*.

(1) Mirum est Arabes, qui nonnisi recentissime scripturae artem a Syris didicerunt, tum ordinem tum nomina litterarum alphabeti paulo post mutasse, quamquam Arabes origine et lingua sint Syrorum fratres, et cum Syris ipsis mixti semper vixerint.

(2) Mirandum est, hodie nullum extare populum qui a sinistra scripturam et lecturam incipiat praeter Syros, Hebraeos et Arabes cum iis qui horum populorum scriptura utuntur, item praeter Pehlevitas qui sunt veterum Persarum reliquiae; etiam antiqui Persae a dextra scripturam incipiebant. Ceteri populi omnes qui in mundo sunt, vel ipsi qui videntur ab Aramaeis scripturam didicisse ut Abyssini et Indi, a sinistra scribunt et legunt, excepto populo Sinensi et iis qui ejus scripturam adhibent, qui sursum deorsum scribunt et legunt, incipientes a dextra.

Diximus Græcos a Phœnicibus accepisse scripturam. Quoad Italos autem, et præsertim Romanos, a quibus ceteræ nationes Europæ culturam civilem et litterariam didicere , multo probabilius est eos non a Græcis scripturam accepisse , ut vulgo putatur , sed a Phœnicibus ipsis. Multa id suadent.– 1° enim plures alphabeti Latini litteræ diversam habent figuram a Græcis , ut *gamal* (G), *dalat*[h] (D) , *waw* (F) , *pe* (P) . Insuper ex characteribus Latinis sunt qui Syriacis similiores sunt quam Græci, ut *P* et *D* .– 2° Nonnullæ Syriacæ litteræ quæ ex alphabeto Græcorum cecidere,in alphabeto Latinorum remanent videlicet *waw* (F) et *qof* (Q) et quidem propriis locis quos occupant in alpheto Semitico. Incredibile autem est Latinos a Græcis incompletum accepisse alphabetum ac postea illud complevisse inserendo in illud litteras deficientes ex Syriaco alphabeto sumptas eo ordine quo in hoc alphabeto exstant , nisi dicamus Græcos integrum alphabetum , ut a Syris acceperant , Italis tradidisse et postea duas prædictas litteras ex illo expunxisse, quod tamen parum probabile est.

Ex tota hac discussione evidenter colligitur falsos esse illos qui retulerunt Latinos imo et Græcos habuisse initio sexdecim tantum litteras , quibus postea ceteræ litteræ additæ sint; etenim credibile non est Græcos principio deficientem numerum litterarum ex alphabeto Syriaco sumpsisse illudque postea ita complevisse ut novum hoc alphabetum omnino alphabeto Syriaco responderet in litterarum ordine, nominibus et figuris ut reapse res se habet in alphabeto Græco. Idem dicatur de alphabeto Latino.

Attamen hæc historia quadam veritate non caret. Verum enim est Græcos litteras nonnullas alphabeto

Phœnicum addidisse, ad ejus calcem eas relegando; sunt autem quatuor, nempe Φ, X, Ψ, Ω, quæ omnino in alphabeto Semitico desunt, sicut et in alphabeto Latino. Nam quamquam Semitæ primam et secundam ex his litteris pronunciatione habeant, nempe *pe* cum *ruccak^ha* et *caf* item cum *ruccak^ha*, attamen proprios characteres pro iis non habent, sed adhibent characteres *pe* et *caf* cum *cus^hs^haja*. Græci autem noluerunt Syros imitari in hoc ut unus character duplicem habeat pronunciationem, et recte quidem, nam ideo Syri cuique sex notarum litterarum duplicem sonum adscripserunt quia revera eadem est articulatio quæ modo sonum habet asperum, modo lenem, unde nulla erat ratio ut duplex figura itidem illi poneretur. Apud Græcos vero Π et Φ nullam dependentiam inter se habent, item K et X; nisi in conjugatione verborum.

Per hanc quatuor litterarum additionem alphabetum Græcorum evasit viginti quatuor characteribus constans, nempe viginti Aramaicis (nam, ut diximus supra, duas ex alphabeto Aramaico expunxerant litteras) et quatuor additis. Quod autem viginti duas litteras Græci a Syris acceperint, id probat, inter cetera, valor numericus litterarum qui idem est ac apud Syros, ita ut loco deficientium duarum litterarum duo signa numerica litteris Syriacis respondentibus simillima Græci statuerint. Deinde considerandum est octo litteras quas ajunt litteris Phœnicibus additas esse apud Græcos, non in fine alphabeti locum habent, sed distributæ reperiuntur inter ceteras litteras eodem prorsus ordine quo eæ in alphabeto Syriaco extant. Jamvero cuique evidentissimum est quod si hæ litteræ addititiæ essent, eæ in fine alphabeti locum haberent, ut sunt quatuor reapse alphabeto

Phœnicio additæ de quibus supra. Denique inter litteras quas ajunt addititias esse, mumerantur H et Θ ($h^{e}t^{h}$ et $t^{e}t^{h}$ Semitarum). Jamvero hæ duæ litteræ eosdem locos in alphabeto Græco occupant ac litteræ Syriacæ illis respondentes, earum nomina sunt eadem, denique earum figuræ magis quam ceterarum litterarum similes sunt characteribus $h^{e}t^{h}$ et $t^{e}t^{h}$ alphabeti Syriaci.

Cum autem alphabetum Græcum sit unum ex præclaris monumentis quæ antiquitas ad nos transmisit, propter historica documenta quæ in eo includuntur, et cum majores nostri quam maxime necessarium nexum induxerint inter linguam Græcam et nostram Syriacam introducendo in hanc infinita, ut ita dicam, vocabula Græca, linguamque Græcorum tanta consideratione habuerint ut scholarum auditores eadem fere cura eam addiscerent ac linguam Syriacam, propter has causas aliasque alphabeti Græci examen prosequi juvat, ejus litteras singillatim discutiendo.

Prima dicitur *Alpha;* cumque hæc littera in alphabeto Syriaco tum *hamzam*, tum vocalem *A* longam significet, Græci illam pro *hamza* noluerunt adsciscere, sed vocali *A* tum longæ tum brevi illam assignarunt. Hamza autem revera in lingua Græca existit sicut et in omnibus linguis humanis; (1) at Syri qui scripturam in mundum invexerunt, eam ante omnes populos perceperunt illique proprium characterem posuere quod nullus alius populus

(1) Tam verum est sonum gutturalem efferri ante vocalem qua syllaba incipit, ex. gr. in *am, is, u, en*, ut hic sonus aliquando in aliam consonantem gutturalem immutetur. Sic apud Hebræos hic sonus gutturalis convertitur in *he* in conjugatione verbi أفعل et alibi. Sic aliqui populi in Italia hunc sonum convertunt in *k*; dicunt enim *kamo, kil, kuso*, pro *amo, il, uso*. E contra ipsum *he* aliquando in hunc sonum idest in *hamzam* convertitur, quod est hodie commune Francis, Italis ceterisque populis stirpis Latinæ.

fecit; cum autem hic unus character significet etiam in alphabeto Syriaco vocalem *A* longam, Arabum litterati progressum fecere, nam proprium signum hamzæ invenere, quod, ut notum est, simile est minutæ litteræ *ʿain*; recte enim viderunt eam esse veram consonantem ac unam ex litteris gutturalibus. At inter hamzam Arabicæ linguæ ceterarumque linguarum Semiticarum et hamzam aliarum mundi linguarum hoc intercedit discrimen, quod hamza linguarum Semiticarum, præsertim Arabicæ, potest esse et mobilis et quiescens, in ceteris vero linguis et peculiariter in Græca et Latina, hamza non potest esse nisi mobilis in initio vocis aut syllabæ quam vocalis præcedit tantum, nunquam quiescens. Nescio an philologi Europæi hoc discrimen inter linguas Semiticas et suas perceperint scriptisque tradiderint.

Græcorum etiam litterati existentiam hamzæ in sua lingua senserunt, et quidem in initio vocum tantum et signum illi statuere voluerunt; at ad hoc noluerunt primum alphabeti characterem adoptare ad instar Syrorum, sed novum signum illi invenere, quod exiguo *waw* Arabico simillimum est; ad sinistram vocalis scribunt desuper, spiritumque tenuem vocant.

Post *Alpha* habetur in alphabeto Græco *Beta*, quod hodie Græci molle efferunt ut *V* Latinum; at eruditi existimant hanc pronunciationem sero apud Græcos introductam esse, ejusque genuinum sonum esse durum ut *be* Arabicum.

Tertia littera est *Gamma* pro *Gamla* Syriaco propter euphoniam. Et hæc littera hodie a Græcis lenis pronunciatur ut غ Arabicum. Quod diximus de *beta* dicatur de *Gamma*. Tandem hic quoque argumentum habemus quod alphabeti auctor Syrus erat non Hebræus; Hebræi

enim dicunt *Gimel* non *Gamal;* Græci autem didicerunt dicere *Gamla* non *Gimla* .

Deinde *Delta,* cujus sonus et ipse est hodie mollis. Vide *beta* .

Quintæ alphabeti litteræ nomen est *E*, cui postea additum est adjectivum *psilon* (tenue) ut distinguerent ab altero *E* longo cui nomen *Eta*. Hæc littera quæ apud Syros consonans est et gutturalis , apud Græcos vocalis evasit,eadem ratione qua *alpha*. Habent quidem Græci et hunc sonum gutturalem id est *H*, sed in principio vocum tantum, nunquam in medio aut in fine. Latini in medio etiam illum habent, at raro; nunquam tamen apud eos duplicatur, sicut nec apud Hebræos. Latini quidem ad significandum hunc sonum,littera Syriaca *h̬ʰetʰ* utuntur; Græci vero noluere eum charactere denotare,sed eum significant per exiguum signum quod spiritum asperum vocant , quodque idem est ac signum spiritus tenuis sed inversum et eadem ratione scribitur . Probabile tamen est Græcos huic litteræ , de qua agimus , antiquitus dedisse nomen *he* cum spiritu aspero ut est apud S̬yros , et illud scripsisse ʽ*E* ; postea autem sonum spiritus asperi cecidisse, vel potius mutatum fuisse in spiritum tenuem .

Post *he* Syriacum antiquitus exstabat in alphabeto Græco littera *Waw*,at hodie hæc littera hic non invenitur sed ad calcem alphabeti post *taw* translata est vocaturque ʽ*Y* cum spiritu aspero, addito recentius adjectivo *psilon* (tenue). Et hanc litteram , quæ apud Semitas est modo consonans, modo signum vocalis , Græci vocalem tantum reddiderunt . Plura autem probant ΥΨΙΛΟΝ esse origine nostrum *waw* quod post tempus e suo loco translatum sit ad finem alphabeti.– 1° Ejus figura simillima est figuræ veteris *waw*.– 2° Ejus vera pronunciatio est *u* Gallicum,

ut videbimus, quod maxime ad sonum *waw* vocalis accedit, repræsentatque fere semper U linguarum Indo-europæarum ac Semiticarum, nec non ipsius linguæ Græcæ, ex. gr. in ΑΥΤΟΣ quod pronunciatur *awtos* non *ajtos*. – 3° Denique in systemate numerico litterarum alphabeti, quod Græci certe a Syris didicere quodque idem est ac systema Syrorum, Græci locum litteræ *waw* quæ apud Syros numerum sex significat, non prætericrunt, sed ad significandum numerum sex statuerunt signum, litteræ *waw* recentioris simile, quod vocant *epistemon* FAY idest signum *waw*. Quod evidens est argumentum post litteram *epsilon* extitisse antiquitus in alphabeto Græco litteram quæ dicebatur *waw*.

Deinde venit littera, nostro *zain* respondens, quam vocant *Zetà*. In hoc nomine mutatio *n* in *t* inexplicabilis est. Notanda etiam est differentia soni inter *zeta* Græcum et nostrum *zain*, Græcis enim hæc littera duarum consonantium sonum habet, fere ut *tz* Italicum.

Postea venit littera quam ipsi vocant *Eta* pro $h^h et^h a$; apud eos autem non est amplius consonans, sed vocalis E longa. Non est hic prætereundum, quam difficilis sit gutturi non Semitico imo impossibilis recta pronuntiatio hujus litteræ gutturalis fortissimæ, quam tamen infantes Semitarum vix balbutire incipientes facillime et ante omnes ceteros sonos, exceptis labialibus, perfecte pronunciant. Idem dicendum de littera *ʿain* de qua mox. Ut ad litteram *eta* redeamus, Græci antequam spiritus asperi signum statuissent, aspirationem *he* per hanc litteram *eta* significabant ut adhuc faciunt Latini, ut testantur antiquissimæ inscriptiones. Postquam autem spiritum asperum ad significandam aspiratam consonantem *he* invenerunt, litteram $h^h et^h$ ex alphabeto non expunxerunt,

sed illam vocalis E longæ signum fecerunt ut antea diximus. Hæc vocalis a recentioribus Græcis ut I effertur, sed plurima habemus argumenta quæ probant Græcos antiquos eam ut E pronunciasse, quod unanimiter docti affirmant. Id corroboratur testimonio Syrorum qui in vocabulis innumeris quæ ex lingua Græca in Syriacam transierunt, pronunciant *eta* ut E, dicentes exemp. grat. *dial^{h}êqe*, *sk^{h}êma*, non *dial^{h}iqi*, *sk^{h}ima*. Nec difficultatem facit quod Syri Occidentales *eta* pronunciant *I*, nam hoc solemne est Syris Occidentalibus ut *E* etiam Syriacum convertant in *I*.

Post *eta* venit in alphabeto Græco *T^{h}eta* pro *t^{t}et^{h}a*, quæ mutatio in pronunciatione animadversionem meretur quamquam nullius momenti videatur esse ; Græci enim loco duræ litteræ *t^t* (ܛ) dentalis Syrorum quam non habent, substituerunt aspiratum sonum *t^h* (Θ) , cum e contra loco litteræ Syriacæ *taw* quæ aspirata esse potest, simplex *T* collocarunt. Hanc singularem inversionem, Syri, ut ita dicam, correxerunt in vocibus Græcis quæ in suam linguam introduxere ; Græcum enim Θ per *taw* reddiderunt, *T* autem Græcum per *t^{t}et^h* constanter exprimunt. In alphabeto Latino littera *t^{t}et^h* deest cum hunc sonum non habeant Latini neque *t^h* Græcorum.

Deinde *Jota* pro *jod^{h}a*, quæ semper vocalis est apud Græcos ; e contra apud Latinos est modo vocalis, modo consonans ut apud Syros.

Postea *Kappa* cum *a* post *K* ut Syri antiqui pronunciare debebant, nam hodie Syri (Occidentales) dicunt *kof* cum *zqafa* quod erroneum est ; Hebræi enim et ipsi pronunciant *kaf* seu *kaph* cum *pt^{h}ah^{h}a* ; deinde significatio nominis id requirit, nomen enim desumptum est ex *kaf* (palma manus) quod in omnibus dialectis Semiticis

effertur per *pt^hah^ham* .

Deinde *Lambda* (littera *b* euphoniæ gratia inserta est ut linguæ Græcæ indoles exigit), *My*, *Ny*. In harum duarum litterarum nominibus tantum ultima consonans expuncta est ; forsan antiqui dicebant *mim* et *nyn* (pronuncia *nün* modo Gallico), vel potius *mima* et *nüna*.

Deinde venit littera cujus nomen est *Csi* . In origine hæc littera erat Syriacum *s^hin* , cujus sonum cum Græci non habeant, ejus loco sonum duplicem *c* et *s* substituerunt , noluere enim hanc litteram ex alphabeto expungere, sed retinuerunt et ad hunc locum retraxerunt qui locus est litteræ Syriacæ *semcat^h* quam postposuerunt in locum litteræ *s^hin* . Hujusmodi permutatio equidem extranea est. Explicari tamen potest dicendo quod antiquissimi Syri *semcat^h* pronunciabant ut *s^h* et *s^hin* ut *s* quemadmodum faciunt Arabes. Nam et Latini in alphabeto loco *s^hin* habent *S*. In alphabeto Latino nulla littera hic habetur.

Post *csi* exstat in alphabeto Græco litttera *O* pro *ʿain*, quod apud Græcos,item apud Latinos, est semper vocalis. In summa omnes consonantes gutturales alphabeti Syriaci, id est *alaf, he, h^het^h* et *ʿain*, vocales evaserunt apud Græcos . Cæterum notandum est nomen hujus litteræ *O* vicinius esse nomini Syriaco quam Hebraico, Syri enim dicunt *ʿe*, cum Hebræi (item et Arabes) dicunt *ʿain* .

Deinde *Pi* pro *pe* (1) .

(1) Hic habent Græci sonum *P* et in penultimo alphabeti loco habent *F*. Mirum tamen est has duas litteras Græcas quæ hodie sonant ut *P* et *F* Latinorum et Syrorum vel in ore ipsorum Græcorum , antiquitus alios sonos habuisse, testibus populis antiquis qui has litteras ab ore Græcorum audiebant . Et quod magis mirum est, habemus unum populum testem pro una et alterum pro altera . Nam Latini quidem videbant *F* Græcorum diversum sonum habere ac *F* suum , ideoque signum proprium illi statuerunt . E contra Syri id fecere pro *P*. At nec Latini viderunt diversitatem inter *P* suum et *P* Græcorum, neque Syri inter *F*

Postea duæ litteræ alphabeti Syriaci cecidere ex alphabeto Græco *s*ˢ*ade* et *qof*.

Qof quidem exstat adhuc in alphabeto Latino hoc loco. Apud Græcos autem vestigium hujus litteræ manifestum est in systemate numerico alphabeti, in quo hic exstat signum, litteræ *qof* simile, valens XC, cuique nomen est *cophe* seu *coppa*(1).

*S*ˢ*ade* quoque non omnino obliteratum est in alphabeto Græco, habent enim Græci in systemate numerico extra alphabeti litteras signum cui nomen *sampi*, quodque valet 900.

Ultimæ veteris alphabeti Græci litteræ sunt *rho*, *sigma*, *taw*, quæ omnes sine *alaf* finali nominantur.

Rho quidem est pro *res*ʰ ut pronunciant Hebræi et Syri, quod significat *caput*. Attamen Hebræi caput pronunciant *ros*ʰ, quamquam hanc litteram *res*ʰ pronuncient; ex quo tuto colligere possumus auctorem alphabeti non fuisse Hebræum qui huic litteræ nomen dedisset *ros*ʰ, sed Syrum.

Sigma autem est pro *simca* expuncta taw finali nominis Syriaci; attamen Hebræi pronunciant *sameck*ʰ sine taw, quod magis accedit ad nomen Græcum, addito tamen *alaf* emphatico Syriaco. Jam vidimus hanc litteram in alphabeto Græco hic locum *s*ʰ*in* occupare, atque *s*ʰ*in* illuc translatum esse. Imo Hebræi habent in hoc

suum et *F* Græcorum. Quomodo explicari potest hujusmodi singularitas? Sed quidquid sit, tolerari nequit quod Duval sæpe citatus in sua grammatica pag. 30 asserit, nempe eruditos Hebræos ætate David regis idest seculo xiº ante Christum cognovisse alphabetum Græcum, ejusque rationem in sua litteratura habuisse ita ut David ipse in duobus psalmis alphabeticis 25 et 34 post finem versuum a litteris alphabeti Semitici incipientium addiderit versum a *P* Græco incipientem!! Unde scivit illustris auctor *P* in فجى Hebraico sonare ut *P* Græcum? Viditne quid simile apud litteratos Judæos qui de omnibus quæ suam linguam respiciunt scripsere?

(1) Semper nomen Syriacum cum asperitate ut regula Syriaca exigit et cum *alaf* emphatico.

loco litteram quæ duplicem sonum fert, scilicet *s*^{h}*in* et *sin*, quorum hoc Arabico *s*^{h}*in* respondet in vocibus communibus linguis Semiticis, ut عشر , بشر , شال , نشر · Quod non est ex mente avertendum. Probabile est hoc *sin* diversum a *simcat* habuisse sonum antiquissime.

Denique littera *Taw* nomen Syriacum perfecte retinuit, quamquam singularem habeat formam.

Post *taw* exstat ΥΨΙΛΟΝ, de quo supra. Hujus litteræ verum sonum vidimus esse *u* Gallicum, accedentem nempe ad sonum *u* Syriaci, quod probatur etiam testimonio linguæ Syriacæ quæ hanc litteram in vocabulis a Græca lingua sumptis semper pronunciat ut U.

Antequam alphabetum Græcum dimittamus, duo observare liceat.

1° Sex litteræ Syriacæ (ܒܓܕܟܦܬ) quarum quæque duplicem habet sonum idest *qus*^{h}*s*^{h}*aja* et *ruccak*^{h}*a*, omnes in alphabetum Latinum cum sono *qus*^{h}*s*^{h}*aja* ingressæ sunt. Græci autem hodie *b*, *g*, *d* cum *ruccak*^{h}*a* pronunciant, et sic etiam pronunciabant ipso seculo VIII° post Christum ut ex monumentis Syrorum manifestum est. Sed probabile est hanc esse novitatem, Græcosque has omnes litteras cum *qus*^{h}*s*^{h}*aja* pronunciasse olim. Quod ex eo etiam confirmatur, quod si *b*, *g*, et *d* lenes idest aspiratæ a Græcis pronunciarentur, Latini in Græcis vocabulis has litteras scripsissent *bh* vel *v*, *gh*, *dh*, ut scripserunt *ph* non F pro Φ, item *th* pro Θ, *rh* pro P Græco, *ch* pro X. Mirandum est tamen quod Græci discrimen inter suum Φ et F Latinorum ignorarunt aut non considerarunt, etenim eadem figura utramque litteram scripsere; item dicatur de consonanti V Latina, quam modo per B, modo per Y, modo per OY significarunt. Considera diversitatem criterii philologici inter diversas nationes.

2° Nomina litterarum alphabeti apud Græcos argumentum validissimum nobis præbent quod Syriæ incolæ plus quam mille sexcentis annis ante Christum linguam Syriacam pronunciabant more Orientalium non Occidentalium, Græci enim acceperunt a Syris qui ad illos alphabetum attulerunt : *Alpha*, *beta*, *gamma*, etc. per *a*, more Orientalium, non autem *Alpho*, *beto*, *gammo*, etc. ut efferunt Occidentales. Item Græci non dixere *juto*, *cafo*, ut dicerent hodie Occidentales, sed *jota*, *cappa* ad normam Orientalium.

Atque hæc de alphabeto Syriaco quoad nationes Europæas. Quod attinet ad populos Asiaticos, illi etiam sine dubio a Syris scripturam didicerunt. Etenim Hebræi quidem, litteras eodem ordine in alphabeto suo dispositas habent ac sunt in alphabeto Syrorum, idque vel ipsa Davidis regis ætate id est seculo ante Christum XI°, ut manifestum est ex ejus psalmis alphabeticis. Jam vero sine contestatione, alterutra gens debuit hunc ordinem alteri tradere, scilicet aut Hebræi Syris aut Syri Hebræis. Atqui Hebræorum populus in migrationibus, captivitate aut civilibus perturbationibus plura secula exigit, nullumque culturæ civilis aut litterariæ splendorem præsetulit usque ad tempus Davidis regis ; unde palam fit impossibile esse hunc populum credi auctorem ordinis litterarum alphabeti ; et si ordinem litterarum a Syris didicit, ergo et alphabetum ipsum idest artem scribendi ; incredibile enim est Hebræos habuisse antea alphabetum a se inventum et postea hujus litteras ad normam alphabeti Syriaci concinnasse.

Notum etiam est et certum Persas antiquitus alphabeto Syriaco scripsisse, ut historia testatur ; et usque ad hunc diem conservata sunt apud Persas non

musulmanos duo alphabeta ex Syriaco desumpta, quorum alterum dicitur *Zendicum*, alterum *Pehlevicum*. Præterea Armeni antequam efformatum ipsis fuerit seculo VI° post Christum alphabetum quo nunc utuntur, Syriaco alphabeto scribebant, identidem Græco. Arabes denique a Syris scripturam didicerunt, eorum alphabetum adhibentes quo usque ad hunc diem utuntur, quamquam multam variationem temporum decursu subierit donec ad statum quo nunc invenitur reductum sit (1). Vide quomodo omnes populi antiqui celebriores nobilem scribendi artem a Syris didicerint. Nam et Indorum et Æthiopum alphabeta plures insignes eruditi statuunt ab alphabeto Syriaco desumpta esse. De alphabeto Æthiopum nullum dubium esse potest, cum in eo litterarum figuræ fere eædem sint ac in alphabeto Himjaritico de quo supra, quodque certe ab alphabeto Aramaico desumptum est. Tantummodo Æthiopes nonnullam variationem litterarum figuris dederunt ad significandas earum motiones seu vocales.

Non est dubium quin felicissimus homo qui figuras alphabeti invenit, earum etiam ordinem et nomina, quales hodie extant, statuerit. Quod attinet ad nomina, ea certe omnia, vel saltem maxima pars, etymologica sunt, desumpta ex nominibus rerum quas litterarum figuræ repræsentant; *Alaf* enim *taurum* significat utpote cujus figura tauri caput repræsentat (2); *bet^h* significat

(1) Mirandum est Græcos quamquam longe dissitos tum loco tum stirpe tum lingua a Syris a quibus alphabetum didicerunt, horum alphabeti ordinem, figuras atque nomina per tot secula, nimirum plus quam tria millia annorum, intacta prout erant die quo ea acceperunt retinuisse. Arabes autem qui forsitan non ante v^m post Christum seculum artem scribendi a Syris acceperunt tantas immutationes in alphabetum Syriacum quoad litterarum figuras, ordinem et nomina induxisse.

(2) Nomen *alfa* significans *taurum* exstat in lingua Hebraica eratque etiam, ut creditur, in Phœnicia; necessario etiam in lingua Syriaca exstare debebat, sed postea perditum est. Ceterum, interpretatio nominis *alfa* per *taurum* non est certa, etenim Hieronimus et Eusebius scriptores insignes seculi IV et linguæ Hebraicæ

domum ; *gâmal* camelum ; etc. Uno verbo , litterarum figuræ in origine repræsentabant res quarum nomina illis data sunt. Ordo autem seu dispositio litterarum in alphabeto argumentum est clarissimum ingenii ejus auctoris ; non enim litteras disposuit juxta singularum organa quibus efferuntur ut res se habet in alphabeto Sanscritico, sed eas distribuit ita ut possint cursim efferri sine difficultate, (hanc considerationem et celeber Barhebræus fecit) , ponens initio *alaf* quod ex gutture profertur , dein *bet*[h] quod ex labiis , *gâmal* quod ex palato , *dalat*[h] quod ex dentibus , et sic porro ; ita ut facile sit pueris litteras omnes una serie recensere , singula articulationum organa percurrendo unum post aliud quin ullum eorum defatigetur. Aliud etiam in alphabeto observandum est , quod nempe ejus auctor ab *alaf* seu A incœperit alphabetum , quod fere commune est omnibus mundi alphabetis , quod certe imitationis consilio tribuendum est , non enim credibile est inesse in A aliquid quod illud omnibus ceteris articulationibus anteponat.

Jam omnibus notum est alphabeti Syriaci auctorem nullam de vocalibus curam habuisse ; etenim consonantibus tantum alphabetum composuit, et si,cum usitari cœpit , nonnullæ consonantes vice vocalium adhibitæ sunt , potest dici id præter intentionem inventoris alphabeti factum esse.

Cetera alphabeta omnia populorum non Semitarum

---

cognitione versatissimi , cum aliis interpretati sunt hoc nomen per *doctrinam* seu potius *disciplinam* quasi esset ab ܐܠܦ (didicit) quod origine erat verbum *pe-alaf* ut est adhuc hebraice arabice et chaldaice et postea apud Syros mutatum est in ܡܠܦ. Hæc interpretatio multo probabilior est ; recta enim ratio judicat auctorem alphabeti voluisse alphabetum inaugurare non per tauri aut alius belluæ nomen , sed per verbum significans disciplinam ut vel ipso initio alphabeti lectorem advertere. ad disciplinam quæ est alphabeti scopus.

vel ea quæ ab alphabeto Syriaco desumpta sunt, cum ipsis consonantibus figuratas habent etiam vocales. Diverso tamen modo; aliqua enim alphabeta ipsas consonantium figuras temperant juxta vocalium quæ illas comitantur diversitatem : ita sunt alphabeta Abyssinica, Indica, cuneiforme et Ægyptiacum. Hoc systema valde incommodum est; per illud enim multiplicatur enormiter numerus figurarum alphabeti. Alia alphabeta singulis vocalibus figuras separatas in serie consonantium scribendas habent: sic res se habet in alphabetis Græco et Latino ut supra exposuimus, et ceteris quæ ex illorum imitatione conflata sunt, ut Armenorum, Sclavorum, Coptorum, Russorum, etc. Hæc methodus lectori commodissima est, sed scriptori non nihil molesta. Alia denique alphabeta non habent figuras proprias nisi pro consonantibus, neglectis vocalibus, inter quæ principem tenet locum alphabetum Syriacum ut videbimus fusius cap. V.

Atque hæc de alphabetorum litteraria constructione satis sunto.

Ut ad scripturam redeamus quatenus est ars, ignotum est quales fuerint præcise figuræ singularum alphabeti litterarum prout ab inventore delineatæ sunt. Nonnulli inter nostri temporis doctos existimant primum alphabetum cuneiforme fuisse, scilicet figuras litterarum habens ad instar inscriptionum quæ aliquibus abhinc annis a ruinis Ninives, Babylonis aliorumque locorum eruuntur, hocque alphabetum cuneiforme progressu temporum tantas mutationes subiisse ut inde natum sit alphabetum figuratum viginti duarum litterarum. Quidquid sit de hac sententia, certum est primum alphabetum Syriacum viginti duabus figuris constans diversitate temporum et locorum diversa produxisse alphabeta plus minus archetypo

similia. Ex his diversis alphabetis, quæ hodie noscuntur, antiquissimum est alphabetum quod dicitur *Samaritanum*, quo Judæi utebantur ante emigrationem in Babyloniam et quo usque ad hunc diem utuntur paucissimi Samaritani scribendo tum linguam Hebraicam (nam habent Pentateuchum hac lingua conscriptum) tum suam Aramaicam dialectum de qua in præterito capite. Alia alphabeta minus antiqua videntur solum in inscriptionibus, inter quæ celeberrimum est *Phœnicium*, quod invisitur in inscriptionibus quæ a Phœniciæ ruinis aliisque locis potissimum in Africa extrahuntur; tum *Palmyrenum*, proprium inscriptionibus urbis Palmyræ celeberrimæ in Syria orientali; deinde quod eruditi vocant *Nabatæum*, quod scilicet a gente quadam Syriaca Nabatæorum nomine nota in inscriptionibus quæ in Syria meridionali videntur adhibitum est; ab hoc natum est alphabetum *Hhimjariticum*, proprium Arabibus stirpis Hhimjar, a quo (potius a strangelo) conflatum est alphabetum vulgo dictum *Cuficum*, quod denique produxit alphabetum hodiernum Arabicum quod dicitur *Naskhi* النسخي. Hæc omnia alphabeta et cetera quæ descripturi sumus, sunt non solum sibi invicem valde similia, sed etiam alphabetis Græco et Latino. Ex omnibus autem alphabetis Aramaicis quæ ad nos pervenerunt in libris tradita, est alphabetum *Babylonicum* usitatum sub Nabuchodonosor Babyloniæ rege, quod Judæi Babylone didicerunt ubi captivi erant (1), atque post reditum in

(1) Eruditi Europæ qui existimant se mysterium inscriptionum quæ in ruinis Ninives et Babylonis repertæ sunt detexisse, earumque lecturam invenisse, dicunt aliqua ex his inscriptionibus facta fuisse eo ipso tempore quo Judæi in captivitate Babylonica erant, idest seculo VII exeunte ante Chr.; imo in ipso seculo V. Quomodo hoc concordat cum facto historico et certissimo quod scilicet Assyrii et Babylonii alphabetum Aramaicum quod quadratum dicitur in illis seculis adhibebant testibus Judæis qui hoc alphabetum secum asportarunt in patriam redeuntes et

patriam seculo VI ante Chr. conservarunt, eoque usque ad hunc diem utuntur; ab ipsis dicitur *Assyrium*, a Samaritanis *Judaicum*, ab eruditis Europæis *quadratum* propter formam quasi quadratam ejus litterarum. Hujus alphabeti figuræ sunt maxime similes litteris alphabeti Græcorum quod, ut vidimus, originem Syriacam habet. Vides quomodo omnium scripturæ Aramaicæ generum antiquissimum genus non ab ipsis Aramæis adhibetur neque eis notum est, sed genti extraneæ, nempe Judæorum, qui hoc scripturæ genus in magna veneratione tenent, ita ut quidquid eo scriptum sit, ut sacrum ab eis habeatur, ipsumque ejus alphabetum sacrum appellent. Hoc alphabeto tantum scribunt Judæi codices suos sacros; ab eo derivarunt aliud scripturæ genus quod *dimidium* appellant, quoque scribunt negotia profana. Hæc omnia scripturæ genera seu alphabeta litteras habent ab invicem separatas, at quædam litteræ in inscriptionibus Palmyrenis et Nabatæis videntur conjunctæ, præsertim in recentioribus.

Sed antiquissimum scripturæ genus quod Syris hodie notum sit, est illud quod dicitur *Strangelum* seu ut vulgo dicitur *Estrangelum* ܐܣܛܪܢܓܠܐ, quod sine dubio usitatum erat circa I^m seculum Chr. Hoc alphabetum est primum Syriacum alphabetum stricto sensu et, ut vulgo dicitur, formali acceptum. Ejus elementa sunt valde similia litteris alphabeti Babylonii de quo supra; sed magis accedit ad alphabetum Palmyrenum, unde

testibus etiam Mandaitis qui sunt reliquiæ Babyloniorum antiquorum et de quibus mox, utpote qui vetustissimum certe Christianismo multo anterius alphabetum adhibent? Si eruditi prædicti verum senserunt, tunc dicendum quod Aramæi Orientales duo habebant scribendi systemata, alterum viginti duabus litteris constans pro libris aliisque usibus domesticis et civilibus, alterum cuneiforme pro inscriptionibus lapideis.

autumarunt nonnulli hæc duo alphabeta, Palmyrenum nempe et Strangelum simul fuisse usitata, illud in inscriptionibus lapideis, hoc in libris et similibus (1). Inscriptiones quidem Palmyrenæ vetustissimæ non præcessere I^{m} seculum ante Ch., recentissima ad seculum post Ch. III^{m} pertinent. Scripta autem *strangelica* quam maxime vetusta quæ ad nos pervenerint, ad seculum V^{m} post Ch. pertinent, quod quidem quamquam satis antiquum sit, imo omnium ceterarum linguarum scriptorum quæ ad nos pervenerint cum certitudine antiquissimum, attamen non præbet nobis sufficiens argumentum ut cognoscamus qualis fuerit status alphabeti quo Syri scribebant seculo I° post Ch. et deinceps. Nam probabile est quod Syri, saltem in Syria, alphabetum quod dicitur Palmyrenum adhibebant ut in monumentis lapideis ita et in libris ceterisque rebus, quodque hoc alphabetum pedetentim usu mutationes subiit, ita ut tandem seculo V° post Ch. aut etiam antea desierit in illam formam quæ in manuscriptis illius seculi visitur, quæque dicitur strangelica. Quod confirmatur ex eo quod in recentioribus inscriptionibus Palmyrenis videntur nonnullæ litteræ formam præseferre litterarum alphabeti strangeli, item aliquæ litteræ conjunctæ, denique littera *res^h^* punctum habere desuper ut in illo alphabeto, manente tamen *dalat^h^* sine puncto. Unde colligere licet quod si Palmyra remansisset in eo statu quo erat primis Christi seculis usque ad V^{m} seculum, ejus inscriptiones probabiliter haberent formas fere per integrum estrangelas. Nomen autem *Strangelum* seu *Estrangeli* incertum est quo tempore huic scripturæ

(1) Hæc conjectura confirmatur ex eo quod nullum monumentum adhuc repertum sit quod characteribus strangelis inscriptum sit ante Chr. vel primis seculis posterioribus, præter paucos nummos Edessæ cusos, qui seculo I Chr. non sunt antiquiores.

generi datum sit; valde probabile est illud evenisse apud Syros Occidentales seculo IX° aut X°.

Diu igitur Syri Christiani alphabeto solummodo estrangelo scripserunt, donec temporum progressu alia ab eo exorta sint alphabeta. Eodem enim modo quo alphabetum strangelum a Babylonico per diuturnum usum conflatum fuit, sic e strangelo tandem natum est aliud alphabetum magis expeditum et minus intricatum, idest cursivum quodque licet appellare alphabetum vulgare; etenim et Græci et Latini qui scripturam ab Aramæis didicerunt, singuli suum alphabetum cursivum circa Christianismi initia habuere; cursivum autem Syriacum non videtur, saltem in manuscriptis quæ ad nos pervenere, ante seculum VI^{m} extitisse.

At nato hoc vulgari alphabeto, Syri usum prioris idest estrangeli non deseruerunt, sed utrumque adhibere cœperunt, atque post tempus alphabetum strangelum sacris codicibus consecrarunt, unde recte creditur nomen *Estrangelum* originem habuisse quasi esset سطر الانجيل (scriptura evangelii); nam admitti nequit opinio eorum qui dicunt nomen *strangeli* Græcum esse ΣΤΡΟΓΓΥΛΟΝ (*rotundum*), litteræ enim hujus alphabeti nequaquam rotundæ sunt. Non est tamen a veritate absimile nomen hoc originem habuisse a viro qui seriori tempore cura egerit ut hoc alphabetum fere obliteratum redivivum esset et in usum publicum restitueretur. Quod non potuit evenire nisi apud Syros Occidentales. Narrat enim Barhebræus in suo chronico Syriaco Joannem episcopum Cartmin, exeunte seculo X°, multum curasse ut scriptura estrangelica quæ ante plus quam centum annos perierat in usum rediret in Tur-Abdin prope Mardin; et sic Emmanuelem illius episcopi nepotem plus quam septuaginta

codices hoc alphabeto exarasse, continentes sacram Scripturam aliosque libros summa veneratione a Jacobitis habitos. Ab illo tempore cœperunt Jacobitæ scriptura strangelica uti etiam in libris non sacris, præsertim in libris liturgicis, præcipue tamen in capitulorum titulis et similibus. Syri autem Orientales perstiterunt in suo antiquo usu, ut scilicet non scriberent alphabeto estrangelico nisi sacræ Scripturæ libros (1).

Reducamus nunc sermonem ad initia propagationis scripturæ strangelicæ. Cum, ut diximus, Syri duo alphabeta haberent, alterum sacræ Scripturæ proprium, alterum commune, ex hujus alphabeti communis diuturno et frequentissimo usu nova nata sunt alphabeta cursiva, numero tria, quorum primum Nestorianis proprium

(1) Eruditi qui litteraturæ Syriacæ studiis in Europa operam navant, optime investigationes instituerunt circa palæographicam Syrorum, et fere semper optimos fructus inde collegerunt. Ast non satis mirandum quod recentiores inter eos asseruere, nempe Syros scriptores quondam solitos fuisse paginam exarare desursum deorsum, inversa charta. Hoc inter ceteros asseruit novissime Francus vir, litteratura Syriaca eruditus, nomine Rubens Duval in sua grammatica Syriaca, pag. 2. At hoc assertum generaliter sumptum non est exactum. Loca autem ex Barhebræi magna grammatica dicta ܕܨܡ̈ܚܐ, a presbytero Martin, cujus opinionem prædictus Duval secutus est, citata ad hanc opinionem fulciendam, in quibus Barhebræus posteriora vocat puncta quæ sub litteris scribuntur, et anteriora quæ super illis, nihil probant. Nam Barhebræus agebat in illis locis de legendo non de scribendo; legendo autem liber tenetur rectus, non inversus ut evidens est. Ergo incredibile est hunc auctorem locutum fuisse de invertenda charta cum scribitur. Deinde si Barhebræus hoc dicendo consideraret chartam inversam, dixisset *dextra* et *sinistra* ut manifestum est non *ante* et *post*. Insuper in multis suæ grammaticæ locis expresse Barhebræus nominat puncta superiora quæ desuper et inferiora quæ subter scribuntur, ex. gr. in edit. Martin pag. 243 lin. 5; pag. 245 lin. 1 et 4; pag. 246 lin. 8; pag. 248 passim. Ideo autem posteriora dixit puncta quæ scribuntur sub litteris et anteriora quæ desuper, quia consideravit oculum lectoris cadentem super verbum scriptum et sic quod super illo est fit anterius quoad oculum et quod sub illo fit posterius. Auctores Jacobitæ qui de hac re tractarunt, inter quos sufficit nominare Jacobum Edessenum (sec. VII) et Jacobum Barteilensem (sec. XIII), semper usurpant *super* et *subter* loquendo de scriptura. His non obstantibus infitiari non possumus Maronitas in Libano hodie aliquoties scribere Syriace inversa charta, quod forsitan est causa hujus asserti a Maronitis Europæ primo prolati.

est, vulgo autem hodie dicitur Chaldaicum, quod maxime ad alphabetum strangelum accedit. Secundum ad Syros Occidentales pertinet, idest Jacobitas et Maronitas, quo omnes hodie scribuntur libri Syrorum Occidentalium, tum catholicorum tum Jacobitarum, et quod in hoc libro videndum est. Illud alphabetum primo in typographias Europæ introductum est, eoque solo omnes libri Syriaci impressi sunt in Europa usque ad initia hujus seculi, præter paucos libros liturgicos qui seculo proxime elapso Romæ impressi sunt characteribus dictis Nestorianis pro catholicis qui Nestorianismo convertuntur. Male autem egerunt qui alphabetum dictum Jacobiticum in typographias Europæ introduxere (1), debebant enim alphabetum strangelum adoptare quod commune est omnibus nationibus Syri generis quamquam ob temporis ærumnas pauci sint hodie inter utramque sectam qui illud legant, et antiquitate maxima commendatur, potius quam hoc alphabetum uni sectæ proprium et natu recentius; aut poterant ambo alphabeta simul adoptare, strangelum scilicet et vulgare priorum seculorum. At gaudemus quod quinquaginta circiter abhinc annis cœperint orientalistæ in Europa libros Syriacos imprimere characteribus strangelis elegantissimis, quod beneficium debetur primo munificentiæ Anglorum.

Tertium alphabetum cursivum quod e strangelo natum est, proprium est Christianorum Syriæ qui Melchitæ dicuntur, quo scilicet Melchitæ suos libros liturgicos scribebant antequam linguæ Syriacæ usum in sua liturgia

(1) Primus liber Syriacus qui in Europa typis editus sit est Novum Testamentum. At hujus libri, munificentia imperatoris Austriæ anno 1555 pro usu ecclesiarum Syriacarum impressi, quamquam textus characteribus generis dicti Jacobitici impressus sit attamen tituli librorum, capitum et sectionum, satis nitidis strangelis characteribus cusi sunt.

deseruerint et illi linguam Arabicam substituerint. Hoc alphabetum valde accedit ad scripturæ genus præteritorum seculorum quod commune seu vulgare appellavimus; imo scripturæ quam Nestorianam diximus est simillimum. Hæc quoad Melchitas Syriæ. Melchitæ autem Palæstinæ peculiare habebant alphabetum a strangelo certe derivatum, sed a ceteris valde diversum. Recole quæ cap. 1 de hac communitate diximus. Proprium est hujus alphabeti Palæstinensis quod *pi* vocabulorum Græcorum et *pe* duplicatum Syriacum inverso *pe* Syriaco scribantur, ut ܦܝܠܦܘܣ, ܦܝܠܛܘܣ, ܐܦ̈ܐ, pro ܦܝܠܦܘܣ, ܦܝܠܛܘܣ, ܐܦ̈ܐ. littera quoque *h*ʰ*et*ʰ valde accedit ad figuram alphabeti Hebræorum dicti quadrati.

Quo vero tempore hæc tria aut quatuor alphabeta cursiva stabilitatem acceperint, id difficile est dictu; certe non fuit unum tribus. Ex codicibus vero qui ad nos pervenerunt, manifestum est scripturam Occidentalem, quam Jacobiticam diximus, esse anteriorem ætati Barhebræi idest seculo XIII°, nam exstant codices sec. XI° his characteribus scripti. Nestorianorum autem hodiernum alphabetum non videtur seculo XVII° anterius esse (1).

(1) Ex antiquis, quæ ad nos pervenere manuscriptis deducimus quod *Nestoriani* seu *Chaldaici* characteres in usu erant ante seculum decimum septimum, ignoto intervallo. Invenimus enim in ecclesia S. *Isoiabi*, *Mausili*, codicem quatuor evangeliorum hisce characteribus exaratum et quidem diligentissime, anno 1555 æræ vulgaris in cœnobio S. *Michaëlis angelorum socii* prope Mausilium in parte occidentali Tigris fluminis; etiam codicem liturgicum, qui vocatur *Hudra* seu circulus eo quod continet officium totius anni pro ritu Chaldaico, iisdem etiam characteribus perdiligentissime exaratum *Amidæ* seu *Diarbekir* anno 1588. Alios insuper invenimus Mausilii duos codices in æde Patriarchali, quorum primus est *Barhebræi Æthicon*, *Maragæ* in *Adorbijan* anno 1604 æræ Seleucidarum quæ respondet anno 1293 christiano diebus *Marjabalaha III* Catholici patriarchæ, Barhebræi coævo. Hujus codicis characteres sunt adamussim Nestoriani, quibusdam licet variationibus, at litteræ DAL et RA scribuntur ut in characteribus occidentalibus. Alter codex continet acta anachoretarum priscorum, auctore Palladis, membranaceus anni 1105 Seleucidarum seu Christi anni 794, qui licet primo antiquior

Melchitarum Syriæ proprium, videtur XIII° seculo stabilitum esse.

Ex alphabetis Aramaicis quæ ad nos pervenerunt specialem meretur attentionem alphabetum sectæ non Christianæ nec Judaicæ quæ dicitur Mandaitarum, vulgo Sabæorum, de qua præcedenti capite. Hi enim Syri libros suos nullo ex diversis alphabetis Aramaicis usque nunc descriptis exarant, sed proprium habent alphabetum, a primigeno Aramaico sine dubio ortum, quod videtur alphabeto strangelo antiquius, imo verisimile est illud ab alphabeto Babylonio immediate derivatum, sicut et strangelicum ab eo fluxit; etenim in plurimis litteris hæc duo alphabeta idest mandaiticum et strangelicum sibi invicem similia sunt. At alphabeti Mandaitici litteræ omnes colligantur litteris quæ præcedunt et quæ sequuntur exceptis *alaf*, *zain*, *jodʰ*, et *sʰin* quæ cum sequentibus non colligantur; ceteræ autem omnes cum sequentibus connectuntur, vel ipsum *waw*, *dalatʰ*, *he*, *sˢade*, *resʰ* et *taw* quæ in omnibus alphabetis nostris sejuncta scribuntur a sequentibus litteris. Ex his conditionibus jure colligimus alphabetum Mandaitarum quoad originem nihil habere commune cum alphabeto strangelo ex quo omnia alphabeta Syriaca Christianorum orta sunt, idest neutrum ex altero natum esse, alphabetumque Mandaiticum a Babylonico immediate fluxisse. Denique animadvertendum est Mandaitas aliter ac ceteras Aramaicas gentes nomina litterarum efferre; dicunt enim *ʾa*, *ba*, *ga*, *da*, etc. usque ad *ta*.

accedit tamen magis ad Chaldaicos characteres sed littera RA medium quid tenet inter quadratum seu strangelum et occidentalem et auctor adhibuit accentus per minima puncta prout est apud Chaldæos, quamquam non semper illa adhibuerit. Ex quibus pronum est concludere quod Nestoriani characteres jam inde a primis ecclesiæ seculis in usum extiterint. Hic porro codex elapso anno 1896 in montes Nestorianorum Tiarensium delatus fuit. - (*Adnotatio revisoris*).

Hæc autem scripturæ Mandaiticæ differentia a scriptura Christianorum est historiæ studiosis maximi momenti, inde enim necessario alterutrum fluit, scilicet aut eo tempore quo secta Mandaitica a ceteris Syris populis separata est alphabetum strangelum non fuisse adhuc formatum, nam si hoc alphabetum eo tempore extitisset, sine dubio illud quamquam cum aliqua variatione Mandaitæ habuissent sicut ceteri populi generis Syri; aut alphabetum strangelum non fuisse usitatum in illis regionibus in quibus hæc secta nata est, idest in parte meridionali Babylonicæ, Syrosque illius regionis solitos fuisse alphabeto quod Mandaitæ conservarunt scribere. Hoc magis verisimile est, nam, inter cetera, *alaf* in alphabeto Mandaitarum valde simile est *alaf* alphabeti Nabatæorum, qui certe ex Babylonica meridionali oriundi erant. Si Mandaitæ sunt secta Gnostica, ut communis fert opinio et jure quidem merito, primo Christianismi seculo eam natam fuisse necesse est, ergo alphabetum Mandaiticum jam existebat I° seculo in Babylonia meridionali. Manifestum enim est hunc populum antequam religionem quæ dicitur Sabaitica amplecteretur, non potuisse esse Christianum, neque Judæum, nec multo magis Mahometanum; ergo ex paganismo ad gnosticismum transiit qui primo Christi seculo apparuit; nulli autem dubium est hanc sectam apud se conservasse et dialectum et scripturam quæ vulgatæ erant primo Christi seculo in ruribus Babyloniæ meridionalis.

Postquam hæc omnia de alphabetis Aramaicis disseruimus, sponte sese offert maximi momenti consideratio. Ex expositis enim manifestum est quantas mutationes et transformationes vicissitudo temporum in scripturam apud populos Aramaicos effecerit: hoc autem factum

videtur nobis valde mirandum, habita ratione famosissimæ indolis qua genus Semiticum præditum esse vulgo creditur, quod scilicet tenacissimum sit suorum consuetudinum, morum et institutorum; etenim, ut patentissimum exemplum afferamus, Arabica lingua post tam longam seriem seculorum per quam pertransiit, est hodie fere eadem quæ fuit origine. Et tamen quanta diversitas inter Arabicam scripturam hodiernam et illam qua initio islamismi utebantur Arabes! E contra videmus Europæos populos, Græcos, verbi gratia, hodie scribere fere eodem alphabeto quod illis Phœnices attulerunt abhinc plus quam triginta seculis, linguam autem habere magnopere mutatam. Idem fere casus est cum Latinis.

Non placet hoc caput concludere quin de alphabeto Arabum, multis de causis celeberrimi populi, paululum disseramus. Igitur est res historica plena certitudine cognita, alphabetum Arabicum ex Syriaco alphabeto ortum esse. -I° Id evidens est ex similitudine perspicua figurarum inter litteras alphabeti strangeli quod vulgatum erat tempore quo Arabes scribere cœperunt et litteras alphabeti Cufici ut vulgo dicitur, ex quo natum est hodiernum alphabetum Arabicum. 2° Id confirmat ordo classicus litterarum qui est idem ac apud Syros; dicunt enim Arabes ابجد هوز حطى etc. eodem ordine ac Syri. 3° Litterarum figuræ quæ separatæ a sequentibus scribuntur sunt eædem in utroque alphabeto, scilicet *alaf*, *dalath*, *waw*, *zain*, *resh*, exceptis *he*, *s^s^ade* et *taw* quæ ab Arabibus colligatæ hodie scribuntur cum sequentibus. 4° Numerus figurarum est viginti duo apud Arabes quemadmodum apud Syros, quamquam litterarum articulationes apud Arabes sint plus quam viginti duæ. Quando igitur Arabes scribere cœperunt, alphabetum

strangelum aut quod ab eodem fonte derivatum est *Nabatæum* adhibuerunt; cum vero constituerent populum independentem et nihil fere cum Syris habentem, hinc varias et successivas mutationes litterarum formæ subierunt apud illos modo diverso ab eo quod alphabeto strangelo evenit, ita ut seculo VII° post Christum quo islamismus apparuit, Arabes visi fuerint alphabeto proprio quod vulgo hodie dicitur *Cuficum*, scribere. Hoc scripturæ genus etiam diuturno usu mutari cœpit donec ad alphabetum hodie vulgatum quod dicitur *Naskhi* pervenerit; quod dolendum est, nam negari nequit scripturam *Cuficam* si ad genuinum statum restituatur, si punctis diacriticis muniatur et nitide eleganterque scribatur, esse multo magis concinnam, formosam, oculo gratam et lectu expeditam quam scriptura *Naskhica*. Hæc autem *Cufici* denominatio nonnisi postquam hæc scriptura abrogata fuit et antiquata, ipsi data est. Causa vero hujus denominationis est urbs Iraki celebris, dicta Cufa, quæ olim erat sedes Khalifarum Arabum et in qua primo scripti sunt codices islamici ingenti numero, vel (quod probabilius est) in qua diutius hæc scriptura usu viguit quam alibi.

Quonam autem tempore cœperint Arabes scribere, nequit cum certitudine dici (1). At innumeræ inscriptiones

(1) Summa omnium quæ in libris recentiorum Arabum traduntur de usu artis scribendi apud eorum majores hæc est: Himjaritæ qui splendidum imperium in Arabiæ parte meridionali quæ dicitur يَمَن *Iâman* inde a I° Chr. seculo circumcirciter habuerunt, sunt primi Arabum qui uti scriptura cœperint paucis ante Mahomedis ortum annis, edocti a quodam viro Chaldæo, nomine *Murâmmir ibni Murrah* مُرَامِر بن مُرَّة. (Perperam suspicatus est doctissimus Renan in hoc nomine videri Syriacum ܡܪܡܪ, cum hanc vocem Syri Orientales ex quibus ille homo venit pronunciabant non مُر *mur* sed *mâr*). Ceteri Arabes a Himjaritis scripturam

quæ in Hauran et partibus septentrionalibus Arabiæ visuntur, quarum regionum omnium incolæ Arabes erant, lingua et charactere Syriacis scriptæ sunt, a I° seculo Ch. ad V^m, quod argumentum est Arabes sua monumenta non propria lingua solitos fuisse inscribere, sed Syriaca, eo modo quo populi Europæi seculis anteactis sua monumenta non suis vulgaribus linguis scribebant sed Latina. Nam nemo adhuc reperire potuit documentum Arabica lingua scriptum islamismo anterius; vetustiusque documentum Arabicum quod ad nos pervenerit, Mahometis obitui posterius est et scripturam Cuficam fert.

Hic liceat nobis admirari criterium et sagacitatem quam Arabes ostenderunt cum scripturam a Syris mutuati sunt. Etenim cum Arabes vidissent linguam Syriacam nonnisi viginti duas habere litteras, numerumque articulationum suæ linguæ esse majorem, non excogitarunt pro litteris suæ linguæ propriis novas figuras ut aliqui populi septentrionales fecerunt in Europa cum scribere cœperunt, neque pessimum systema uniendi duas aut amplius litteras ad significandam novam articulationem adoptarunt, ut fecerunt Latini cum Θ, X Φ et P Græcorum, et populi Europæi recentes qui duas et interdum tres alphabeti Latini congerunt litteras ad significandum unum sonum suæ linguæ proprium; et utinam

didicerunt. Scriptura Himjaritica appellabatur مُسْنَد *musnad*; ab hac derivata est scriptura Arabica hodierna quæ dicitur جَزْم *g'azm*. Non omnia hæc ab Arabibus scriptoribus tradita, sanæ criticæ consentanea sunt. Nam Arabes tam sero scripturam didicisse incredibile est, cum eorum alphabetum Mahomedis ætate mutationes ab archetypo Syriaco præseferat tales quæ supponant plurium seculorum usum. Deinde impossibile est alphabetum Cuficum a Himjaritico tam diverso, quamquam eandem originem habuerit, desumptum esse, cum e contra illud cursivo Syriaco præteritorum seculorum simillimum sit.

in hoc uniformes essent; etenim (quod non satis mirandum et dolendum) Europæi qui in omnibus artibus maximum perfectionis gradum attigerunt, ac in universis vitæ socialis et domesticæ conditionibus venustati et commoditati totis viribus student, in hac arte scribendi sine qua omnes artes et omnes vitæ conditiones in malum ruunt, videntur puerorum speciem præseferre. Nam, ut quarumdam linguarum intricatissimam et sanis philologiæ regulis contrariam orthographiam omittamus, ex. gr. Francicam et Anglicam, unaquæque lingua sonos quibus lingua Latina caret aut creditur carere, suo modo particulari exprimit; nostrum enim $s^{h}in$, ex. gr., Galli et Portogalli figurant per *ch*, Angli per *sh*, Germani per *sch*, Itali per *sc*, Bohemi per s^{h}, Poloni per *sz*, Hungari per *s*, alii per aliud; et sic ceteræ articulationes. Arabes igitur multo melius secuti consilium hoc systema qui magnam confusionem et incommoditatem ingerit in linguis Europæis, cum invicem collatis tum seorsim sumptis, non adoptarunt, sed ingenium philologicum ostenderunt maximum quo nullus antiquus populus eos æquavit; nam, etsi philologicæ scientiæ ignari, imo nescientes suam Syrorumque linguam esse origine unam, considerando sonum $d^{h}al$ ذال eodem organo efferri ac *dal* دال, satis habuerunt figuram $dalat^{h}$ ad significandum utrumque; eadem ratione processerunt quoad $k^{h}e$ خ et $h^{h}e$ ح, quoad t^{hh} ظ et t^{t} ط, quoad $g^{h}ain$ غ et *ʿain* ع, denique quoad $t^{h}e$ ث et *te* ت. Rectitudo autem hujus modi procedendi manifesta est ex collatione linguæ Arabicæ cum Syriaca, ex qua dignoscitur unumquodque harum litterarum par eodem sono apud Syros efferri; cum igitur antiquis temporibus Syri eodem sono duas litteras ederent, Arabes eadem figura eas novissimo tempore significarunt. Ex quo elucet summum ingenium

philologicum Arabici populi. Quod autem valde admirandum est, cum valuerunt sonum $d^{hh}ad$ ض figurare, non per *àin* litteram per quam Syri hanc articulationem pronunciant, designarunt, sed per $s^{s}ade$ ص qua Hebræi eam pronunciant, quia sonus $d^{hh}ad$ magis ad $s^{s}ade$ accedit quam ad sonum *áin*. Contrarium egerunt cum sono $t^{hh}e$ ظ, quem Hebræi convertunt in $s^{s}ade$ et Syri in $t^{t}e$; eum enim per litteram $t^{t}e$ figurarunt quia sonus $t^{hh}e$ ظ magis accedit ad $t^{t}e$ ط quam ad $s^{s}ade$.

Principio igitur unumquodque prædictarum articulationum arabicarum par unam figuram habebat, deinde, crescente usu, aliæ quoque litteræ eandem figuram singulæ habuere cum aliis, ut $g^{'}in$ ج et $k^{h}e$ خ; *zain* ز et *re* ر; $s^{h}in$ ش et *sin* س; *qaf* ق et *fe* ف; item figuræ *nun* ن, *je* ي; *be* ب et *te* ت valde similes evaserunt in medio et potissimum in initio; et sic plures alphabeti characteres figurarunt singulæ plures sonos, ita ut litteræ sermonis Arabici, quæ sunt viginti octo, nonnisi quindecim habuerint characteres, quæ est vera enormitas, potius amanuensibus tribuenda quam litteratis. Hoc in statu diu manserunt Arabes, etiam postquam alphabetum Cuficum in $nask^{h}i$ mutatum est, sed postea necessitatem distinguendi diversos unius characteris sonos ab invicem senserunt; et tunc systema punctationis idest distinguendi sonos litterarum per puncta excogitarunt; attamen etiam post hujus systematis inventionem multi scripti sunt codices sine punctis. Hodie vero rarissime vel fere nunquam aliquid scribitur sine punctis, excepta subscriptione epistolarum et actuum civilium, quod tamen veri docti non approbant.

Non in hoc tantum quod hactenus exposuimus ostenderunt Arabes suum ingenium philologicum, sed in omnibus litteraturæ partibus. Etenim simul ac pacis

dulci fructu post tot expugnata regna et civitates frui cœperunt, ad suæ linguæ litteraturam colendam, expoliendam, perficiendam sese applicarunt cum mirabili ardore ac successu ; hujus nobilissimæ linguæ, neminem nisi ingenium suum sequentes, grammaticam solidis regulis logicis ac philologicis fundarunt illique mirabilia atque exquisitissima lexica perfectissima methodo composuerunt, quin ab aliquo homine aut populo docerentur aut dirigerentur in toto hoc negotio : et sic longe post se brevissimo tempore Syros reliquerunt a quibus artem scribendi didicerant. Hactenus de scriptura apud Arabes.

Reliquum est ut de genere scripturæ quod *Garshuni*, non *Carshuni* ut post Maronitas (quorum proprium est ܓܡܠ Syriacum ut ܟܦ pronunciare) vulgo scribitur aliqua dicamus. Scriptura igitur *garshunica* in eo consistit quod lingua Arabica litteris Syriacis scribatur. Hoc scripturæ genus invenerunt Syri post apparitionem et propagationem islamismi eo scopo ut de rebus suis religiosis et ecclesiasticis Mahomedanos Arabes celarent, nam fere semper in his rebus usi sunt hoc scripturæ genere ; id autem potuerunt quia Mahomedanorum nemo unquam litteras Christianorum discere voluit ; et aliunde scriptura Arabica, quamquam origine Syriaca, tam in illo tempore transformata erat ut illius cognitio non sufficeret ad legendam scripturam Syriacam. Licet igitur aliquo modo dicere quod Syri per hoc scripturæ genus scripturam Arabicam restituerunt ad illam conditionem in qua erat tempore quo Arabes scribere cœperunt.

Usus scripturæ garshunicæ omnibus sectis Christianis communis fuit, per alphabetum singulis proprium, exceptis Melchitis Syriæ, quos non videmus garshunice scripsisse libros suos ne quidem religiosos. Etenim Mel-

chitarum Syriæ libri qui Syriace conscripti sunt, habent quidem rubricas semper sermone Arabico scriptas at litteris Arabicis etiam; unde videntur clerici Melchiticæ sectæ, inde ab islamismi initiis intelligentiam linguæ Syriacæ amisisse ut necesse fuerit rubricas prædictas lingua Arabica scribi; excipimus tamen duos aut tres codices in quibus rubricæ Arabicæ exaratæ sunt garsʰunice. Apud ceteras autem sectas Christianas, scilicet apud Nestorianos, Jacobitas et Maronitas rubricæ librorum ecclesiasticorum semper Syriacæ et litteris et lingua fuere usque ad hunc diem, exceptis rarissimis nulliusque momenti codicibus Jacobiticis vel Maroniticis, in quibus rubricæ garsʰunicæ sunt.

Cum autem Syri qui systema scripturæ garsʰunicæ excogitarunt considerassent plures esse in lingua Arabica sonos quibus lingua Syriaca caret, imitati sunt Arabum agendi rationem cum a Syris scripturæ artem didicerunt, id est singulos duos sonos eodem organo articulatos eadem littera Syriaca figurarunt, nempe *t* ت et *tʰ* ث littera *taw*, *d* د et *dʰ* ذ littera *dalatʰ*, *sˢ* ص et *dʰʰ* ض littera *sˢade*, *tᵗ* ط et *tʰʰ* ظ littera *tᵗetʰ*; hucusque recte; *gⁱ* ج et *gʰ* غ littera *gâmal*, *k* ك et *kʰ* خ littera *kaf*, et hic male, debebant enim *gⁱ* غ per *ʿain* et *kʰ* خ per *hʰetʰ* figurare. Ad distinguendum autem unum sonum ab altero in his æquivocis litteris, eadem fere ratione processere ac in distinguendo *ruccakʰ* a *qusʰsʰaj*, paucis mutatis; quod in sequenti tabella videsis, ubi circellus niger positus est pro puncto rubro Occidentalium.

LITTERÆ GARSHUNICÆ DUPLICIS SONI

APUD ORIENTALES			APUD OCCIDENTALES		
ܓ̰	=	ج	ܓ̰	=	ج
ܓ̣	=	غ	ܓ̣	=	غ
ܕ	=	د	ܕ	=	د
ܕ݂	=	ذ	ܕ݂	=	ذ
ܟ	=	ك	ܟ	=	ك
ܟ݂	=	خ	ܟ݂	=	خ
ܨ	=	ص	ܨ	=	ص
ܨ̇	=	ض	ܨ̇	=	ض
ܛ	=	ط	ܛ	=	ط
ܛ̇	=	ظ	ܛ̇	=	ظ
ܬ	=	ت	ܬ	=	ت
ܬ݂	=	ث	ܬ݂	=	ث

Parvulum signum quod Orientales sub gâmal scribunt ad significandum ج, est ipsa littera Arabica ج minute scripta et truncata. Nota apud utrosque litteras ص et ط sine puncto scribi (1).

Syros Christianos imitati sunt in garsʰunica scriptura Indi Christiani qui Malabares dicuntur, quique religionem Christianam et linguam Syriacam a Syris Nestorianis didicerunt (2). Illi enim suam linguam Indicam quæ *Malajalam* dicitur, litteris Syriacis scri-

(1) Liceat paucis describere codicem Arabicum singularissimum in quem Damasci incidi quique postea in Europam asportatus est. Hic codex primo aspectu apparet garsʰunice characteribus Syriacis Jacobiticis scriptus ; attente tamen illum perlustranti singularia innotescunt. Codex est membranaceus, in fol. gr., oblongus. Continet episodium ex historia Arabum anteislamica. Mutilus est in fine et epigraphe caret. Duas species scripturæ habet, quarum secunda, anterior tempore, Jacobitica apparet, sed in multis differt. Nam alaf, he, tʰetʰ, caf, lamadh, nun, ʿain, qof, taw, plus minus distant a formis hujus alphabeti. Articulationes autem quæ in lingua Syriaca non habent figuras proprias, ita expressæ sunt : ج = ܓ̰, غ = ܓ̇, ذ = ܕ, ظ = ܛ̇, خ = ܟ̰, ض = ܨ̇, ث = ܬ̣ aut ܬ̈. Nescio an exstat aliud exemplum hujus scripturæ Arabicæ.

(2) Christiana religio in India non per Nestorianos initium habuit sed, primo quidem per Apostolum Thomam et exinde cœpit in diem per illas regiones efflorescere, donec seculo decimo sexto in Nestorianam hæresim delapsa est. Etenim legenti acta S. Jonan anachoretæ Sancti Eugenii socii, qui quarto seculo cœnobium suum Anbari in Irac quæ Pheros et Sapor nominatur constituit, apparet religionem christianam floridam plura ante Nestorianismum secula fuisse in regionibus Catarensibus inter Aramaicas Orientales seu Chaldaicas et Indicas plagas sitis ac in ipsa India, protendebaturque usque in Sinas, adeo ut præfatus S. Jonan cœnobium quoddam bene constitutum nomini S. Thomæ dicatum in India visitaverit (cf. acta Sanct. et Martyr. tom. 1 editionis Bedjan pag. 465). Hæ porro regiones jam inde a principio christianæ religionis subjectæ erant Sedi Patriarchali Babylonensi stanti eo tempore in regia Persarum urbe Salik et Ctesiphon quæ et Madain seu urbes vocabatur. Legimus enim veridicis in historiis quod Joannes Persidis episcopus, qui et ipse Catholico Babylonensi, ut patet, subjectus erat, Nycænum primum concilium adiit ac professionem fidei nomine Persidis atque Indiarum ecclesiæ dedit. At enim postquam in hæresim Nestorianam faventibus Persis regibus, regio Aramaica Orientalis sub finem seculi quinti et deinceps cecidisset, omnes quæ illi subjectæ erant gentes in eandem hæresim traxit ; tum demum christiana religio propagata est per Indiam ejusque confines magis quam prius, constitutæque sunt novæ diœceses Nestorianæ in India Sinarumque imperio. — (*Adnotatio revisoris*).

bunt, additis quibusdam signis pro sonis Indicis quos lingua Syriaca non habet. Malabares hoc scribendi genus *g'arasuni* appellant.

Habent et Judæi in Oriente hoc genus scribendi, scribunt enim res suas civiles (non religiosas) lingua Arabica sed charactere Hebraico. Sonos autem Arabicos pro quibus lingua Syriaca figuras proprias non habet (item et Hebraica) hoc modo figurant: punctum minusculum ponunt super *gàmal*, *dalat*^{h}, *t'et*^{h}, *s*^{s}*ade*, *kaf*, *taw*, ut significent sonos Arabicos ج, ذ, ظ, ض, خ, ث, sub *gâmal* autem ut significet غ (1). Nota in Hebraica lingua sonum *ruccak*^{h} nullo notari signo, *qus*^{h}*s*^{h}*aj* autem per punctum minusculum intra litteram scriptum exprimi, quod punctum est etiam signum duplicationis.

Si quis nunc quærit: Ex omnibus Syriacis et ab eis derivatis alphabetis de quibus hactenus, quale est elegantius ac formosius? Respondemus: Barhebræus quidem in sua majore grammatica (tom. 2, pag. 5, edit. Martin) alphabetum suæ sectæ quod diximus Jacobiticum, scripturæ Orientalium idest Nestorianæ anteposuit, eumque secutus est inter grammaticos Europæos presbyter Martin et R. Duval. Cum autem de formæ pulchritudine quæ per visum percipitur, diversi diversa judicent, ego (si tamen licet meum exprimere judicium) existimo primum alphabetum quoad gratiam et speciem esse Strangelum, deinde Græcum, Latinum, quadratum quod Hebraicum dicitur, Nestorianum, Commune veterum, Jacobiticum, tandem cetera.

Atque hæc satis sunto de antiquissimo alphabeto Syriaco originali deque ceteris quæ diversis temporibus et locis ab eo derivata sunt. Juvat autem ea una serie

(1) Alicubi *gimel*, cum puncto inferiori, significat ج Arabicum; sine puncto غ.

recensere. Sunt igitur antiquum alphabetum Hebræorum quod hodie Samaritanum dicitur, Phœnicium, Græcum, Latinum, Babylonicum hodie a Judæis usitatum, Nabatæum, Mandaicum, Palmyrenum, Strangelum, Commune Syrorum seculorum præteritorum, Nestorianum, Jacobiticum, Melchiticum, H[h]imjariticum, Cuficum, Nask[h]icum. Quæ fortuito enumeravimus, non considerata temporis ratione. His addenda alphabeta dissitorum populorum ab alphabeto Aramaico derivata, nimirum: Persicum, Indicum, Abyssinicum.



CAP. IV.

DE SIGNIS NUMERALIBUS

Inter scripturæ elementa recensenda sunt signa numeralia, de quibus quoad Syros liceat aliqua dicere.

Omnes fere populi qui scripsere, signa numeralia propria habuerunt in scriptura. Syri quidem vel ab ipso initio videntur litteris alphabeticis usi esse ad significandos numeros, de quo systemate numerandi postea erit sermo in Grammatices libro primo de Nomine.

Sed præter litteras alphabeti alia habita sunt ab antiquis temporibus numeros significandi systemata apud Syros, testibus inscriptionibus. Phœnices quidem suum habuerunt, Puni in Africa aliud, Hebræi non videntur præter litteras alphabeticas alio systemate usi esse. Attamen hoc ipsum systema quod Græci, a Phœnicibus edocti, semper adhibuere et adhuc adhibent (nunquam Latini, quamquam et ipsi scripturam a Syris didicerint) in inscriptionibus Syriacis non apparet. Palmyreni enim,

ut cernitur in eorum inscriptionibus lapideis, aliud systema numeros figurandi habebant.

Ex hoc systemate videtur ortum esse aliud systema numeros figurandi, quod Syri in libris adhibebant. Hoc alterum systema in antiquissimis codicibus adhuc superstitibus cernitur, ubi adhibebatur ad annum scriptionis codicum, numeros quaternionum eorumdem, numerosque versuum sacrorum Bibliorum notandos, in quo extremo casu adhuc hoc systema adhibetur, præsertim apud Nestorianos.

Hæc sunt systemata quæ noscuntur a Syris adhibita fuisse ad figurandos numeros.

Systema Indicum notandi numeros quod ab Europæis Arabicum dicitur, nunquam apud Syros adhibitum est, nisi recentissimo tempore et quidem in libris impressis tantum, modo notis Europæis, modo Arabicis.



CAP. V.

DE INVENTIONE PUNCTORUM ET APICUM VOCALES ET ALIA SIGNIFICANTIUM

Qui primum artem scribendi in mundum invexit, nonnisi viginti duas figuras invenit respondentes viginti duabus linguæ Aramaicæ consonantibus, nulla habita cura vocalium. Sic consonantes tantum scriptores exarabant sine punctis aut signis quæ vocales aut alia significarent; legentes autem suo marte vocales pronunciabant eo ferme modo quo hodie in libris ordinariis faciunt Arabes. Verumtamen non omnino vocalium signis carebat scriptura; nam inde ab initio alphabeti inventi aliquæ litteræ adhibitæ sunt ad aliquas vocales designandas,

quæ litteræ tres erant quæ facillime in vocales convertuntur, nempe *alaf*, *waw* et *jod*[h]; *alaf* quidem ad significandam vocalem A longam in fine vocis, *waw* autem vocalem U, denique *jod*[h] vocalem I longam. At per hoc, quod equidem lecturam minus difficilem reddebat, difficultas non evanescebat; namque omnes vocales clausæ, A longum in medio vocis, diphthongi EI et AU, consonantis duplicatio, omnia hæc sine ullo signo manebant; distinctio quoque inter motam litteram et quiescentem, nec non inter litteras *alaf*, *waw* et *jod*[h] consonantes et eas vocales aut diphthongos, omnino desiderabatur. Græci quidem, ut alio loco innuimus, cum, Aramaicum alphabetum a Phœnicibus accipientes, illud vocalium signis propriis carere viderunt, sex hujus alphabeti litteras ad significandas vocales destinarunt, nempe *alaf*, *he*, *jod*[h], *h*[h]*et*[h], *ăin* et *waw*. Latini quoque quid simile fecerunt. Mandaitæ autem pro omnibus vocalibus cujuscumque speciei ipsas litteras infirmas ut ajunt, *alaf*, *waw* et *jod*[h] adhibuerunt, scribebant enim, ex. gr., ܡܠܟܘܬܐ et ܐܠܗܐܝܢ pro ܡܰܠܟܽܘܬܳܐ et ܐܰܠܳܗܺܝܢ. Quod autem hoc systema proprium fuerit Mandaitarum, ab hac secta invectum incerto tempore, et quod ignotum fuerit ceteris populis Semitis et multo magis Aramæis, id omnia documenta testantur, libri Judæorum vetustissimi tum Hebraici tum Aramaici idest Chaldaici, inscriptiones omnis generis antiquæ et recentes, Palmyrenæ, Phœniciæ, Nabatææ, codices omnes omnium populorum Semiticorum cujuscumque ætatis.

Igitur ceteri populi qui alphabetum Aramaicum assumpsere, exceptis dictis Græcis, Latinis et Mandaitis, sine signis vocalium omnes semper scribebant. Arabes ipsi nonnisi consonantes a Syris acceperunt, at postea 1° sec.

apparitionis et propagationis islamismi idest ineunte seculo VIII°, potissimum ad stabiliendam Corani, libri sacri Mahomedanorum, lecturam, signa notissima vocalium et quæ ea sequuntur excogitarunt, quæ hucusque in usu apud ipsos sunt sine ulla mutatione quamquam characteres multum mutati sint. Item fecere et Hebræi, etenim circa idem tempus idest ineunte seculo VIII° alphabetum Babylonicum quo utuntur inde a tempore quo in captivitate Babylonica erant, novis signis multiplicibus et valde intricatis auxerunt ad designandas vocales, duplicationem, accentus et alia. His signis fere omnibus utuntur etiam in scriptura linguæ Chaldaicæ. Signa autem vocalia apud Hebræos scribuntur omnia sub litteris, excepto signo quod significat O quod desuper ponitur.

Aramæi autem non secus ac ceteri populi Semitæ multa secula transegerunt cum alphabeto signis vocalium discriminis pluralis a singulari, *ruccak*^{h} a *qus*^{h}*s*^{h}*aj*, ceterisque apicibus carente. Imo cum ab ipsa alphabeti institutione, litteræ *dalat*^{h} et *res*^{h} simillimam inter se figuram haberent atque, postea ita ad invicem accesserint ut discrimen inter eas omnino evanuerit, nonnisi circa II^{m} post Christ. seculum eas distinguere ab invicem cogitarunt, et tunc mos evaluit ut *res*^{h} punctum haberet desuper, *dalat*^{h} autem sine nota scriberetur, ut videtur in inscriptionibus Palmyrenis. Postea *dalat*^{h} etiam habuit suum punctum inferius, instituta est *siame* qua distinguitur plurale, *he* 3 pers. sing. fem. habuit etiam punctum superius, certe ante V^{m} post Chr. seculum, cum hæc omnia in manuscriptis illius seculi cernantur. Ante illud tempus Syri curam habuerunt ut aliquo signo vera consonantium pronunciatio determinaretur, saltem approximative, et tunc excogitarunt punctum grande quod

per diversas positiones quæ illi dantur in vocabulis, diversas eorundem lectiones indicaret (1). Hoc systema grandis puncti a Syris Occidentalibus usque ad hunc diem religiose conservatum est, eoque utuntur etiam cum puncta vocalia de quibus infra, litteris affigunt; e contra Syri Orientales, qui antea et ipsi hoc punctum grande exacte adhibebant, ex quo ante trecentos circiter annos minuscula puncta constanter et necessario adhibere cœperunt, raro puncto grandi utuntur.

Quo vero tempore hoc punctum grande adhiberi cœperit et ubi, id omnino incertum est; unum certum est illud in inscriptionibus etiam posteriorum seculorum nunquam videri; aliud etiam certum est, hoc punctum seculo IV° debuisse vulgatum esse, nam S. Ephraim qui eo seculo floruit in suis Scripturæ commentariis loquitur de quorundam verborum diversis lectionibus, id quod requirit usum alicujus signi quo una lectio ab altera distinguatur; et hoc signum non potest esse nisi punctum grande de quo sermo. Primus qui, quantum ad notitiam nostram, pervenit, de hoc puncto ex professo scripserit est Jacobus Edessenus seculi VII celeber magister in secta Jacobitica, cujus tamen auctoritas grammaticalis etiam apud Nestorianos magna est.

At elapsis temporibus crescentibusque libris eorumque lectoribus, viderunt eruditi Syri hoc puncti grandis systema non multum inservire, itaque cogitaverunt modum invenire quo unaquæque vocalis scriptura distin-

(1) Hoc punctum grande, dicimus, lectionem vocabuli indicabat, non consonantium motiones seu vocales. Nam antequam minutorum punctorum systema, de quo infra, excogitatum esset, vocalium ne nomina quidem habebant Syri, etiam cum punctum grande adhibebant, teste Jacobo Edesseno celeberrimo Syrorum Occidentalium litterato seculi VII qui cum de hoc puncto grandi multa scripsit, ne semel quidem nominat *p*t^h*ah*h^h*am* aut *zqafam* aut alius vocalis cujuscumque nomen.

gueretur. Teste Barhebræo in sua grandi Grammatice, Jacobus Edessenus de quo nuper, primus fuit qui illud tentaverit excogitando nonnullos parvos apices qui in serie consonantium scriberentur ad indicandas vocales; narrat enim citatus scriptor, Jacobum prædictum, cum quidem præsbyter Antiochenus nomine Paulus ab eo petiisset ut regulam aliquam orthographicam illi traderet qua lector varias vocales dignoscere posset, tradidisse illi phrasem constantem vocabulis quæ omnes vocales Syriacas continebant, scriptas signis ab ipso Jacobo excogitatis. Hæc phrasis famosa evasit ex illo tempore, estque ܒܫܝܢܘ ܬܚܝܢ ܐܘܪܗܝ ܐܡܢ (*Tranquille vivas Edessa mater nostra*) (1). Signa autem vocalium quibus hanc phrasim Jacobus munivit, videre licet in grammatica R. Duval pag. 15, et in tab. 2 Gram. *semhe* Barhebr. a Martin editæ. Sed hoc Jacobi systema neglectum est ex quo natum est, nec unquam usu consecratum fuit, ne vivente quidem ipso Jacobo.

At post breve tempus reperta sunt apud Syros duo nova systemata ad figurandas vocales, quæ divulgata sunt et propagata, et usque ad hunc diem usu vigent. Primum est systema minutorum punctorum, quæ modo supra litteram, modo infra, ad indicandas diversas vocales linguæ Syriacæ affiguntur; hoc systema vulgatum est apud Syros Orientales, sed Occidentales etiam sæpe

(1) Vocales Syriacæ in systemate Jacobi Edesseni octo erant, quibus tamen septem tantum sortitæ sunt nova signa in ejus excogitatu; octavæ autem, i. e. *zqafæ* nullum novum signum posuit Jacobum, sed ipsam litteræ *olaf* figuram pro *zqafa* reliquit; ex quo perperam deduxit R. Duval *zqafam* ea ætate habuisse apud Occidentales sonum a; nam si Edessenus (quod probabilissimum est) nomen litteræ alaf pronunciabat *olaf*, ut Occidentales hodie pronunciant, jure poterat ejus figuram pro signo *zqafæ* ponere quæ est prima vocalis nominis *olaf*.

eo utuntur (1). Alterum systema est vocalium Græcarum nam Syri Occidentales intra sec. VIII litteras Græcas vocales scribere cœpere cum litteris Syriacis ad indicandas Syriacæ linguæ vocales. Vides ergo quomodo Aramæi exiguam partem muneris quo Græcos ante secula donaverant, tandem recuperarunt ; seu potius humiliter mendicarunt id quod ante secula generose munificaverant. Hæ Græcæ vocales quas Syri in suam scripturam introduxerunt, sunt : A, E, H (pronunciant I) , O, OY , quarum quatuor primæ sunt litteræ Syriacæ *alaf* , *he*, $h^h et^h$, *'ain*, quinta duabus constat litteris *'ain* et *waw*.

(1) Dignum est observatione , quod quinque vocalium signa in hoc punctorum minutorum systemate sunt eadem in *Masora*, ut dicunt, idest systemate punctorum Hebræorum;nimirum:-1° Signum vocalis E clausæ quod Syri *zlamam* lenem vocant , Hebræi autem *s're* quod pue apud utrosque duobus constat minuscuiis punctis horizontalibus sub litteram scriptis ut בֵ (*be*) ; - 2° Signum vocalis I quod Syri h^h*vas'a* , Hebræi autem h^h*ireq* , vocant constat uno puncto minusculo sub litteram *jod*^{h} appicto ut בִי (*bi*) ; - 3° Signum vocalis U , a Syris *maqa*, ab Hebræis s^h*ureq* dictum, estque unum punctum sub littera waw, ut בֻו (*bu*) ; - 4° Signum vocalis O , a Syris *rwah*^{h}*a*, ab Hebræis h^h*olem* nuncupatum, quod constat uno puncto supra litteram waw posito ut בוֹ (*bo*) ; - 5° Denique signum vocalis E , longæ apud Syros qui eam vocant *zlamo qas*^{h}*ja* , brevis autem apud Hebræos qui illam dicunt *s*^{h}*era* ; constat duobus punctis verticalibus sub littera ut בֶ (*be*). Hæc quinque vocalium similitudo figurarum apud duos populos nescio an ab eruditis animadversa sit ; utcumque res sit , negari nequit eam attentionem mereri. Hanc similitudinem impossibile est , sententia mea , fortuitam fuisse ; sed alterutra ex duabus gentibus alteram præcedere debuit in harum vocalium usu. Quæ fuit ?...Hebraistæ quidem referunt Hebræos pedetentim signa vocalium excogitasse , idest non omnia uno tempore ; unde jure colligimus: - 1° Syros ab Hebræis hæc quinque vocalium signa didicisse non eorum nomina ; nam si signa apud utrosque eadem sunt , nomina tamen differunt. Obiter etiam notandum est nomina Hebraica vocalium de quibus agimus , incipere singula a vocali cujus unaquæque est figura , quod vere laudem meretur , contra ac nomina Syriaca. - 2° Systema figurandi vocales per minuta puncta apud Syros anterius esse systemati vocalium Græcarum. — At hic varia dubia exsurgunt : Si Syri in figurandis his vocalibus de quibus sermo est , Hebræos imitati sunt , cur eos non imitati sunt pariter in ceteris vocalibus figurandis ? Cur figuras tantum ab Hebræis adoptarunt, non itidem nomina, præsertim cum signum unius ex ceteris vocahibus idest *pt*^{h}*ah*^{h}*a* idem habeat nomen in utraque lingua ? Qua ratione credi potest Syros Christianos quibus Judæi acerrimi erant inimici, voluisse hos imitari ? Fatemur has difficultates pondus habere at earum solutionem sapientioribus relinquimus.

Hoc systema vocalium Græcarum nonnisi apud Syros Occidentales in usu viguit, quia apud eos excogitatum fuit; Orientales nunquam illud voluerunt adhibere, quidquid dicat presbyter Martin, neque inter tot ac tot codices Nestorianos diversorum temporum et locorum qui existunt, possibile est unum apicem ex vocalibus Græcis reperire in ullo codice. Jam vides hoc systema pro fundamento habere pronunciationem Syrorum Occidentalium; *zqafa* enim exprimitur per O non per A, *h^hvas^{s}a* per H non per I; deest *rwah^{h}a*.

Quamquam cum plena certitudine dici nequit, quale horum duorum systematum vocalium anterius sit, tamen ut vidimus, multa suadent systema punctorum minutorum vetustius esse; omnino ignotum est qui fuerint eorum inventores, aut quo loco inventio locum habuerit. Non defuit ex recentioribus Maronitis qui asseruit systema Græcarum vocalium invectum fuisse a quodam Theophilo docto, qui origine Edessenus et professione Maronita vel potius Melchita (nam Maronitæ nunquam Edessæ fuerunt) in civitate Bagdad seculo VIII° apud khalifas Arabum celebritatem litterariam nactus est; at hoc assertum est merum commentum nulli innixum fundamento. Et aliunde incredibile est; nam si hoc verum esset, nemo melius quam Barhebræus id cognovisset qui de hoc viro in suo chronico scripsit; atqui Barhebræus hoc de Theophilo factum non retulit neque in chronico, neque in grammaticis neque alibi.

Videtur autem Barhebræus ipse ignorasse quis fuerit auctor systematis vocalium Græcarum, quia id non memorat in suis scriptis, præsertim in suis grammaticis quas multis historicis documentis linguam Syriacam respicientibus, ornavit. Nobis, si licet sententiam nostram

dicere, videntur monachi celeberrimi propter litteraturam Syriacam monasterii dicti Qarqafa quod in Tur-Abdin Jacobitæ possidebant, auctores fuisse systematis vocalium Græcarum; quorum opus litterarium peritis notissimum est, liber inquam quo hi monachi difficilia aut ambigua loca Bibliorum aliorumque ecclesiasticorum librorum classicorum recensuerunt hisque vocalibus Græcis determinarunt (1).

De vocalium igitur Græcarum systemate nullum dubium esse potest illud apud Jacobitas inventum esse. Sed dubium versatur circa originem systematis punctorum minutorum, ubi ortum suum habuerit, utrum apud Jacobitas an apud Nestorianos (nam utraque secta hoc systema adhibet), nempe qui hoc systema excogitavit, utrum erat ex Syris Occidentalibus, an ex Orientalibus. Nobis videtur ex Syris Occidentalibus fuisse, propter sequentes rationes: Primo cum Orientales duplicationem litterarum habeant, qua Occidentales carent, hoc systema nullum habet duplicationis signum. Atqui Arabes qui hanc duplicationem habent, signum illi constituerunt; item fecerunt et Hebræi. Ergo qui hoc systema excogitavit, esse debebat de gente quæ litteras non duplicabat idest de Syris Occidentalibus. Et hoc primum thesis nostræ fundamentum. Deinde qui primus hoc systemate usus est, debebat in pronunciatione optime distinguere pt^{h}ah^{h}am a zqafa, quæ tam accurate hoc systemate orthographico distinctæ sunt; id autem incredibile est in homine scholæ Orientalis apud quam, multis abhinc seculis saltem, nullum est discrimen inter zqafam et pt^{h}ah$_{h}$am. Ergo aut qui hoc

(1) Litterati hi, Qarqafenses dicti, præter quinque vocalium signa Græca hodie vigentia, sextum invexere signum ✓ ʏ (quod constat *alpha* et *ypsilo* Græcis) ad notandam diphthongum *au*; sed hoc signo nemo usus est præter prædictos litteratos, qui notatu digni sunt quod ipsum hoc signum methodo Græcorum scriptum (i. e. a sinistra ad dextram) reliquerunt; tam serviles aliqui Syri erant Græcis!

systema invenit, erat acutissimus ac ingeniosissimus philologus ita ut discerneret intime inter duas vocales quæ sono nihil inter se differebant, quod incredibile est; aut dicendum hunc hominem ex schola Occidentali fuisse. Adde diversitatem nominum pt^h^ah^h^æ et zqafæ quæ ut evidens est, indicat diversitatem rerum. Inventor enim signorum vocalium consideravit quod qui dicit *v. gr.* ܐܒ, *aperit* (hoc significat pt^h^ah^h^a) ; at qui dicit ܐܒ, *suspendit* (hoc significat zqafa); *aperire* autem non est idem ac *suspendere*. Atque juxta hodiernum systema Orientalium eundem omnino sonum dat qui pronunciat pt^h^ah^h^am ac qui pronunciat zqafam. Et e contra qui pronunciat zqafam more Occidentalium, reapse videtur suspendere vocem. Unde concludimus ex eo quod in hoc systemate discrimen extat inter *rwah^h^am* et *ʿmaqam*, quod hodie Occidentales non habent, ipsos has duas vocales non olim distinxisse, quod credibilissimum est et testimonio Jacobi Edesseni magistri Occidentalis scholæ supra citati confirmatur, qui in systemate vocalium quod excogitavit, ut vidimus, distinxit *rwah^h^am* a *ʿmaqa*. Ceterum, unum certissimum est, tempore prædicti Jacobi Edesseni idest initio seculi VIII neutrum systema vocalium excogitatum adhuc fuisse; in diversis enim hujus grammatici celeberrimi scriptis quibus totis viribus conatus est regulas certas et præcisas de orthographia ponere, nullum vestigium ne nomen quidem ipsum reperitur ullius vocalis sive unius sive alterius systematis. In sua autem grammatica (cujus nonnisi parva et paucissima fragmenta, in Britannico Museo conservata, ad nos pervenerunt, quæ in 3° volumine Catalogi Wrightiani hujus Musei omnia edita sunt) Jacobus Edessenus vocales omnes juxta systema a se excogitatum de quo supra, constanter significavit.

Ex his omnibus quæ hucusque disseruimus, clare patet, ante seculum VIII^m nullum populum Semiticum habuisse in scriptura signa ad significandas vocales, idest neque Arabes, neque Hebræos, neque Syros. Hebræi videntur fuisse primi, dein Syri, ultimi Arabes, qui hanc litterariam inventionem tam pretiosam aggressi sint, singuli pro sua lingua. At nequimus dicere utrum ex imitatione seu æmulatione hoc opus aggressi sint, an unusquisque populus independenter ab alteris et inscienter de alteris systema suum excogitaverit. Omnia hæc ignoramus.

Postquam sic unusquisque horum trium populorum suum cœpit habere systema vocalium, cœpit illud adhibere usque ad hunc diem. Sed observa diversam agendi rationem horum populorum. Etenim ex quo Arabes suum systema habuere, legem posuere ut librum suum sacrum qui Coranus dicitur, non liceret omnino exarare sine his vocalibus; similiter Hebræi nunquam scribunt sacrum Codicem idest libros veteris Testamenti nisi figuris suæ Masoræ adamussim munitum. Syri autem Christiani nullam legem in hac re sibi imposuerunt, ne in suis libris sacris quidem exarandis; etenim inter omnes codices præteritorum seculorum, exaratos sive apud Jacobitas, sive apud Nestorianos sive apud alios, nullum fere codicem videmus signis vocalibus constanter et regulariter ornatum sive systemate punctorum minutorum, sive litterarum Græcarum. Igitur etiam post inventa systemata vocalium, scriptores Syri nonnisi raro et ubi ambiguitas timebatur, muniebant litteras vocalibus, Orientales quidem systemate punctorum minutorum tantum, Occidentales autem idest Jacobitæ et Maronitæ utroque systemate, sed potissimum systemate Græcarum litterarum. Melchitæ autem

neutrum systema videntur voluisse adoptare, etenim in omnibus codicibus hujus sectæ quos examinare nobis datum est, neutrius vestigium videre potuimus. Attamen amanuenses hujus sectæ videntur voluisse quodammodo systema punctorum minutorum imitari, cum hic et illic cernimus in codicibus, rarissime tamen, duo puncta minuta supra litteras vel infra quæ nullum sensum possunt habere. Non loquimur de duplici puncto quod fere constanter in hujus gentis codicibus sub littera *taw ruccak^hata* conspicimus.

Igitur, ut diximus, et ipsi Jacobitæ et Nestoriani raro signis vocalium utebantur scribendo. Attamen tribus abhinc circiter seculis cœperunt Nestoriani omnes suos libros rigorose punctis vocalibus sine ulla exceptione notare. Occidentales morem suum non mutarunt, nempe nonnisi raro apices vocalium in suis scriptis ponunt alterutro systemate. Notandum tamen id est: Jacobitæ suos libros ex Græco idiomate conversos amant potius vocalibus systematis Græcarum litterarum notare, inter quos libros primum habet locum novum Testamentum H^heracleense quod scilicet Thomas H^heracleensis e Græco in Syriacum sermonem interpretatus est.

Quæ hactenus de vocalium figuris exposuimus, nonnisi Christianos Syros respiciunt. Nam Mandaitæ quidem, contenti viginti duabus litteris alphabeti, quarum tres *alaf waw* et *jod^h* (et non raro *ʿain* etiam) adhibent pro vocalibus ut supra diximus, nunquam iis addere aliquid voluerunt. Samaritani quoque nesciunt in scriptione aliud præter alphabetum usque ad hunc diem. Judæi denique præter Targumim rarissime signa sua vocalium ponunt cum linguam Chaldaicam scribunt.



CAPUT VI

DE VOCABULIS EXOTICIS QUÆ IN LINGUAM SYRIACAM INTRODUCTA SUNT, ET DE VOCIBUS SYRIACIS QUÆ AD ALIAS LINGUAS TRANSIERUNT.

Syriacæ stirpis populis evenit quod omnibus nationibus accidere solet, nempe quod per diuturnam et frequentem cum aliis populis conversationem, horum mores et consuetudines mutuati sunt Syri sicut et suos mores et consuetudines illis communicarunt; inter quæ præcipuum habet locum lingua. Etenim multa vocabula ex exoticis linguis in Syriacum sermonem transierunt ab antiquis temporibus; ita ut cum veritate possimus dicere, post linguam Pehlevicam quæ est una ex antiquis dialectis Persicis, nullam aliam linguam ex antiquis tam exoticis vocalibus refertam cognosci quam linguam Syriacam, quod non infitiamur habere speciem cujusdam dedecoris, quamvis linguæ a quibus Syriaca mendicavit, inter nobilissimas mundi linguas computentur.

Igitur Syriaca lingua quamquam antiquissima sit et antiquitate omnes fere linguas superet ac ubertate et copia verborum omnes linguas Semiticas (excepta Arabica) aliasque vincat, innumera tamen vocabula ex aliis linguis adscivit, inter quas primum tenent locum Persica et Græca, quæ cum Semiticæ non sint, maxime indole, natura et forma a lingua Syriaca distant, atque nimis manifestam discrepantiam ab ea præseferunt (1).

(1) Similem discrepantiam intolerabilem videre est inter linguas Persicam, Turcicam, Hindustanam, Malaicam ex una parte et Arabicam ex altera; notum enim est harum linguarum populos, præsertim Persas et Turcas, singulos suam linguam desumptis ab Arabica illi maxime discrepante infinitis verbis farcisse; multo magis dolendum quod Persæ ex quo islamismum amplexi sunt, suo antiquo alphabeto relicto, (idem dicatur de Hindustanis), scripturam Arabicam adoptarunt

Notæ sunt caussæ ob quas vocabula ex lingua Persica ad Syriacam venerunt, nimirum duorum populorum vicinitas frequentissimæque commerciales aut politicæ relationes. Præcipua autem Persica vocabula quæ in linguam Syriacam intrarunt, sunt nomina gemmarum, plantarum, instrumentorum aliarumque his similium rerum quæ primo apud Persas cognitæ fuere. Cum vero in lingua Persica, ut notum est peritis, diversæ existant articulationes quibus Syriaca ceteræque linguæ semiticæ carent, ut č (چ) idest *ch* Anglicum seu *tch* Gallicum et ǰ (ژ) idest *j* Gallicum in *jeter*, Syri, in vocabulis Persicis quæ mutuati sunt has litteras in alias similes suæ linguæ immutarunt. Accipe nunc præcipua vocabula Syriaca Persicæ originis: ܓܘܢܐ *color*, ܢܝܙܟܐ *parva hasta*, ܦܣܦܣܐ *versicolor*, ܦܬܟܪܐ *idolum*, ܣܐܡܐ *argentum*, ܓܡܘܫܐ *bubalus*, ܓܙܐ *thesaurus*, ܓܙܒܪܐ *præfectus thesauri*, ܢܝܫܐ *signum*, ܕܝܘܐ *dæmon*, ܕܫܢܐ *munificentia*, ܢܚܫܝܪܐ *venatica præda*, ܗܡܝܢܐ *crumena*, ܕܒܪ

quæ ipsorum linguæ indoli nullatenus congruit, quamquam linguæ Arabicæ quam maxime convenit. Imo sine metu asserere possumus inter omnes populorum scripturas hucusque notas, non exstare ullam tam propriæ linguæ quadrantem atque convenientem quantum scripturam Arabicam, quidquid dicat doctissimus Renan in *Hist. des lang. Sémit.* Loquimur de orthographia, non de calligraphia. Nam cum omnes, Europæ saltem, scripturæ hodiernæ reformatione orthographica indigent, quod eruditi confitentur et dolent, Arabica scriptura utique calligraphicæ opus habet reformationis, nullatenus vero orthographicæ si secundum grammaticas regulas adamussim conficiatur. In qua enim Europæa lingua scriptura ita conformis est lecturæ ut statim ac quis alphabetum ac cetera signa quæ illud comitantur didicerit, possit quamcumque scripturam sine ulla difficultate legere? Hæc pretiosa est dos solius linguæ Arabicæ paucarumque forte aliarum, ut Armeniacæ, Russiacæ, Hispanicæ, etc. Hujus postremæ linguæ idest Hispanicæ, eruditi viri linguam Latinam deformarunt ut suam reformarent. Utinam eos imitati essent Franco-Galli, quorum lingua quoad orthographiam, est cumulus incohærentiæ, absurditatis et ignorantiæ. Satis sit notasse quam hic populus qui ob suam imaginariam reverentiam erga Latinam linguam relinquit suam tam deformem orthographice, inclementer et insipide sua pronunciatione linguam Latinam vexet ac deformet.

circuivit, ܓܘܕܐ *turma*, ܩܠܝܕܐ *clavis*(1), ܙܗܪܐ *venenum (animalium)*, ܓܘܠܩܐ *saccus sarcinæ*, ܦܪܫܓܢܐ *exemplar*, ܦܪܣܢܐ *parasanga*.

Vocabula autem Græca quæ ad linguam Syriacam transierunt, sunt multo plura quam Persica, quod evenit propter diuturnum imperium tum politicum tum civile quo Græci inde ab Alexandri Magni ætate, seculo scilicet ante Ch. IV°, Syriam aliasque populorum Syrorum regiones dominati sunt. Attamen quamquam elementa Græca in Syrorum mores, consuetudines, litteraturam per illa tempora intime penetraverint, nihilominus, quod vere notatu dignum est, nullum lingua Græca vestigium reliquit in sermone vulgari populorum Syrorum, excepto uno aut duobus vocabulis quæ in dialecto *Malulæ* adhuc supersunt ut ܐܩܠܝܣܝܐ *ecclesia*. Attamen lingua Græca a doctis et magnatibus maxime celebrata fuit in Syria præ ceteris Syriaci generis populis, ita ut ab initio regni successorum Alexandri Magni usque ad initium seculi IV post Christ. paucissimi admodum inter Syros doctrina claruerint qui lingua Græca non scripserint, aut saltem eam calluerint, quantum ad nos pervenit. Imo innumeræ inscriptiones quæ illis seculis in Palmyra, Haurano aliisque Syriæ regionibus usque ad regni Persici limites, confectæ sunt, quamquam maxima parte Syriacum sermonem portent, tamen plurimæ et Græce et Syriace, aliæ Græce tantum sculptæ sunt.

Plurimæ sunt causæ quæ tam miram linguæ Græcæ apud Syros propagationem et stabilitatem adjuverunt, etiam postquam dominatio politica Græcorum jam

(1) Perperam autumarunt nonnulli Syriacum ܩܠܝܕܐ ex Græco ΚΛΕΙΣ sumptum esse.

cessaverat, nempe linguæ Græcæ harmoniosa fluiditas, miranda flexibilitas, copiosissima abundantia. Adde aliam insignem linguæ Græcæ prærogativam, quod scilicet nullus sit in hac lingua sonus qui non habeat respondentem in lingua Syriaca, exceptis nonnullis vocalibus. Atque quoad vocales bene se expedire sciverunt Syri. Etenim omnes vocales quas eundem vel fere eundem sonum dare videbant, eadem figura expresserunt. Itaque A per $pt^{h}ah^{h}am$ (Occidentales) aut *zqafam* (Orientales); I, EI et (apud Occidentales) H ut unam eandemque vocalem considerarunt ac per $h^{h}vas^{s}am$ reddiderunt; Y, OY et OI per $s^{s}as^{s}am$; O parvum et O magnum Orientales per $rwah^{h}am$, Occidentales per *zqafam*; E et AI et (apud Orientales) H per *zlamam*; AY per $pt^{h}ah^{h}am$ (Occidentales) vel *zqafam* (Orientales) sequente *waw* quiescente; EY per *zlamam* sequente *waw* quiescente. In hac agendi ratione, indolem linguæ Syriacæ haud deseruerunt nec violarunt, quæ nempe exigit ut vocalis brevis non existat. At non eadem ratione hic se gesserunt ac in vocibus mere Semiticis; in his enim quæ a lingua Arabica perfecte comparantur, Syri regulam expunctionis sibi imposuerunt, ut scilicet eliminent omnem vocalem brevem et quiescere faciant ejus litteram; in Græcis vero conservarunt quidem vocalem brevem, sed longam eam reddiderunt. Exemplo hoc melius intelligatur: in voce Semitica *bâlima* quæ secundam vocalem habet brevem ut Arabes etiam pronunciant, Syri expungunt hanc vocalem et pronunciant *bâlma*. At in voce Græca, v. gr. BAPBAPA, in qua secundum A est breve, Syri producunt hanc vocalem ac pronunciant *barbâra*; transgrediuntur nempe regulam linguæ Græcæ ut suæ linguæ indolem intactam conservent. Eadem ratione pronunciant *sunhôdos*

(1ª syllaba clausa, 2ª et 3ª longæ), *lôgîqi* (1ª et 2ª longæ), *lêksîqôn* (omnes longæ), pro ΣΥΝΟΔΟΣ, ΛΟΓΙΚΗ, ΛΕΞΙΚΟΝ, in quibus singulis secunda vocalis est brevis. Inutile est advertere Syros nullam accentus Græci rationem habere, nec videtur aliquis inter eos de illo scripsisse, sed accentum in verbis Græcis juxta indolem suæ linguæ moderant.

Quoad consonantes, eæ nullam præseferunt difficultatem. Notare tamen juvat nonnulla. Pro B, Γ, Δ, Θ Syri ponunt respondentes litteras Syriacas idest *bet^h*, *gâmâl*, *dâlat^h* et *taw*, cum *ruccak^h* prolatas; pro K *kof*; pro X, *kaf* lene (*ruccak^h*) nonnunquam *kaf* durum (*qus^hs^haj*); pro Π, *pe* durum sed cum puncto speciali ut indicarent illud non eundem omnino sonum habere ac *pe* durum Syrorum. *Gamma* autem ante aliud *gamma*, aut *kappa*, aut *chi* semper per *nun* redditur, quod confirmat pronunciationem recentium Græcorum cui favet testimonium linguæ Latinæ contra eos qui contendunt hanc litteram nullam pronunciationis mutationem subire ante prædictas litteras. Specialem etiam meretur mentionem littera Græca Ρ. Cum etenim Græci hanc litteram in initio vocis spiritu aspero insigniunt, et quando duplex est, utroque spiritu, tenui et aspero, id Syri bene observarunt, ideoque post *res^h* litteram *he* addebant, dicentes, ex. gr.: ܪܗܘܡܝ ῬΩΜΗ, ܪܗܛܘܪ ῬΗΤΩΡ, ܦܪܪܗܣܝܐ ΠΑΡῬΗΣΙΑ. Verum hoc *he* pronunciando et sæpe etiam scribendo negligitur. Denique Θ per *taw* aspiratum (*ruccak^h*) ut diximus, T per *t^het^h* reddunt Syri. Has regulas adamussim observant Syri cum vocibus Græcis, nunquam ab iis deviando.

Hac ratione infinita, ut ita dicam, vocabula Græca in linguam Syriacam introducta sunt, quorum plurima sunt nomina technica ut ajunt, alia ad res pro Syris

novas pertinent. Verumtamen (quod singularissimum est) ita Syri in deliciis linguam Græcam habuerunt, ut ab ea ipsas grammaticas particulas, conjunctiones, adverbia et similia mutuati sint, ut ΔΕ ΓΑΡ, ΜΗΝ, ΑΡΑ. Imo ex vocibus Græcis ipsa verba formarunt Syri, ut ܩܛܪܓ ΚΑΤΗΓΟΡΕΙΝ, ܩܣܡܣ *ornavit* a ΚΟΣΜΟΣ (1). Uno verbo, vocabula Græca multo plus abundant in Syriaca lingua quam in ipsa Latina linguæ Græcæ tam affini ac tam vicina. Denique nomina Syriaca Græcæ originis modo formam originalem conservant, ut ܗܘܪܡܝܣ, ܗܘܠܐ ΥΛΗ, ܐܐܪ (2) ΑΗΡ, ܩܝܣܛܦܘܣ; modo formam Syriacam accipiunt, dt ܐܣܛܠܐ ΣΤΟLΗ, ܟܘܪܐ ΧΩΡΑ, ܐܣܪܐ ΑΣΣΑΡΙΟΝ.

Vocabula Græca maxime abundant in ea linguæ Syriacæ dialecto quam litteralem nuncupavimus, et cujus grammaticam in hoc libro tradimus, eaque videntur, saltem maxima in parte, ad initia regni Seleucidarum qui Alexandro Magno in Syria finitimisque regionibus successerunt, ascendere. Ea enim copiosa quamquam cum quadam parcimonia videmus in versione Bibliorum Syriaca dicta Ps^{h}itta quæ nobis exhibet Testimonium de Syriacæ linguæ statu in I° Chr. seculo. Item in eadem fere mensura plurima occurrunt vocabula Græca ac identitem Latina in inscriptionibus Palmyrenis quæ, ut alibi diximus, a I° ante Chr. seculo ad IV^{m} extenduntur.

(1) Nonnulli his addunt ܩܠܣ (*laudavit*) quasi esset a ΚΑLΟΣ. Sed perperam, ΚΑLΟΣ enim et ejus derivata nunquam *laudis* notionem habuere sed pulchritudinis et ornamenti tantum. E contra vox ܩܠܣ nunquam ideam ornamenti aut pulchritudinis habuit.

(2) Secundum alaf accipit pt^{h}ah^{h}am pro z'ama propter regulam quæ in grammatica n. 118 explicatur.

Horum tamen vocabulorum exoticorum maxima pars sunt nomina officiorum publicorum. Item in dialecto Babylonica qua Targumim idest versiones N. Testamenti aliique libri apud Judæos scripti sunt, summopere abundant vocabula Græca. Hac autem dialecto jam ut vernacula utebantur Judæi regnantibus Alexandri successoribus, atque pro certo habemus vocabula Græca in eam illis seculis intrasse independenter a lingua Syriaca incolarum Syriæ, Mesopotamiæ, etc. Sicut enim religione ab invicem separati erant, ita et ceteris rebus publicis. Propterea in dialecto Aramaica Judæorum nonnulla reperimus vocabula Græca quæ in dialecto litterali non exstant, ut ܣܝܡܝܐ ΣΗΜΕΙΟΝ (1), ܩܘܪܝܘܣ ΚΥΡΙΟΣ ; et viceversa. Hujusmodi autem vocabula in lingua Chaldaica quam Judæi loquebantur cum e captivitate reversi sunt idest seculo ante Chr. VI° esse non poterant, et revera libri Danielis et Ezræ qui hac lingua scripti sunt, nullum Græcum vocabulum continent, quidquid contenderint nonnulli in contrarium.

Non desunt et in dialecto Mandaitarum vocabula Græca, paucissima quidem at quæ omnia existunt in dialecto litterali. Ex quo licet deducere argumentum quod hæc Mandaitarum dialectus ante seculum I^m Chr. in quo verba Græca turmatim ut, ita dicam, linguam Syriacam inveniebantur pervasisse, jam formata et a ceteris dialectis Aramaicis separata erat.

Vulgares dialecti nullum vestigium, ut supra innuimus, exhibent Græci elementi. Nec mirum, cum

(1) Gesenius in dictionario Hebraico negat hanc vocem Chaldaicam Græcam originem habere propterea quod verbum talmudicum סִימָן, ait, non potest esse a Græco ΣΗΜΑΙΝΕΙΝ in quo N non est radicale. Sed clarissimum virum fugit verbum סִימָן haud directe a verbo Græco assumptum esse sed a סֵימָא quod est Græcum ΣΗΜΕΙΟΝ.

oppidorum et montium incolæ, ubi hæ dialecti vigebant, nullam aut fere nullam cum Græcis magnarum urbium habitatoribus consuetudinem habuerint; et aliunde verba Græca quæ in cultis dialectis recepta sunt, maxima in parte a litteratis originem habere debuerunt, quorum incepta a civitatum confinibus imo ab ipsis libris non solent egredi. Quæ in Samaritana dialecto, quæ certe in origine vulgaris erat, rarissima vocabula Græca videntur, (si quidem ea revera Græca sunt) sine dubio Samaritani, cum suam dialectum scribere cœperunt, a vicinis Judæis ea discere debuerunt; ex quibus citare lubet solum ܣܝܡܢ *signum*, nam quoad vocabulum ܟܛ (*sub*) non est versimile illud esse Græcum KATA ut opinatur Petermann. Quis enim credere potest Samaritanos a Græcis accepisse particulam grammaticalem cui habebant optimam respondentem, relictis infinitis ceteris vocabulis ditissimæ linguæ Græcæ? Verbum autem ܟܪܙ a quo ܟܪܘܙܐ quod occurrit in Dan.III,4, est certissime Aramaicæ originis, quamquam fortuito quamdam similitudinem habeat cum Græco KHPYTTEIN, cum hujusmodi similitudo in aliis linguis etiam existat ut Samscredamica, Persica, Germanica, Anglica, Italica, ut bene advertit Gesenius in lexico Hebraico; et ex alia parte radix ܟܪܙ in omnibus Aramaicis dialectis exstat.

Longissimum esset omnia vocabula Græca in linguam Syriacam adscita enumerare; satis sit recensere præcipua quæ in diversis dialectis adoptata sunt, scilicet litterali, Chaldaica et Mandaitica: ܐܣܛܠܐ (1) ΣΤΟΛΑ, ܛܘܦܣܐ ΤΥΠΟΣ, ܛܟܣܐ ΤΑΞΙΣ, ܦܪܨܘܦܐ ΠΡΟΣΩΠΟΝ, ܩܐܪܣܐ ΚΑΙΡΟΣ, ܣܝܩܘܡܐ ΣΗΚΩΜΑ, ܐܣܛܘܠܐ ΣΤΥΛΗ,

(1) In Chaldaica et Mandaitica dialectis scribitur ܐܨܛܠܐ cum *sade*.

mutata *l* in *n*, ܦܝܣܐ ΠΕΙΣΑΙ, ܓܠܘܣܩܡܐ ΓΛΩΣΣΟΚΟΜΟΝ, ܐܐܪ AHR, ܡܪܓܢܐ ΜΑΡΑΓΝΑ, ܩܡܝܢܐ ΚΑΜΙΝΟΣ, ܩܢܕܝܠܐ ΚΑΝΔΗΛΑ (vox Latina), ܢܡܘܣܐ ΝΟΜΟΣ, ܢܪܩܝܣ ΝΑΡΚΙΣΣΟΣ, ܦܠܓܐ ΦΑΛΑΓΞ, ܩܢܛܪܐ ΚΕΝΤΡΟΝ, ܦܢܕܘܪܐ ΠΑΝΔΟΥΡΑ, ܦܝܠܣܘܦܐ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ, ܣܝܡܘܢܐ ΣΗΜΕΙΟΝ. Animadvertendum tamen est non omnia hæc nomina esse certe Græcæ orignis; probabile enim est nomina *narcissus* , *caminus* , *columna* , *pandura* , *phalanx* , esse Syriacæ , vel saltem Persicæ originis.

Principio quidem vocabula Græca quadam necessitate in linguam Syriacam ingressa sunt, quod demum equidem tolerabile erat. At postea crescentibus linguæ Græcæ studiis quamquam Græcorum dominium jam a seculis extinctum erat, ob incrementum ac extensionem litteraturæ Syriacæ , cœpit rectum criterium in litteris vitiari, et tunc nonnulli qui se ceteris eruditiores jactabant, elementa Græca passim inter vocabula Syriaca inserebant non propter necessitatem sed ut linguam Syriacam sua mente ornarent, at revera ut eam deformarent. Sed gratias Deo O. M. quod horum sciolorum numerus valde exiguus fuit , hicque detestabilis mos neque extensionem neque stabilitatem nactus est.Nihilominus videmus lexicographos celebriores apud Syros, *Bar-Ali* et *Bar-Bahlul* Græcis vocibus sua lexica replevisse ad eas interpretandas.

Etiam Latina lingua tributum Syris præstitit; etenim ex eo tempore quo Syria in provinciam Romanam, medio seculo I° ante Chr. redacta est, multa vocabula Latina linguam Syriacam auxerunt. En præcipua : ܦܝܣܩܝܢ *piscina* , ܦܠܛܝܢ *palatium* , ܩܢܕܝܠܐ *candela*, ܩܠܝܬܐ *cella*, ܩܢܛܪܘܢܐ *centurio* , ܩܪܘܟܐ *carruca*, ܦܪܓܠܐ

flagellum, ܩܘܣܛܝܘܢܪܐ *quæstionarius*, ܐܣܦܘܩܠܛܪܐ *speculator*, ܐܘܢܩܝܐ *uncia*, ܩܢܛܝܢܪܐ seu ܩܢܛܢܪܐ *centenarius*, ܛܒܠܪܐ *tabellarius*, ܕܝܢܪܐ *denarius*, ܣܘܕܪܐ *sudarium*, ܛܠܪܐ *talarium*, ܐܣܛܒܠܐ *stabulum*, ܠܓܝܘܢܐ *legio*, ܦܪܛܘܪܝܢ *prætorium*. Ne pigeat notare Syros cum armis Romanis subjecti essent, non omnia nomina Latina quæ militiam, imperium civile respiciunt, a lingua Latina assumpsisse, nam nomina *militis* ܐܣܛܪܛܝܘܛܐ, *militiæ* ܐܣܛܪܛܝܐ, *cohortis* ܐܣܦܝܪܐ, *præfecti provinciæ* ܗܓܡܘܢܐ, *legis* ܢܡܘܣܐ, *senatoris* ܒܘܠܘܛܐ, *principis* ܐܪܟܘܢܐ, *provinciæ* ܗܦܪܟܝܐ, *reipublicæ* ܦܘܠܝܛܝܐ, *tribunalis* ܒܐܡܐ, a Græca lingua assumpta sunt non a Latina, nimirum hæc nomina Græca jam apud Syros vulgata erant inde a tempore regni Græci Seleucidarum, cetera nomina Syriaca manserunt, ut ܡܠܟܐ *imperator* (rex), ܦܘܩܕܢܐ *decretum*, etc. Alia videntur vocabula Græca aut Latina in inscriptionibus Syriacis Palmyræ et in monumentis Rabbinorum quæ in lingua litterali hodierna ignota sunt, ut ܕܩܘܪܝܢܐ *decurio*, ܒܘܠܐ BOYLH, ܕܝܡܘܣ ΔΗΜΟ, etc. Denique in libris juris civilis Syriace conscriptis passim verba Latina occurrunt technico sensu, ut ܠܓܛܘܢ *legatum*, ܩܘܪܛܘܪ *curator*, ܐܡܢܩܝܦܛܐ *emancipatus*.

Atque hæc de mutuis quæ lingua Syriaca sumpsit a Græca et Latina. Ab Hebræis autem, quamquam origine et habitatione valde proximis, nil assumpsit lingua Syriaca, exceptis valde paucis vocabulis Biblicis quæ cum religione Christiana apud omnes populos recepta sunt, ܐܡܝܢ *Amen*, ܗܠܠܘܝܗ *Hallelujah*, ܐܘܫܥܢܐ *Osanna*,

ܝܗ *Deus*, ܐܕܘܢܝ *Adonai* (Dominus), ܐܠܫܕܝ *Omnipotens*, ܨܒܐܘܬ *Sabaoth*, ܟܪܘܒܐ *Cherub*, ܣܪܦܐ *Seraph*, ܦܨܚܐ (1) *Pascha*. Ceterum Aramaica lingua ex quo ad Judæos transiit, Hebraicis vocabulis repleta est, ut innuimus, tamen apud ipsos tantum.

Arabica lingua quæ recentibus temporibus dissitissimas et maxime extraneas linguas locupletavit, nil linguæ Syriacæ tam affini et tam vicinæ præstitit præter duo aut tria nomina ab historiographis usurpata, ut ܦܬܢܐ فتنة *perturbatio civilis*, ܐܡܝܪܐ أمير *princeps Arabum*, ܘܙܝܪܐ وزير *visirus*; Barhebræus quoque in operibus suis philosophicis adhibuit vocem Arabicam ܘܗܡ ad significandam facultatem animalem quæ vulgo *instinctus* dicitur. In multis etiam codicibus Syriacis occurrit vox Arabica نسخة *exemplar* sed male expressa, scribitur enim ܢܘܣܟܐ, cum analogia philologica exigat ut dicatur ܢܘܣܟܬܐ, et sic est in dialecto Chaldaico Rabbinorum, ex quo evidens est radicem ܢܣܟ esse etiam Aramaicam, non autem Arabicam tantum, perditam tamen esse a Syr. litt. et conservatam in Chaldaismo. Barhebræus adhibuit etiam in suis scriptis vocem Arabicam ܣܘܕܘܣܐ سدس *sextum*.

Hactenus de vocabulis exoticis quæ in linguam Syriacam recepta fuere. Age nunc de vocibus quas hæc lingua aliis linguis mutuum dedit. Atque ut a nobilissima lingua Græca incipiamus, non pauca ex lingua Syriaca Græci nomina sumpserunt, quorum præcipua sunt

(1) Hebraice est cum *semcath* non *s*ade. In hoc igitur nomine deviarunt Syri a consueta diligentia in figurandis accuratissime per litteras Syriacas exoticis vocibus juxta certas et invariabiles normas.

nomina rerum quæ ex Syrorum regionibus aut finitimis ortum habuere, ut ALOH ܐܠܘܝ, ΛΙΒΑΝΟΣ ܠܒܘܢܬܐ, ΣΗΡ ܣܐܪܐ, ΒΥΣΣΟΣ ܒܘܨܐ, ΧΑΛΙΞ ܟܠܟܐ, ΜΑΡΓΑΡΙΤ ܡܪܓܢܝܬܐ, ΖΙΖΑΝ ܙܝܙܢܐ, ΒΡΑΘΥ ܒܪܘܬܐ, ΝΑΦΘΑ ܢܦܛܐ, ΝΑΡΔ ܢܪܕܝܢ, ΣΑΠΦΕΙΡ ܣܦܝܠܐ, ΒΗΡΥΛΛ ܒܪܘܠܐ, ΥΑΚΙΝΘ ܝܩܘܢܬܐ, ΣΑΝΔΑΡΑΚΑ ܣܢܕܪܟܐ, ΣΜΑΡΑΓΔ ܙܡܪܓܕܐ, ΚΑΜΗΛ ܓܡܠܐ, ΕΛΕΦ ܦܝܠܐ, ΣΗΣΑΜ ܫܘܫܡܐ, ΟΡΥΖ ܪܘܙܐ, ΧΙΤΩΝ ܟܬܢܐ, ΣΙΝΔΩΝ ܣܕܘܢܐ, ΚΑΝΝΑ ܩܢܝܐ, ΚΑΝΝΑΒ ܩܢܒܐ, ΥΣΣΩΠΟΣ ܙܘܦܐ, ΜΑΛΘΑ ܡܠܬܐ, ΜΥΡΟΝ ܡܘܪܐ, ΒΑΛΣΑΜ ܒܣܡܐ, ΡΟΔ ܪܘܕܐ, ΧΑΛΒΑΝΗ *galbanum* ܚܠܒܢܝܬܐ, ΚΥΜΙΝ ܟܡܘܢܐ, ΚΥΠΡΟΣ ܟܘܦܪܐ, ΝΙΤΡΟΝ ܢܬܪܐ, ΚΙΝΝΑΜ ܩܘܢܡܘܢ, ΣΥΚΑΜΙΝ ܫܩܡܐ, ΚΛΩΒΟΣ ܩܠܘܒܐ, ΡΟΜΦΑΙΑ ܪܘܡܚܐ, ΞΙΦΟΣ ܣܝܦܐ, ΚΑΡΔΑΜ ܚܪܕܠܐ, ΣΙΚΕΡ ܫܟܪܐ, ΜΝΑ ܡܢܐ, ΜΑΝΝΑ ܡܢܢܐ, ΚΙΝΥΡΑ ܟܢܪܐ, ΠΑΡΑΔΙΣ ܦܪܕܝܣܐ.

Sed maximam portionem vocabulorum quæ lingua Syriaca extraneis linguis distribuit, sortita est Arabica. Hæc Syriaca vocabula in Arabicam linguam insita, præcipue de rebus theologicis aut ecclesiasticis versantur. cum Arabes Syrorum opera, sicut ceteras culturæ civilis institutiones, ita et religionem Christianam acquisiverint. Syriaca autem vocabula Arabes non a dialecto quam litteralem seu classicam nominamus mutuati sunt, sed a Palæstinensi quæ Chaldaica dicitur. Denique observandum est Arabes fere omnia vocabula Syriaca, ad analogiam suæ linguæ reduxisse, unde videmus *s*[h]*in* mutatum in *sin* et viceversa, litteram quiescentem accipere vocalem brevem, *zqafam* semper per A longum expressam, etc.

Accipe nunc principalia vocabula Arabica Syriacæ originis ordine alphabetico Arabum disposita (1) : اصطبل ܐܣܛܒܠܐ Latin. *stabulum*, اسطوانة ܐܣܛܘܢܐ *columna*, استار ܐܣܬܪܐ *statera*, آمين ܐܡܝܢ *amen*, انبا ܐܒܐ *pater spiritualis*, اوقية ܐܘܩܝܐ L. *uncia*, ايقونة ܐܝܩܘܢܐ Gr. *icon*, باعوث ܒܥܘܬܐ *rogatio publica*, بلاط ܦܠܛܝܢ *palatium*, تلميذ ܬܠܡܝܕܐ *discipulus*, تفسرة ܬܦܣܝܪܬܐ *vas urinæ medico exhibendæ*, توبة ܬܝܒܘܬܐ (2) *pœnitentia religiosa*, تيمن ܬܝܡܢܐ *meridies*, توراة ܐܘܪܝܬܐ *Lex Mosaica*, جالوت ܓܠܘܬܐ *colonia captiva*, جبروت ܓܒܪܘܬܐ *potestas divina*, جهنم ܓܗܢܐ *Gehenna*, حانة ܚܢܘܬܐ *taberna*, حبر ܚܒܪܐ (in dialecto Chaldaica Rabbinorum) *doctor Judæorum*, دين ܕܝܢܐ *judicium divinum*, دينار ܕܝܢܪܐ *denarium*, دير ܕܝܪܐ *castellum*, زنار ܙܢܪܐ Gr. *zonarion*, زياح ܙܘܝܚܐ *celebratio*, ساعور ܣܥܘܪܐ *vicarius ecclesiasticus*, سبحان ܫܘܒܚܐ *gloria* (Deo tribuenda), سفر ܣܦܪܐ *codex*, سليح ܫܠܝܚܐ *Apostolus*, شبين ܫܘܫܒܝܢܐ *paranymphus*, شماس ܫܡܫܐ *diaconus*, صراط ܐܣܛܪܛܐ (Lat. *strata*) *via*, صلوة ܨܠܘܬܐ *oratio religiosa*, طاغوت ܛܥܝܘܬܐ *impostura*, طوبى ܛܘܒܐ *beatitudo* (in formula congratu-

(1) Perito liquet multa ex nominibus Syriacis hic prolatis esse quidem origine Græca aut etiam Latina, sed hoc non impedit quominus ipsorum cognitionem e usum Arabes Syris debuerint, et quidem Syris Palæstinensibus non Syris Mesopotamiæ aut Orientis ut patet ex ipsorum nominum forma.

(2) Verbum ܬܒ *reversus est* est Semiticum, habens in origine ث ; arabice enim dicitur ثاب, hebraice autem שׁב cum shin juxta regulam; sed cum agitur de conversione ad Deum Arabes adhibent formam Syriacam تاب cum ت.

lationis) طور ܛܘܪܐ *mons* , عرّب ܥܪܒܐ *susceptor in baptismo* , عماذ ܥܡܕܐ *baptisma* , فردوس ܦܪܕܝܣܐ *paradisus* , فندق ܦܘܬܩܐ Gr. *pandocion* , قدّاس ܩܘܕܫܐ *sacrificium missæ* , قربان ܩܘܪܒܢܐ *oblatio religiosa* , قرطاس ܩܪܛܝܣܐ (chaldaice ܩܪܛܝܣ) *charta* , قسط ܩܣܛܐ *cesta* , قسيس ܩܫܝܫܐ *presbyter* , قصر ܩܣܛܪܐ (chaldaice ܩܨܪܐ) Lat. *castrum* , قلاية ܩܠܝܬܐ Lat. *cella* , قنوم ܩܢܘܡܐ *persona* in divinis , قيامة ܩܝܡܬܐ *resurrectio* mortuorum , كاروز ܟܪܘܙܐ *prædicator* , كاهن ܟܗܢܐ *sacerdos* , كرّاس ܟܘܪܣܐ *quaternio libri* , كرح ܟܘܪܚܐ *cella* , كنيسة ܟܢܘܫܬܐ (ita in Chaldaica dialecto , sed ܟܢܘܫܬܐ in Syriasmo hodierno) , كورة ܟܘܪܐ Gr. *chora* , لاهوت ܐܠܗܘܬܐ *divinitas* , مار ܡܪܝ *Dominus* (est titulus honoris) , مغل ܡܢܥܠܐ *sera* , مزمور ܡܙܡܘܪܐ *psalmus* , ملكوت ܡܠܟܘܬܐ *regnum* (spirituale) , مينا ܠܡܝܢܐ (1) *portus* . ناسوت ܐܢܫܘܬܐ *humanitas Christi* , ناطور ܢܛܘܪܐ *custos* , ناقوس ܢܩܘܫܐ *nola* . ناموس ܢܡܘܣܐ Gr. *nomos* , نبراس ܢܒܪܫܐ *lucerna* , نياحة ܢܝܚܐ *quies mortui* .

---

(1) Hæc vox Græca est LIMHN. Eam cum Syri in suam linguam receperint, formam Syriacam ipsi dederunt dicentes *lmena;* Arabes autem eam a Syris accipiendo, dixerunt principio *lmina ;* postea imaginati litteram *l* esse articulum dixerunt *almina* ; et sic e litteris radicalibus *l* cecidit. Idem evenit nomini *Alexandriæ,* quod principio Arabes pronunciabant *Aliscàndarija* , nunc autem abjecta *al* ob expositam causam dicunt *Iscandarija.* Eodem modo Arabes pro *adamas* dixerunt *almas* , deinde considerantes *al* ut articulum dixerunt *mas.* Contrarium fecerunt Europæi , Itali , Franci et præsertim Hispani cum nominibus Arabicis quæ adoptaverunt , cum enim ea nomina articulo *al* ornata acceperint , hunc articulum ut partem integrantem radicis considerarunt ita ut cum volunt hæc nomina determinare , articulum suæ linguæ eis addant. Hujusmodi nomina innumera sunt in lingua Hispanica , juvat duo aut tria citare : *algebra* الجبر , *alcora* القبّة , *algarada* الغارة , *albacea* الوصي .

Horum nominum multa nonnisi Christianis nota sunt.

Inutile est nomina pure Græca recensere, ut انجيل ܐܘܢܓܠܝܘܢ *evangelium*, اسقف ܐܦܝܣܩܘܦܐ *episcopus*, مطران ܡܝܛܪܦܘܠܝܛܐ *metropolita*, اوخرسطيا ܐܘܟܪܣܛܝܐ *Eucharistia*, خوري ܟܘܪܐܦܝܣܩܘܦܐ *chorepiscopus*. Nominibus mere Syriacis adde nomina mensium anni, ut كانون ܟܢܘܢ *December* et *Januarius*, ܫܒܛ *Februarius*, etc.; item innumera nomina herbarum et medicinarum. Denique observandum est ubi Syriasmus classicus quem scilicet litteralem nuncupavimus, a dialecto Chaldaica differt in iis vocabulis quæ e lingua Syriaca in Arabicam transierunt, Arabicam cum Chaldaica concordare, non cum litterali, ad ejusque instar ea vocabula efferre, ob causam quam mox retulimus, ut كنيسة *ecclesia*, قصر *palatium*, قرطاس *charta*, جهنم *gehanna*, ايقونة *icon*, فندق *diversorium*, in quibus convenit dialectus Chaldaica seu Palæstinensis quæ dicit ܟܢܝܫܬܐ cum *jod*[h], ܩܝܨܪܐ, ܩܪܛܝܣܐ, ܓܝܗܢܡ, ܐܝܩܘܢܬܐ, ܦܘܢܕܩܐ, quemadmodum vidimus antea dialectum Chaldaicam convenire cum Arabica lingua in vocabulis aut formis grammaticis mere Semiticis in quibus dialectus litteralis ab Arabica differt, ut ܙܡܢܐ زمن *tempus*, ܫܠܫܠܬܐ سلسلة *catena*, cum in litterali dialecto dicatur ܙܒܢܐ et ܫܫܠܬܐ. Hoc evidenter indicat Arabes verba Syriaca recepisse non a Syris Mesopotamiæ sed Syriæ vel Palæstinæ ipsis vicinarum cum adhuc lingua Syriaca in his regionibus vernacula erat (1). Unde factum est

(1) Pulcherrima ac jucundissima est profecto nova scientia philologica dicta linguistica comparata dummodo cum moderatione in ea procedatur; sed ex quo ejus pontifices ipsa abuti incipiunt, intolerabilis evadit et creditum suum amittit. Inter hos abusus censenda est cupido quæ cujusdam scholæ orientalistarum animos hodie invasit novas quotidie doctrinas in mundum invehendi. Quid enim dicendum de talibus doctoribus qui in omni pagina, ut ita dicam, lexici

quod ex. gr. Arabes *Ecclesiæ* كنيسة nomen non a ܥܕܬܐ quod est dialecti classicæ, sed a ܟܢܫܬܐ quod est proprium dialecti Chaldaicæ seu Palæstinensis acceperint; item nomen *Calami* قلم non a lingua litterali in qua hoc nomen Græcum non extat, sed a Palæstinensi ܩܠܡܘܣ. Sed probabilius est Arabes hæc nomina non a Palæstinensibus accepisse, sed a Syris Syriæ cum quibus multo frequentius erat Arabum commercium, et qui ut alibi diximus, simillimam habebant idiomati Palæstinensi Aramaico dialectum Syriacam.

Denique recolantur ea quæ antea diximus de numerosissimis vocabulis quæ ex lingua Syriaca in dialectos Persicas ab antiquissimis temporibus transierunt, præsertim in Pehlevicam, quæ multo plures Syriacas voces continet quam Syriaca Græcas, nam in ea passim occurrunt vocabula Syriaca omnino non necessaria, ut *frater, pater*, *filius, terra,* etc. Videntur Persæ vel ab antiquis temporibus cœco amore erga exteras linguas ardentes semper fuisse; quod enim Persæ Mahomedani hodierni cum Arabica lingua faciunt, sine mensura et limite ejus vocabula in suam linguam introducendo, idem faciebant veteres Persæ Zoroastrici cum Syriaca.

Quoad linguam Hebraicam jam diximus antea quantam lingua Syriaca in eam habuerit auctoritatem

---

Arabici non vident nisi vocabula origine Syriaca aut quomodocumque exotica? Nam apud hos orientalistas خمير *fermentum*, خمر *vinum*, زيتون *oliva*, لوح *tabula*. روح *spiritus*, رحمان *misericors*, خاتم *annulus*. تين *ficus*, فدن *palatium*, شيد *cæmentum*, et multa alia, non sunt pura Arabica nomina, sed ex Syris sumpta !! Vid. claris. orientalistam Romanum Guidi, Della Sede primitiva de' Semiti passim, et Osservazioni sulle Gutturali; etc. Cum hujusmodi asserta nullo argumento fulciantur, nullam merentur refutationem.

antiquis temporibus, ut vocabula Syriaca et puri Syriasmi, ut dicunt, in scriptis auctorum Hebræorum optimæ notæ, quales sunt scriptores Veteris Testamenti, non raro inveniantur.



CAPUT VII

COMPENDIARIA LINGUÆ SYRIACÆ EJUSQUE LITTERATURÆ HISTORIA.

Ex iis quæ præcedentibus capitibus disseruimus, colligitur linguam Syriacam seu Aramaicam multo ante seculum XX^m ante Christum diffusam fuisse in tota Asia Occidentali, exceptis partibus meridionalibus versus Occidentem, videlicet Palæstina et Arabia. In Palæstina quoque jam inde a seculo ante Ch. VIII° linguam Syriacam plantatam fuisse apud Samariæ populum cujus maxima pars e regionibus Orientalibus idest ex Babylonica finitimisque terris jussu regum Assyriæ illuc migraverat. Denique totam fere Palæstinam seculo VI° lingua Syriaca occupatam fuisse cum tota regio sub jugum Chaldæorum cecidit et ab eorum coloniis occupata fuit, Judæi autem postquam in Babylonide dimidium seculum transegerant sub captivitate, denique jussu Cyri regis Babylonis hanc captivitatem reliquerunt et in patriam reversi sunt, loquentes linguam terræ captivitatis suæ (1).

Seculo igitur VI° ante Ch. in toto immenso terrarum tractu qui hodie vastissimum imperium Othomanorum Asiaticum format, exceptis Asia Minori, Armenia et

(1) Hanc veritatem historicam a quibusdam recentioribus Orientalistis novitatum amatoribus impugnatam aut saltem in dubium revocatam, jam satis superque cap. I demonstravimus.

Arabia, quique comprehendebat etiam partem terrarum quæ dominio Persarum hodie subjectæ sunt, in omnibus, inquam, his vastissimis regionibus lingua Syriaca erat vernacula, at certe cum varietatibus seu variis dialectis, quarum præcipua, prædominans et classica erat illa quam Babylonicæ nomine insignimus quæque Chaldaicæ nomine cognoscitur, quippe quæ apud Judæos, apud incolas Babyloniæ, Assyriæ finitimarumque regionum habitatores et forsitan in tota Syria, saltem Occidentali, vigebat et exculta erat. Utrum autem inter varietates tunc existentes linguæ Syriacæ esset una quæ similitudinem haberet cum dialecto quam Syriacam litteralem appellant, id nescimus, sed non videtur probabile, quia quasi certum nobis est dialectum hanc ex dialecto Babylonica progressu temporis natam esse. Diversitatem autem dialectorum fere adamussim sequebatur diversitas alphabeti seu scripturæ ut capite III° fuse expositum est. Usque ad illam ætatem lingua Syriaca ab exotica mixtura pura remanserat, exceptis nonnullis vocabulis Persicis quæ in partibus Orientalibus potissimum adhibebantur. Quod autem dialectus quam Babylonicam dicimus, classica et litteralis illis temporibus fuerit, ex eo certum fit quod Judæorum adolescentes hanc linguam quam postea in Judæam attulerunt, scholis et quidem regalibus, et non ex ore vulgi didicerint (vid. Dan. 1, 4). Denique cum illa ætate Babylonia erat metropolis potentissimi et vastissimi imperii qui omnes populos Syriace loquentes complectebatur, necessarium erat ut ejus lingua omnibus populis sibi subjectis esset lex et norma.

Ita plus minus se res habuere usque ad exitum seculi IV ante Christ. in quo dominatio Græcorum, Alexandri Magni successorum, omnes fere populos Syros com-

plexa est, et cum populis lingua etiam ingenti numero vocabulorum Græcorum pervasa est.

Tandem lucescente magno seculo fundationis Christianismi, quæ, et hoc etiam memorandum est, in regionibus populorum Syriaca lingua loquentium locum habuit, tunc res nova magni momenti quoad Syriacam litteraturam visa est, nempe linguam Babylonicam quæ præteritis seculis, ut nuper vidimus, prædominans erat et classica maximamque partem populorum Syrorum complectebatur, ex quasi improvisu de mundo evanescere et locum cedere dialecto hodie vulgatæ quæ litteralis dicitur, seu quod accuratius est, in hanc novam dialectum ubicumque transformari, præter Babyloniam et Palæstinam et partem Syriæ Occidentalem, in quibus illa antiqua dialectus fere semper eadem mansit.

Hoc quidem alterum certissimum est primo ex eo quod omnes libri Aramaici illo et posterioribus seculis apud Judæos et in Palæstina conscripti, hanc linguam portant. Secundo ex Aramaicis vocibus quæ in Novi Testamenti (in quo narrantur gesta quæ in Palæstina potissimum locum habuere) textu Græco occurrunt litteris Græcis; etenim hæ voces juxta dialectum prædictam leguntur, non juxta dialectum dictam litteralem, ut patet ex sequenti tabella in qua omnes voces Aramaicæ in N. Test. Græcis litteris occurrentes litteris Latinis et Syriacis expressæ sunt, adjecta cuique voci ejus respondente in Syriasmo litterali utrisque litteris ut supra.

I – Matth. 27, 46: « *Eli, eli, lima s^sabaqlàni* » ܐܶܠܺܝ ܐܶܠܺܝ ܠܡܳܢܐ ܫܒܰܩܬܳܢܝ (1). At juxta litt. « *El, el, lmana*

(1) Cum lingua Syriaca litteralis non habeat signa ad vocales breves indicandas utpote quæ eas non habeat, coacti sumus in his vocibus Chaldaicis transcribendis per signa vocalium clausarum vocales breves dialecti Chaldaicæ seu Babylonicæ describere.

s^{s}abaqtan » ܐܝܠܝ ܐܝܠܝ ܠܡܢܐ ܫܒܩܬܢܝ.

II – Marc. 15, 34: « *Elôhi, elôhi*, etc. » ܐܠܘܗܝ ܐܠܘܗܝ. At litt. « *Alâh, âlâh*, etc. » ܐܠܗܝ ܐܠܗܝ.

III – Marc. 5, 41: « *T^{l}alit^{h}a qumi* » ܛܠܝܬܐ ܩܘܡܝ. At litt. « *T^{l}lit^{h}a qum* » ܛܠܝܬܐ ܩܘܡ. Similis est locus Act. 9, 36 ubi « *T^{l}abit^{h}a* » ܛܒܝܬܐ. At litt. « *T^{l}bit^{h}a* » ܛܒܝܬܐ.

IV – Marc 7, 34: « *Effat^{h}ah^{h}* » ܐܦܬܚ. At litt. « *Et^{h}pat^{h}h^{h}* » ܐܬܦܬܚ.

V – Act. 1, 19: « *H^{h}aqeldama* » ܚܩܠ ܕܡܐ. At litt. « *H^{h}qêldma* » ܚܩܠ ܕܡܐ.

VI – I Cor. 16, 22: « *Mârân ât^{h}a* » ܡܪܢ ܐܬܐ. At litt. « *Mâran et^{h}t^{h}a* » ܡܪܢ ܐܬܐ.

VII – Marc. 14, 36; Rom. 8, 15; Galat. 4, 6 vox pater est « *Abba* » ܐܒܐ, cum in litt. dicitur « *Ava* » ܐܒܐ.

VIII – Marc. 3, 17: « *Benairegh^{h}es^{h}* » ܒܢܝ ܪܓܫ. At litt. « *Bnair'em* » ܒܢܝ ܪܥܡ.

Hi sunt notabiliores N. Testamenti loci in quibus phrases aut voces Aramaicæ litteris Græcis allegatæ sunt, et quæ omnes in textu originali juxta dialectum Babylonicam dictam Chaldaicam citatæ sunt, non juxta hodiernam linguam Syriacam.

Est igitur certum linguam Syriacam Christi ætate eadem ratione se habuisse in Palæstina ac ea fuerat tempore quo Judæi ex captivitate Babylonica reversi sunt. Non tamen sine aliqua varietate. Nam in Galilæa dialectus erat aliquantulum diversa a dialecto Judææ, teste N. Testamento. Vid. Matth. 26, 71 et 73; Marc, 14. 70. Idem

testantur Rabbini in Talmudo. Imo Syriaca dialectus Galilææ ita corrupta erat ut litteræ gutturales omnes ut alaf pronunciarentur ad instar Mandaitarum Babyloniæ, testibus Rabbinis prædictis. Ceterum hi Rabbini nonnisi conventionis causa dialectum Assyriæ et Babyloniæ a dialecto Palæstinæ distinguunt, illam vocantes Aramaicam hanc Syriacam. - De Mandaitis Babyl. jam satis supra.

Nunc ad primum assertum veniamus idest præter Judæos et Mandaitas (cum Syriæ Occid. incolis) linguam Syriacam excultam, classicam seu ut vulgo dicitur officialem seculo I° Christi fuisse ubicumque etiam in Babylonia ceterisque Orientalibus regionibus eam quam nomine litt. distinximus. Omnia documenta id probant. Sufficit præ omnibus insigne testimonium versionis Syriacæ Bibliorum quæ Ps^hitta dicitur quæ creditur non post finem seculi I[i] aut saltem initium II[i] factam fuisse quæque lingua litterali pura ac simplici conscripta est. Profecto historia non memorat in qua regione hæc celeberrima versio facta fuerit; sed a veritate non alieni erimus si eam in Mesopotamia factam fuisse dicimus (1). Et quod attinet ad Babyloniam ceterasque Orientales regiones, non est prætereundum primos quos novimus Syriacæ linguæ de qua loquimur, sub Christianismo scriptores, ex illis regionibus quæ illa ætate imperio Persarum subjectæ erant ortos esse, nempe Maram Serapionis (I° sec.), Tatianum Assyrium (II° sec.), Mani hæreticum famosum (III° sec.), Simeonem Barsabba'æ, Miletem Susianum, Aphraatem Persam (omnes initio sec. IV[i]), etc. Aliud testimonium etiam habemus in dialecto ipsa Mandaitarum quæ sine dubio seculo I° jam

(1) Hæc perantiqua versio nuper Mausili (*Mossoul*), in Mesopotamia, apud religiosos S. Dominici typis tradita est.

formata erat, quæque quamquam vulgaris videatur esse, atque fere purum Chaldaismum præseferat tamen in nonnullis grammaticis punctis dialectum litteralem de qua agimus sequitur.

Sed quando hujusmodi Babylonicæ dialecti transformatio in eam quæ litteralis dicitur, definitive facta est? Ubi incœpit? Quæ civitas ut puri hujus sermonis norma habebatur illa prima ætate? Hæc omnia nobis omnino ignota sunt. Unum tantum scimus hanc dialectum ab illa ætate consideratam semper fuisse ut linguam classicam in toto Oriente excepta Palæstina ut diximus, eamque simpliciter Syriacam seu Aramaicam vocari cœpisse. Imo ad ipsos Judæos causa quæ prædictam transformationem in lingua Syriaca produxit, pedetentim pervenit; videmus enim linguam Aramaicam qua Judæorum libri a seculo I° Christi et deinceps compositi sunt, quamquam in substantia sit illa quam Chaldaicam dicimus, colorem tamen non levem dialecti hujus litteralis præseferre. Targum Proverbiorum, quod sec. III° post Chr. elaboratum esse creditur, principalem in hac re habet locum. Perperam autem nonnulli asseruerunt dialectum litteralem de qua agimus, nonnisi apud Christianos olim usitatam fuisse; Ethnici enim etiam hac lingua scribebant; hac lingua usus est T^habit ibn Qurra famosus paganus ex urbe Harran in conscribendis suis operibus quæ Barhebræus refert se legisse. Alii noscuntur scriptores Syri pagani huic posteriores vel anteriores, quorum nomina vide apud Assem. *De Syris Monophisitis* pag. 204. Inter libros Syriacos non Christianos dialecto nostra litterali scriptos memorandus est imprimis celeberrimus liber de *Agricultura Nabatæa*, cujus auctor Qutami est incertæ ætatis (forsitan ante Christianismi apparitionem),

cujusque Syriacus textus deperditus est, cujus tamen supervixit Arabica versio facta a Ibn Wah[h]s[h]iya Chaldæo anno 904 æræ Christ. (Vid. Renan *Hist. des Lang. Sémit.* pag. 244). Errarunt igitur qui autumarunt dialectum Syriacam dictam litteralem esse origine prototypum linguæ Aramaicæ, eamque in Mesopotamia ortum habuisse, atque inde per Christianismum in ceteras regiones propagatam fuisse. Denique insigne argumentum nobis exhibet ipsa lingua litteralis eam dialecto Chaldaicæ posteriorem esse atque ex ipsa natam fuisse, hoc autem argumentum consistit in vocibus Syriacis compositis quarum ratio perdita est in lingua Syriaca litterali, extat tamen in Chald., ut v. g. ܕܒ in ܕܒܠܒ etc.; caf in ܐܝܟܢܐ, ܗܟܢܐ ; ܕܝܢ in ܗܝܕܝܢ ; ܕܝܟ in ܗܝܕܝܟ, ܕܒܒܐ in ܒܕܠܒܒܐ ; etc.

Hujus linguæ Syriacæ quæ hodie Syris Christianis sola est litteralis, aggressi sumus regulas grammaticales in hoc libro tradere, utpote quæ inde a I° Chr. seculo eadem omnino mansit usque ad hunc diem sine ulla mutatione.

Vicissitudines autem hujus linguæ ex quo classica evasit quamquam paucæ, haud prorsus nobis ignotæ sunt secus ac in præcedentibus ætatibus (1).

Etenim etsi paucissima ex I° II° et III° Christi seculis monumenta Syriaca ad nos pervenerint, tamen seculum IV[m] aperit nobis ætatem auream litteraturæ Syriacæ; in ea enim ex diversis scholis Syriacis Mesopotamiæ et regionum Orientalium, potissimum Babylonicæ quarum celebriores erant Seleuciæ quæ locum tenuit

(1) Inter orientalistas recentiores summariam historiam litteraturæ Syriacæ optime tractavit Americanus A. L. Frothingham in opusculo cui titulum fecit « Historical sketch of Syriac litterature ».

destructæ Babylonis, Edessæ in Mesopotamia, dein Nisibi itidem in Mesopotamia, aliquando in utraque, ingens numerus litteratorum disciplinis sacris et profanis instructi prodierunt. Harum scholarum celebritas fere ut famosissimæ quondam scholæ Alexandrinæ, ad remotissimas regiones volavit, ita ut Roma ipsa quodammodo eis invideret (1). In his, inquam, aliisque semper Mesopotamiæ, aut Assyriæ vel Babylonicæ scholis formabantur juvenes Syri, ex quibus postea emicuerunt præstantissimi doctissimique scriptores qui linguæ Syriacæ culturam et expolitionem ad apicem perduxere, ita quidem ut omnes qui post eos sequentibus ætatibus venere, eorum vestigia quidem sequi debuerint, sed admodum pauci fuerint qui eorum fastigium assequi potuerint. Horum celebriores sunt Bardesanes (Bardaisan), Aphraates Persa, Ephræm Edessenus (celeberrimus omnium scriptorum Syrorum omnium ætatum), Balajus, Cyrillona, Maruthas Maifaractensis (2), Isaac Antiochenus, Narsetes (Narsai), Philoxenus Mabugensis, Rabulas Edessenus, Jacobus Sarugensis et alii. Hæc aurea ætas litteraturæ Syriacæ usque ad VIII vel etiam ad IX seculum perduravit, et tunc sensim declinare cœpit usque ad seculum XIII in quo prodiit verum portentum litteraturæ Syriacæ, Barhebræus, inquam, vulgo Abulfaragi Maphrianus Jacobita, per quem sol litterarum Syriacarum jamdudum fere eclipsim passus totum suum splendorem renascens emisit et quo extincto usque ad hunc diem miserandum in modum occidit.

Nunc quid præteritis seculis factum sit ad linguam

(1) Vide Assem. De Syris Nestorianis pag. 927.

(2) Illustrissimus Assemanus in sua Bibl. Orient. perperam hunc Marutham Maifaractensem qui orthodoxus erat, cum altero Marutha Tagritensi qui monophysita erat, confudit, cum inter utrumque spatium integri seculi intercedat.

Syriacam expoliendam certisque regulis stabiliendam, breviter sermone perstringamus. – Profecto in ipsa ætate aurea de qua supra, nescimus elucubrationes philologicas editas fuisse apud Syros, (quod non satis mirandum) videlicet libros grammaticos aut lexica; tirones in linguæ Syriacæ disciplinis orali traditione et assidua librorum classicorum tractatione instruebantur ut Romæ et Athenis olim fiebat. Primus, quem historia refert opus grammaticum conscribere suscepisse apud Syros, est Josephus Ahwazita cognomento *H^{h}azzaja* (ܚܙܝܐ), qui prima seculi VI medietate apud Syros Orientales seu potius apud Nestorianos, (nam incertum est in illa ætate extitisse distinctionem litterariam inter Nestorianos et Jacobitas), claruit in schola Edessena ubi magisterio perfunctus est. Post plus quam seculum integrum studiis philologicis linguæ Syriacæ innotuit apud Jacobitas illustris Jacobus Edessenus, idest episcopus Edessæ, cujus scripta omnigenæ doctrinæ et præsertim quæ ad litteraturam Syriacam spectant, sunt magni pretii, et per multa secula ut sola norma habita sunt ab utraque schola, Orientalium scilicet et Occidentalium. Obiit anno 708. Plures post hos duos viros tum inter Orientales tum inter Occidentales de re grammatica tractanda operam navarunt, et inter Orientales quidem commemorandi sunt Is^{h}ò-Dnah sec. VIII, Hunain medicus sec. IX, Elias I^{s} patriarcha dictus Tirhanensis qui innotuit initio sec. XI, Elias Bar-S^{h}ini episcopus Nisibenus sec. XI, David Bar Paulos cujus ætas incerta est, Joannes Bar-Zubi sec. XIII qui quotquot ipsum præcesserunt superavit, quique de regulis grammaticæ diffuse et distincte egit, quum omnes tractatus grammatici ante illum compositi nonnisi aliquas et quidem paucas quæstiones complecterentur;

Inter Occidentales vero celeberrimus fuit sec. XIII ineunte Jacobus Bartellensis notus sub nomine Severi, qui scripsit breves tractatatus de nonnullis quæstionibus quæ grammaticam spectant.

Ille autem qui omnes quotquot ante vel post ipsum floruerunt, grammaticos Syros longe superavit, est Gregorius Barhebræus cognomento Abulfàragi celeberrimus Mafrianus Jacobitarum, qui claruit seculo decimo tertio. Hic diversas elucubrationes de rebus grammaticis scripsit, quarum præcipuæ sunt: grammatica brevior rythmica cui titulum fecit ܣܟܘܦܬܐ (*limen*) et altera fusior soluta oratione composita cui nomen dedit ܨܡܚܐ (*splendores*); quæ duæ grammaticæ sunt præcipua auctoritatis documenta in re grammaticali nostris temporibus, quippe in quibus nullam fere quæstionem grammaticam spectantem auctor præteriit, et ex quibus perspicuum fit quam optime linguam Syriacam calleret ac in ejus litteris versatissimus esset. Barhebræus tamen quamvis summam meretur laudem, censurandus merito est aliquali ratione eo quod (ut fere omnes qui eum præcesserunt) in exponendis grammaticæ præceptis methodum logicam non secutus sit neque semper attigerit fundamentum philologicum cui illa innituntur, et proinde nesciverit principia generalia regularum grammaticarum deducere; præterea quamvis doctrinæ copia incomparabilis vere fuerit, non habebat tamen plenam cognitionem status primitivi linguæ Syriacæ antequam ad formam quam ipse vidit, pervenerit (1).

(1) Mirum sane est neminem ex grammaticis Syris gentilibus grammaticam Syriacam respexisse et de ipsa tractasse ea ratione quam linguæ Syriacæ indoles naturalis exposcit, utpote qui fere in omnibus secuti sunt grammaticos linguæ Græcæ cujus intima constitutio longe distat a constructione linguæ Syriacæ. Ideo neminem vides ex grammaticis Syris qui doctrinam de radicibus nominum et verborum bene statuerit, qui discrimen inter verba simplicia et aucta exacte tractaverit,

Post Barhebræi ætatem nulla elucubratio alicujus momenti de re grammatica apud Syros apparuit, donec tribus seculis quæ nostrum præcessere, i. e. XVI, XVII et XVIII exorti sint inter Syros Occidentales Maronitas plurimi egregii auctores, Syriaci sermonis peritissimi, qui elucubrationes varias de institutione linguæ Syriacæ ediderunt, inter quos eminent Georgius Amira qui latine suam notam grammaticam Syriacam publicavit, Isaac Sciadrensis, Jesus Aqurensis, Abraham Haqelanus seu Ecchellensis aliique. Prætermittimus opera quæ linguis Europæis divulgata sunt posterioribus temporibus in Europa de institutionibus linguæ Syriacæ (1).

Quamvis post tot tamque præstantes viros ego veniam, visum tamen est mihi ex eorum locupletissimis thesauris quædam colligere, et in gratiam hujus linguæ in Europa amantium præsens Compendium proferre, quod fieri quantum potuit, ut esset absolutum conatus sum, ita ut

qui linguæ Syriacæ Grammaticam per comparationem cum lingua Arabica, ipsis non ignota, illustraverit, etc. In hoc Hebræi palmam tulerunt. Eorum enim grammatici inde ab initio (circa seculum IX post Christum) regulas grammaticæ Hebraicæ super sana et exacta philologiæ principia quæ ab Arabibus didicerant (et pro quibus summum meritum habent Arabes utpote qui nullo duce præeunte simul ac suæ linguæ regulas grammaticales constituere aggressi sunt, ad plenam perfectionem eam perduxerunt). Arabes, inquam, Hebræi imitati, regulas grammaticæ Hebraicæ super exactas philologiæ leges fundaverunt. Barhebræus quidem in suis grammaticis imitatus est grammaticos Arabes, sed in aliquibus syntaxeos capitulis tantum quæ minoris momenti sunt et quæ nulla indigent Arabum imitatione, neglectis tam claris tamque præcisis partis materialis grammatices fundamentis quæ grammatici Arabes tam feliciter posuerunt. Quod autem Syri Christiani grammaticam Syriacam ad normam grammat. Græcorum formaverint id non est argumentum decisivum Syros anteriores et præsertim sub florentissimis imperiis Babylonico et Assyriaco nullos habuisse tractatus grammaticos. Nam probabilissimum est, ut supra vidimus, circa initia Christianismi linguam Syriacam de qua agimus, litteralem esse incepisse, erat ergo quasi nova, et proinde nova indigebat tractatione.

(1) Qui vult elenchum cognoscere omnium elucubrationum grammaticalium de lingua Syriaca in Europa editarum usque ad annum 1860, adeat *Zinker* (*Bibl. Orient.* tom. II pag. 430 et seq.)

aliis non indigeant libris qui linguæ Syriacæ regulas grammaticales non mediocriter addiscere volunt. Eruditorum tantum Europæorum qui hoc opus pertractare dignabuntur, indulgentiam præstolor, qui multas certe pro iis novas res in eo videbunt, quæ non sine utilitate erunt, præsertim ad corrigendos errores, ceteroquin excusabiles, hucusque in scholis Europæis cursum habentes. Denique non displicebit, spero, eruditis viris nostri temporis, methodus quam mihi in toto fere opere imposui, ut scilicet regulas grammatices certis ac generalibus principiis, per quantum fieri potuit, fundarem, atque linguam Syriacam litteralem dictam cum ceteris dialectis Syriacis, nec non cum cognatis linguis Semiticis, Hebraica inquam et præsertim Arabica, constanter compararem.

Scribebam Damasci mense Aprili

Anno MDCCCLXXXVI.



GRAMMATICA ARAMAICA

LIBER PRIMUS

DE LECTIONE & SCRIPTURA

CAPUT I

DE ALPHABETO SYRIACO

ARTICULUS I

DE GRAMMATICES DEFINITIONE, DE PARTIBUS ORATIONIS ET DE ALPHABETI SCRIPTIONE

1 – Artem grammaticam Syri grammatici modo Græco vocabulo ܓܪܡܛܝܩܘܣ, modo Syriaca expressione ܬܘܪܨ ܡܡܠܠܐ *castigationem sermonis* vocant. Sermonis vero partes, Græcorum more, octo Syri grammatici recensent, quas tamen cum celeberrimo grammatico Barhebræo (ܒܪܥܒܪܝܐ), more Arabum ad tres tantummodo partes reducere licet, quæ sunt, *nomen*, *verbum* et *particula*. Singularum harum partium tractatibus in genere vel in specie, præmittenda nobis sunt quædam de scriptione et de modo legendi apud Syros. Itaque

litteras alphabeticas Syri ܐܳܬܘܳܬܳܐ h.e. *signa* vel ܐܶܣܛܽܘܟܣܶܐ h.e. *elementa* dicunt, quæ quidem litteræ alphaticæ apud Syros numero sunt viginti duæ, suntque notissimo apud Arabes ordine sequenti : ابجد , هوز , حطي , كلمن , سعفص , قرشت ,

Figurarum autem alphabeticarum seu characterum in usu vigentes apud Syros tres hodie noscuntur species, uti dictum est in Prolegomenis, scilicet: Alphabetum Strangelum, alphabetum Orientale proprium Nestorianis et vulgo dictum Chaldaicum, et alphabetum Occidentale adhibitum a Jacobitis, a Maronitis atque a Syris catholicis patriarchatus Antiocheni. Hæc autem tria alphabeta sibi invicem similia sunt, ut liquet ex sequenti tabella :

TABELLA SCRIPTURÆ SYRIACÆ

ALPHAB. STRANG.	ALPHAB. ORIENT.	ALPHAB. OCCIDENT.	NOMINA (1) LITTERARUM	VALOR
ܐ	ܐ	ܐ	ܐܳܠܰܦ Alaf	A
ܒ	ܒ	ܒ	ܒܶܝܬ Beth	B, V
ܓ	ܓ	ܓ	ܓܳܡܰܠ Gâmal	G, GH
ܕ	ܕ	ܕ	ܕܳܠܰܬ Dâlath(1)	D, DH
ܗ	ܗ	ܗ	ܗܶܐ He	H
ܘ	ܘ	ܘ	ܘܰܘ Waw	U, W
ܙ	ܙ	ܙ	ܙܰܝܢ Zain	Z

(1) Nomina hic scribimus litteris Latinis ut ea efferunt Orientales, nomina autem litteris Syriacis scripta pronunciationem Occidentalium repræsentant.

(2) Nonnulli ex Occidentalibus pronunciant ܕܳܠܶܬ.

ALPHAB. STRANG.	ALPHAB. ORIENT.	ALPHAB. OCCIDENT.	NOMINA LITTERARUM	VALOR
ܚ	ܚ	ܚ	ܚܝܬ H^{h}et^{h}	H^{H}
ܛ	ܛ	ܛ	ܛܝܬ T^{t}et^{h}	T^{T}
ܝ	ܝ	ܝ	ܝܘܕ Jod^{h}	I, J
ܟ ܟ	ܟ ܟ	ܟ ܟ	ܟܦ Caf	C, K^{H}
ܠ	ܠ	ܠ	ܠܡܕ Lâmad^{h}	L
ܡ	ܡ	ܡ	ܡܝܡ Mîm	M
ܢ ܢ	ܢ	ܢ	ܢܘܢ Nûn	N
ܣ	ܣ	ܣ	ܣܡܟܬ Semcat^{h}	S
ܥ	ܥ	ܥ	ܥܐ E	ʿ
ܦ	ܦ	ܦ	ܦܐ Pè	P, F
ܨ	ܨ	ܨ	ܨܕܐ S^{s}âd^{h}c	S^{S}
ܩ	ܩ	ܩ	ܩܘܦ Qôf	Q
ܪ	ܪ	ܪ	ܪܝܫ Rês^{h}	R
ܫ	ܫ	ܫ	ܫܝܢ S^{h}în	S^{H}
ܬ	ܬ	ܬ	ܬܘ Taw	T, T^{H}

Nota 1. En nomina litterarum alphabeti prout ea a Syris Occidentalibus pronunciantur: Olaf, Bêt^{h}, Gômal, Dôlat^{h}, Hê, Wâw, Zain, H^{h}et^{h}, T^{t}et^{h}, Iûd^{h}, Côf, Lômad^{h},

Mîm, Nûn, Semcât[h], ʿE, Fè, S[s]od[h]e, Qôf, Rîs[h], S[h]în, Tâw. Adverte Syros Occidentales in monte Libano alibique, horum nominum quæ in consonantem exeunt, cum productione seu accentu extremas syllabas pronunciare, ut Gômâl, Dôlâd, Lômâd, Semcàt, etc.

Nota 2. En nomina litterarum alphabeti characteribus Orientalibus scripta:

ܐܳܠܰܦ. ܒܶܝܬ. ܓܳܡܰܠ. ܕܳܠܰܬ. ܗܶܐ. ܘܰܘ. ܙܰܝܢ. ܚܶܝܬ. ܛܶܝܬ. ܝܽܘܕ. ܟܰܦ.
ܠܳܡܰܕ. ܡܺܝܡ. ܢܽܘܢ. ܣܶܡܟܰܬ. ܥܶܐ. ܦܶܐ. ܨܳܕܶܐ. ܩܳܘܦ. ܪܺܝܫ. ܫܺܝܢ.
ܬܰܘ.

2 – Sciendum est istas litteras alphabeticas omnes necti in scriptione cum antecedentibus litteris; omnes quoque necti cum sequentibus, exceptis litteris quæ infra, nempe: ܐ, ܕ, ܗ, ܘ, ܙ, ܨ, ܪ, ܬ, quæ cum sequentibus non colligantur. Litterarum autem figuræ quando cum antecedentibus vel sequentibus nectuntur, modificantur aliquantum, maxime in scripturis *Orientali* scilicet Nestoriana et *Occidentali* nempe Jacobitica, ut tibi exhibebunt duæ sequentes tabellæ, quarum altera exhibet litteram *alaf* (ܐ) connexam cum singulis litteris quæ sunt ligabiles cum sequentibus, altera exhibet litteram *bet[h]* (ܒ) adnexam cum omnibus et singulis litteris alphabeticis:

I

FIG. OCCID.	FIG. ORIENT.	FIG. OCCID.	FIG. ORIENT.	FIG. OCCID.	FIG. ORIENT.
ܒܐ	ܒܐ	ܟܐ	ܟܐ	ܥܐ	ܥܐ
ܓܐ	ܓܐ	ܠܐ	ܠܐ	ܦܐ	ܦܐ
ܚܐ	ܚܐ	ܡܐ	ܡܐ	ܩܐ	ܩܐ
ܛܐ	ܛܐ	ܢܐ	ܢܐ	ܫܐ	ܫܐ
ܝܐ	ܝܐ	ܣܐ	ܣܐ		

convertitur in matrem lectionis, ut ܫܐܠܐ *s*^{h}*ólo* (pro *s*^{h}*ó'lo*) *petens* f., ܒܝܐ *bàja* (pro *bàja'*) *consolatus est*, ܡܐܟܘܠܬܐ *mék*^{h}*ulto* (pro *me'k*^{h}*ulto*). Quod si post talem hamzam occurrit littera quiescens, tunc vocalis longa litteræ præcedentis evadit clausa, ex. gr. ܡܐܟܠܐ *usus* (*mék*^{h}*lo* pro *mék*^{h}*elo*).

6.ᴵᴵ – E contra Alaf initiale veniens post consonantem quiescentem alterius vocis, transfert in pronunciatione suam vocalem ad consonantem præcedentem, et tunc hoc alaf silet, ut ܐܢ ܐܝܬ ܒܐܪܥܐ *si est in terra*, quod legitur: *Enit*^{h} *barco*, pro *En'it*^{h} *b'arco*. Idem evenit si alaf initio vocis subintelligitur, ut ܙܠ ܝܪܬ *proficiscere possidere* pro ܙܠ ܐܝܪܬ quod legendum: *zélirat*^{h} pro *zélirat*^{h}.

7 – Atque hæc de alaf consonanti. Waw autem ut consonans sonat ut *co* Angelorum in *Watch*, vel *u* Italicum in *uopo*, nunquam ut *v* Europæorum, etsi Judæi qui in Europa degunt hanc litteram corrumpunt eam pronunciando ut *v*, sicut multas alias alphabeti Semitici litteras corrumpunt. Waw omnes vocales potest accipere, ut ܘܪ *war*, ܘܐ *we*, ܘܝ *woj*, etc. De waw consonanti quiescenti videbimus infra.

Denique jod^{h} ut consonans sonat ut *y* Angoloru m in *yard*, *j* Italorum in *jeri*, Francorum in *yougada*, *yeux*, *payer*; (1) omnes pariter vocales accipit, ut ܝܕ *jad*^{h}, ܝܘܡ

(1) Mirum sane est grammaticos Gallos post tantum lumen quod diebus nostris scientiæ philologicæ diffundunt, adhuc ignorare *y* in *yeux*, *payer* et similibus, atque *l* mouillé in *tailler*, *fille*, (saltem secundum novissimam pronunciationem) denique *y* per metathesin in *agneaux* esse omnia unam eamdemque consonantem et quidem veram consonantem respondentem TΩ jod^{h} Semitico consonanti. At nonne sunt Galli qui contra suæ linguæ orthographicas regulas scribunt *symétrie* cum uno *m*. *annuler* cum uno *l*. *enthousiasme* cum *ou*. *coréligionnaire* cum uno *r* etc.?

jus, ܝܳܝ *joj*, etc. De jodʰ consonanti quiescenti videbimus infra.

8- Quod autem maxime observandum est, has tres litteras, i. e. alaf, waw et jodʰ sæpe orthographice inter invicem permutari. Etenim :

1- Alaf scribitur pro waw mobili ante aliud waw quiescens seu functionem vocalis gerens, ut ܩܪܳܐܘܢܝ *vocarunt nos*, ܫܠܰܐܘܟ *extraxerunt te*, l. *qrâwûn*, *sʰlawûkʰ*.

2 - Pariter alaf scribitur pro jodʰ cum illud sequitur aliud jodʰ, ut ܬܳܐܝܶܝܢ *venite f.*, ܗܰܕܳܐܝܢܝ *dirige f. me*, l. *tôjên*, *hâdôjin*, non *to'en*, *hado'en*. Quæ regula absoluta est pro waw vel jodʰ mobili post alaf, ut ܫܳܐܘܠ *Saul*, ܩܳܐܝܢ *Cain*, l. *sʰjwûl* et *qôjên*.

3- Eadem ratione alaf pronunciatur ut jodʰ si præcedit vocalis analoga TΩ jodʰ i. e. I, ut ܗܳܢܺܐܳܐ *jucundus*, ܣܰܓܺܝܐܺܝܢ *multi*, l. *hânijo*, *sâgijin*. Sed si waw post vocalem analogam i. e. U venit, non scribitur alaf sed waw, ut ܡܠܘܘܳܐ *materia*, l. *mlûwo*.

4- Denique alaf ut jodʰ pronunciant Occidentales quoticscumque mobilis est ante vocalem zqafam (O), ut ܙܳܐܚ *solemniter descendens*, ܐܳܐܰܪ *aer*, ܩܳܐܶܡ *surgens*, l. *zôjâhʰ*, *ôjâr*, *qôjên*. In voce autem ܒܘܝܳܐܳܐ *consolatio* et similibus alaf sine jodʰ effertur bûjô'o, sunt tamen qui legunt *bûjôjo*. Quod si alaf mobile alia vocalis præcedit præter O, tunc et ipsi Occidentales ut hamzam pronunciant, ut ܫܐܶܠ *interrogavit*, ܐܐܰܪ̈ܣ *aëra*, l. *sʰâ'êl*, *â'êrâs*. Denique Occidentales alaf in ܩܰܪܳܐܳܐ *cucurbita* ut ʿain efferunt, l. *qarʿo*.

5–E contra proprium est Orientalium quod ii jod[h] mobile post litteram mobilem in alaf pronunciatione convertunt, ut ܚܝܐܬ (pro ܚܝܝܬ) *vita*, ܒܩܕܡܝܐܬ *principio*, ܒܚܪܝܐܬ, *fine*, ubi minusculum alaf super jod[h] scriptum observa; lege igitur *h[h]à'at[h]*, *qad[h]mà'at[h]*, *h[h]rà'at[h]*.

9 – Atque hæc satis de alaf, waw et jod[h] mobilibus. Nunc de his litteris quatenus quiescentes sunt. Itaque alaf, waw et jod[h] quatenus quiescentes, orthographice et lectione eadem ratione se habent ac quatenus sunt signa seu adjutoria vocalium ut supra diximus, quamquam grammatice inter se differant. In vocibus enim ex. gr. ܡܐܢܐ *tædet*, ܨܘܪܬܐ *figura* et ܕܝܢܐ *judicium*, in quibus alaf (primum), waw et jod[h] sunt consonantes quiescentes, hæ litteræ eodem modo scribuntur et leguntur ac in vocibus ܚܫܐ *patitur f.*, ܒܘܟܪܐ *primogenitus*, et ܙܟܝܐ *innocens*, in quibus alaf (primum), waw et jod[h] sunt redundantia idest adjutoria vocalium. Sæpe enim Syri has tres litteras pro vocalibus seu cum vocalibus scribunt, ut videbimus suo loco, et tunc eas grammatici Europæi vocant matres lectionis. Alaf enim scribitur cum vocali zqafa quam Orientales A, Occidentales O pronunciant, ut ܡܐܢܐ *(mòno)* seu ܡܐܢܐ *(màna) vas*; aut cum fth[h]ah[h]a idest A clauso, ut ܛܐܡ *(t[t]àma) fœdavit*; aut cum zlama idest E ut ܓܐܪܐ *(gèro) telum*; aut h[h]vas[s]a idest I et hoc apud Occidentales tantum, ut ܣܐܡܐ *(simo) argentum*. Waw scribitur tantum et semper cum O Orientalium et U utrorumque, ut ܨܠܘܬܐ *(s[s]lò[h]ta) oratio ad Deum*, ܫܘܪܐ *(s[h]ùra) murus*. Denique jod[h] præcipue cum I scribitur, ut ܦܪܝܫ *(pris[h]) distinctus*; vel cum E, ut

ܗܘܠܝܢ (*hôlên*) isti.

Unde hæc regula generalis et absoluta fluit: Quotiescumque alaf aut waw aut jod[h] quiescens est post vocalem illi analogam ut nunc exposuimus, tunc illud silet et nonnisi vocalis quæ illud præcedit effertur.

PUNCTUM II

DE PRONUNCIATIONE CETERARUM LITTERARUM, EXCEPTIS ܒܓܕܟܦܬ

10-ܗ Hæc littera pronunciatur ut *h* Anglicum in *hat*, vel *h* Germanicum in *haben*. Ea est mera consonans sed quodam modo naturam vocalis sentit in lingua Syriaca, cum in pronunciatione nonnunquam cadat ut diximus supra de alaf, hoc autem potissimum evenit in pronominibus personalibus agentis, ut ܚܝܐ ܗܘ *vivus est*, l. *h[h]ája*, pro *h[h]aj-hu*, nec non patientis seu accusativi, ut ܐܪܚܡܝܘܗܝ *amo illum*, l. *erh[h]miw* pro *erh[h]miwhi*, ܐܝܕܘܗܝ *manus ejus*, l. *id[h]âw*. Item in verbo ܗܘܐ ut videbitur suo loco.

ܙ Z. Cave ne hanc litteram efferas ut duplicem ad instar Italorum aut Germanorum, sed semper dulcem, ut ajunt, pronuncia eo sono quo Galli dicunt *zèle*.

ܚ H[H]. Hunc sonum similem *he* fortissime aspirato nulla lingua non Semitica habet, adultique non Semitici eam maxima difficultate efferunt, vel potius nunquam efferre possunt. Imo inter Syros ipsos Assyrii eam in X Græcum convertunt, Samaritani, Galilæi et Mandaitæ ut *he* vel ut hamzam pronunciabant.

ܛ T[T]. Et hanc litteram quæ est amplificatio seu exaggeratio litteræ T, nulla lingua Europæa habet. Melius est eam ab ore magistri discere sicut ceteras litteras

populis Semiticis proprias .

ܠ L. Hæc littera est simplex L Europæum. Cum autem organum humanum duplex L emittere possit, alterum *tenue* quod est ordinarium et in omnibus fere mundi linguis exstat, alterum *exaggeratum*, quod in aliquibus linguis nonnunquam invenitur, ex. gr. in voce Anglica *all* , in Italico *bolla* , in Arabico الله (*Deus*) , Syri hoc L exaggeratum nesciunt nisi Occidentales tantum et quidem in uno nomine , quod est ܐܠܗܐ *Deus*, quod pronunciant *Alòho* cum exaggeratione seu amplificatione litteræ L. Eodem modo derivata pronunciantur, ut ܐܠܗܘܬܐ ܐܠܗܐܝܬ *divinitus* , non autem nomen plurale ܐܠܗܐ *dii* quod tenuiter pronunciatur. Syri Or. hanc exaggerationem ignorantes, nonnisi pronunciationem tenuem habent.

ܥ ʿ Judæi Europæ videntur veram articulationem hujus litteræ amisisse , cum in grammaticis Hebraicis in Europa editis fere semper videamus hujus litteræ sonum figurari per *gn* quod infinite distat a veritate. Nam verus hujus litteræ sonus est hamza fortissime aspirata. Eam præter linguas Semiticas nulla in mundo lingua habet, neque recte pronunciari potest nisi a Semitis, eodem modo ac h^h. Negari nequit organa puerorum non Semitarum per educationem ad has duas fortissimas litteras aspiratas facile disponi ut experientia docet ; sed mihi erit res semper miranda quod (ut in Prolegomenis dixi) infantes Semitarum facillime et ante omnes ceteras articulationes , exceptis forte labialibus, prædictas duas litteras pronunciant, adulti autem ceterorum populorum tantam difficultatem et quamdam impossibilitatem reperiant ad eas efferendas. (1)His non obstantibus,inter populos

(1) Persæ , saltem eorum affines Curdi , qui ut notum est, non sunt Semitæ ,

ipsius generis Syri sunt qui litteram ʿain in hamzam convertunt, nempe Assyrii, Mandaitæ, Galilæi et Samaritani. (2) Quod attinet ad linguam Syriacam litteralem, Occidentales euphoniæ causa convertunt ʿain quiescens in hamzam habentem vocalem E quoties littera *he* sequitur, ut ܐܬܥܗܕ ܥܗܕ ; pronunciant ergo *ʾêhâd^h*, *êt^hʾêhâd*.

ܨ S^S. Hæc littera, una ex iis quas nulla lingua Europæa habet, est S amplificatum seu exaggeratum. Male hanc litteram aliqui Europæi per *ts* aut *tz* describunt. Atque hic liceat nonnulla disserere de litteris seu articulationibus humanæ loquelæ emphaticis seu exaggeratis. Itaque notum est omnes articulationes quas humana organa efferre possunt, optime in quinque classes posse dividi, scilicet labiales, dentales, linguales, palatales et gutturales. Harum omnium classium articulationes possunt exaggetari exceptis palatalibus: *g*, g^i (ج), *k*, *q* (ق), c^i (*ch* Anglorum) et gutturalibus: *h*, g^h, k^h, h^h, et ʿ*ain* præter hamzam. Ceteræ omnes exaggerantur, scilicet linguales: *l*, *j* (*y* Angl.), *j* (Gallorum), *n*, *r*; dentales: *d*, d^h, *t*, t^h, *z*, *s*, s^h; et labiales: *b*, *v*, *w*, *f*, *p*, *m*, et cum iis una gutturalis hamza. Hæ viginti octo articulationes continent omnes sonos quos organa humana emittere possunt, quibusque si addantur exaggerationes earum articulationum quæ exaggerari, idest cum emphasi pronunciari

propter commixtionem cum Semitis, facillime pronunciant litteram ʿain, imo videntur in sua lingua eam habere.

(2) Nescimus an inter populos qui Hebraica vel Phœnicia lingua olim loquebantur, existeret populus qui litteram he^{h}t^h vel ʿain male pronunciaret. Quod scimus est quod inter tot millia myriadum qui hodie arabice loquuntur, quamvis sint multi populi qui male efferrunt t^h, d^h, d^{hh}, t^{th}, *q*, nullus est populus qui non recte pronunciat fortissimas litteras gutturales *hh* et ʿain. Imo inter Arabes non desunt populi qui ipsam hamzam convertunt in ain, ex. g. Tamimitæ qui dicebant عن pro أن.

possunt, videlicet novemdecim aliæ articulationes, et cum eis sonus nasalis finalis Francogallorum ut in *don*, numerus omnium articulationum humanarum 47 evadit (1). Nulla lingua humana noscitur has omnes articulationes continere, ne simplices solas quidem. Nescio an aliqua ex linguis Europæis hodiernis habeat articulationes exaggeratas præter *l* de quo supra. Omnium mundi linguarum ditissima in numero articulationum videtur esse Arabica. Habet enim 24 articulationes simplices, et 4 exaggeratas primarias, nempe t^t (ط) exaggerationem TOY *t*; s^s (ص) exagger. TOY *s*; d^{hh} (ض) exagger. TOY d^h (ذ), et t^{hh} (ظ) exagger. TOY t^h (ث), præter secundarias exaggeratas ut *j*, *l*, *r*, *m*, *n*, *f*, *w*, *b*, quæ per accidens nonnunquam exaggerantur (2). Lingua Hebraica et Syriaca viginti habent articulationes simplices primarias, et duas exaggeratas t^t et s^s, præter sex alias simplices (ܒܓܕܟܦܬ) secundarias, quod reddit numerum articulationum harum duarum linguarum 28. Omnium linguarum cultarum pauperrima in articulationibus videtur esse Græca, habet enim 17 articulationes tantummodo, omnes simplices, excepta forsitan Φ quæ mihi videtur fuisse exaggeratio

(1) Sermo est hic, ut patet, de linguis potioribus atque notioribus, nulla habita ratione articulationum quarumdam singularium et loquelæ humanæ fere extranearum quæ apud nonnullos Indiæ et aliarum regionum populos existunt. Ceterum novimus unum ex doctis Judæis, R. Saadia qui hanc quæstionem de numero articulationum humanarum attigit, quique tamen eas nonnisi 42 recensuit, computans cum illis septem vocales more Græcorum. (V. Martin *Syriens Orientaux*, etc., pag. 376.) Nempe Saadia consideravit tantum litteras quas ille vidit exstare in linguis quas cognoscebat. Barhebræus etiam in sua grammatica *s'emhh e* (pag. 194, éd M.) hanc quæstionem de numero humanarum articulationum attigit, sed quoad linguam Syriacam tantum easque 36 esse dixit, cum 29 consonantibus septem vocales recensens. Sed quam infeliciter!

(2) Id evenit cum una ex his litteris occurrit mobilis post litteram exaggeratam, ut ܨܠܐ as^sla, ܨܒܘܬܐ s^svut^ho, عظمي $'at^{hh}mi$, ܛܦܣܐ t^tfoso, in quibus *l*, *v*, *m* et *f*, cum exaggeratione pronunciantur quia post exaggeratas veniunt.

TOΥ *f* testibus Latinis, et excepta forsitan etiam Π quam puto esse exaggerationem TOΥ *p* testibus Syris; hæ enim sunt omnes Græcæ linguæ articulationes: *hamza* seu spiritus tenuis, *he* seu spiritus asper, *b*, *g*, *d*, *z*, t', *k*, *l*, *m*, *n*, *p*, *r*, *s*, *t*, Φ, Χ (k^h). Advertendum est enim numerum articulationum alicujus linguæ non ex numero litterarum seu potius figurarum ejus alphabeti pendere. Denique jam percepit benignus lector (quem enixe oro ut hanc longam digressionem mihi ignoscat) in tota hac discussione nullomodo vocalium haberi rationem, utpote quæ non sunt proprie articulationes sed media quibus articulationes organo humano exprimuntur(1).

ܩ Q. Hanc litteram Semitis propriam per *q* Latinum figuramus non quia certi simus Romanos litteram *q* ut ܩ Semiticum pronunciasse, imo id nobis parum credibile, quamquam negari nequit hanc litteram Latinam alium debuisse habere sonum quam C et K, et nihilominus nescitur quæ sit hujusmodi diversitas, sed quia littera *q* eumdem locum occupat in alphabeto Latino eamdemque figuram habet ac littera ܩ in alphabeto Syriaco, et quia sic fert hodiernus usus, (2) etsi Latini

(1) Itaque lingua Francogallica, ex. gr., habet 21 articulationes: همزة, ب (*b*), ك (*c, ch, k, q*), د (*d*), ف (*f, ph*), گ (*g*), ه (*h*), ژ (*j, g*), ل (*l*), م (*m*), ن (*n*), پ (*p*), ر (*r*), س (*s, ç, t*), ت (*t*), ڤ (*v*), ز (*z, s, x*), ي (*y, i*), و (*w, ou*), ش (*ch, sch*), et *n* nasale Gallis proprium. Anglica autem lingua habet 24 articulationes: همزة, ب (*b*), ك (*c, k, q, ch*), د (*d*), ذ (*th*), ث (*th*), ف (*f, ph*), گ (*g*), ج (*g, j*), ه (*h*), ژ (*s in vision*), ل (*l*), م (*m*), ن (*n*), پ (*p*), ر (*r*), س (*s, c, x*), ت (*t*), ڤ (*v*) ز (*z, s, x*), ي (*y*), و (*w*), ش (*sh, t, s*), چ (*ch*). Nescio an philologi Francogalli et Angli hoc idem observaverint in suis respectivis linguis.

(2) Loquor de potiore usu; nam in Europa tot sunt fere systemata articulationes Semiticas vel in genere peregrinas per litteras Romanas figurandi quot sunt scriptores.

nunquam sine *u* scripserint litteram *q* nec (pace grammaticorum. Gallorum) sine eo illam pronunciaverint ut evidens est. Hæc articulatio Semitis propria (attamen Curdorum, qui non sunt Semitæ, multi populi qui cum Semitis mixti vivunt hanc articulationem durissimam habere videntur) habet sonum diversum a *C*, a K^h et ceteris articulationibus ; est media inter palatalem et gutturalem. Mirum est quod hæc articulatio in omnibus populosis civitatibus Syriæ et Ægypti ex lingua Arabica vulgari reperiatur diebus nostris suppressa, illique articulatio hamzæ substituta, quod sæpe loquelam reddit non solum æquivocam sed etiam difficiliorem, ex. gr. in vocibus vulgaribus قرنق , اقة ; افق quamquam articulatio hamzæ quæ ut alibi observavimus, in omnibus mundi linguis exstat, multo facilior quam articulatio *q* videatur esse. In aliquibus locis Mesopotamiæ septemtrionalis ubi sermo Arabicus vernaculus est, solæ mulieres litteram *q* pronunciant ut hamzam. Denique Syri Orientales hanc litteram *q* quiescentem ut *k* pronunciant si eam una ex tribus his litteris $qus^hs^hajatis$ sequitur, i. e. ܦ , ܕ et ܒ , ut ܦܘܩܕܢܐ *præceptum*, ܢܩܦܬ *adhæsit* f., ܐܩܒܘܪ *sepeliam*, l. *pucdâna*, $necpat^h$, *ecbor*.

ܫ S^H. Hanc sibilantem et gratam litteram quam Græci et Latini ignorabant, (nec Hispani hodierni habent) in omnibus fere Europæ linguis hodie exstat, vel ipsis linguis a Latina derivatis, sed mirum est quanta varietate ea per scripturam exprimatur. Itali enim eam per *sci* exprimunt, Galli et Portogalli per *ch*, Angli per *sh*, Germani per *sch*, Bohemi per s^h, etc.

Quæ hucusque expresse non nominavimus, alphabeti litteræ præter matres lectionis de quibus in Puncto

præced. et litteras duplicis soni de quibus mox, nullam difficultatem pariunt.

PUNCTUM III

DE LITTERIS DUPLICIS SONI ܒܓܕܟܦܬ NECNON RECAPITULATIONE ARTICULATIONUM LINGUÆ SYRIACÆ

11 - In lingua Syriaca, sicut in Hebraica, sex exstant litteræ quarum summa hoc vocabulo ܒܓܕܟܦܬ continetur, quarumque unaquæque duplicem habet sonum, alterum durum seu asperum Syriace ܩܘܫܝܐ *qus*h*-s*h*àj* dictum; alterum tenuem seu lenem seu ut dicunt grammatici Europæi, aspiratum, syriace ܪܘܟܟܐ *ruccàk*h. Harum litterarum nomina ab ipsis litteris *qus*h*s*h*aj* incipiunt, Bêth, Gâmal, Dâlath, Câf, Pè, Tâw. Utriusque soni signum est punctum, nigrum, minutum et a littera separatum apud Orientales; rubrum, grande et litteræ adhærens apud Occidentales. In hoc libro ubi verba systemate Occidentalium scripta sunt, pro puncto rubro circillum nigrum adhibuimus ob difficultatem impressionis. Qushshaj i. e. sonus durus habet punctum supra litteram, ruccakh sub litteram. De singulis his litteris nonnulla.

ܒ B. Hujus litteræ sonus durus est *b* simplex linguæ Latinæ ut ܒܢ, l. *ban*; sonus lenis est *v* Latinus, ut ܥܒܪ *evar*. At hodie tum Orientales, tum Occidentales in pronunciatione hujus litteræ errant, Orientales quidem quia hanc litteram lenem non ut *v* sed ut *w* pronunciant, ut אַבָא טַבְרָא, quod pronunciant *àwa wawra*; Occidentales autem quia unum sonum *b* dant huic litteræ tum leni tum duræ (1).

(1) Etiam Judæi in Mesopotam. et aliis Orientis regionibus non pronunciant

12 – ܓ G. Hujus litteræ sonus durus est *g* Europæum in *gallina*, lenis est ut Γ Græcorum recentiorum seu ut غ Arabum. Exemplum primi sit ܐܓܰܪ *produxit*, l. *ágár;* exemplum secundi ܐܓ݂ܪܳܐ *merces*, l. *ag^{h}ro*. Sonus durus hujus litteræ qui erat linguis Semiticis communis in lingua Arabica mutatus est, extra Ægyptum, in sonum dulciorem, eum scilicet quem habet *g^{i}* Italorum in *giro*, *gesso*. Primitivus autem ac genuinus hujus litteræ sonus apud Arabes antiquos est sonus *g* quem habent Syri et Hebræi. Id demonstratur: – 1° Ex eo quod in lingua Arabica nulla vox habet inter litteras radicales

hodie hanc litteram nisi *b*, quamquam in scribendis libris distinguant sonum durum a leni. Judæi autem in Syria (forsitan quia sunt originarii Hispaniæ) pronunciant waw quando est conson. ut *v* Latin. quod mirum est. Syri autem Occident. quamquam hodie ubique pronunciant hanc litteram semper duram, attamen antiquitus certissime distinguebant lenem a dura ipso seculo XIII ut patet ex scriptis G. Barhebræi et Severi Jacobi Bartellensis qui paucis annis ante eum decessit. Imo codices Occidentalium etiam seculi proxime elapsi hanc distinctionem constanter portant. Quod autem Syri Occidentales bet^{h} lene ut *v* pronunciaverint olim non ut w, id probatur :- 1° Ex eo quod quidam grammaticus Orientalis scholæ David bar Paulos nomine, testatur Nisibenos i. e. Orientales suo tempore pronunciasse bet^{h} lene ut waw, ex quo jure concludimus Occidentales non pronunciasse bet^{h} lene ut waw.- 2° Ex eo quod Barhebræus et ante eum Carcafenses, doctores Occidentales seculi VIII^{i}, testantur beta Græcorum habere sonum bet^{h} lenis Syrorum. Atque Græci pronunciant suum beta ut *v* non ut w, quod certissimum est de Græcis saltem recentium seculorum. Ergo Syri Occident. hodierni non sonum w per bet^{h}. lene reddiderunt, sed sonum *v*. Nihilominus mirum sane est Barhebræum ne verbum quidem in suis grammaticis dixisse quod ostendat eum improbasse Orientalium pronunciationem quoad bet^{h} lene. Estne possibile Orientales hanc vitiosam pronunciationem post ætatem Barhebræi tenuisse ? Non auserim id affirmare. Celerum minime dubito quin eruditi orientalistæ jam antea viderint confusionem in quam hic tantus vir in sua grandi grammatica (pag. 212 édit. Martin) et in parva (pag. 37 ejusd. ed.) lapsus est cum comparationem instituit inter litteras Syriacas ܒܓܕܟܦܬ soni asperi et respondentes litteras alphabeti Græci. Quis enim Barhebræo concedet Π Græcum in vocabulis a Syris et Arabibus desumptis expressum esse per bet^{h}, aut Δ per t^{l}et^{h}, aut Γ per qof? Nisi dicamus Barhebræum voluisse dicere Π Græcum sonare ut bet^{h} Syriacum asperum, T ut dâlat^{h} asperum, K ut gamal asperum, quod non minus inaccurate est dictum.

simul *g* (ج) et *q* (ق), quod non explicatur nisi admittatur quod sonus ج accedebat ad sonum ق idest pronunciabatur ut *g* non ut *g*ⁱ.–2° Grammatici Arabes ab initio statuerunt litteram ل (*lam*) articuli أَلْ non debere assimilari cum ج sicut non assimilatur cum ق, cum tamen ea assimilatur cum littera ش cui accedit sonus *g*ⁱ; unde dicitur v. gr. الجَمل, quemadmodum dicitur القلم, quamquam dicitur الشّمس cum assimilatione, quod argumentum est litteræ ج genuinum sonum accedere ad sonum ق, i. e. esse debere *g*, non ad sonum ش cui accedit sonus *g*ⁱ.

ܕ D. Sonus durus hujus litteræ est *d* Latinorum, ut v. gr. ܕܘܼܢ *judica*, l. *dûn*, lenis ut Δ Græcorum recentiorum, *th* Anglorum in *that*, ذ Arabum, ut ܟܕ *cum*, l. *cadh*.

13 - ܟ K seu C. Hujus litteræ sonus durus est ك Arabum, K Europæorum, ut ܟܠ *omnis*, l. *cûl*, lenis est X Græcorum, *ch* Germanorum, *j* Hispanorum, خ Arabum, ut ܠܟܘܢ *vobis*, l. Germanorum more *lchùn*.

ܦ P. Hæc littera dura sonat ut *p* Europæum, ut ܦܘܡܐ *os (oris)*, l. *pumo*; lenis ut *f* Europæum, ف Arabum, ut ܫܦܝܐ *sincerus*, l. *shafjo*. Hodie tamen et Orientales et Occidentales errant in hujus litteræ pronunciatione; etenim illi quidem semper pronunciant *p* durum, exceptis paucissimis verbis in quibus pronunciant *w* non *f*, in quibusque pro puncto minusculo solito scribunt sub *pe* circellum litteræ adhærentem, ut ܢܰܦܫܳܐ *anima*, ܛܠܘܦܚܐ *lenticulæ*, l. *nawsha*, *tlawhe*, quod magis vitiosum quam quod diximus de iis quoad litteram beth lenis. E contra Occidentales hodie nunquam hanc litteram duram

pronunciant, sed semper ut *f*, at codices antiqui ac Barhebræus ipse eos condemnant (1).

ܬ T. Denique hujus litteræ sonus durus est *t* Europæum, ت Arabum, lenis est ث Arabum, *th* Anglorum in *thick*, z Hispanorum. Primum ut ܐܝܬܝ *adduxit*, l. *ajti*, alterum ut ܐܬܗܪ *stupefecit*, l. *at^h hâr* (2).

(1) Grammatici antiqui et codices testantur extitisse apud Syr., tum Orient. tum Occident. alterum *pe* durum dictum *pe* Græcum, et sic duo *pe* dura erant apud Syros, alterum Græcum quod Orientales duobus punctis nigris supra litteram scriptis Occidentales autem uno puncto rubro superiore designabant, alterum *pe* Syriacum quod apud Orientales nullo puncto distinguitur, apud Occidentales vero unum punctum interius habet. Apud Melchitas Palæstinæ distinguebatur per ܦ Syriacum inversum sic ܦ, ut in Prolegomenis dictum est. Sed hæ distinctiones obsolevere.

(2) Nullum dubium quin Syri antiqui distinxerint in pronunciatione bet^h et pe dura a lenibus; sic enim res se habet in lingua Hebraica, sic in Aramaica antiqua dicta Chaldaica; Barhebræus autem claris verbis dicit nullum discrimen esse inter pe et ceteras litteras ܒܓܕܟܬ quoad distinctionem *ruccak^h* a *qush-s^háj*. Denique omnes codices antiqui et recentiores utriusque sectæ, potissimum autem Occident. habent has duas litteras cum punctis *ruccâk^h* et *qus^hs^háj*. Quod attinet ad dialectos vulgares, eæ omnes habent universos sonos *qus^h s^háj* et *ruccak^h*, exceptis bet^h et pe. Bet^h quidem est durum in dialecto Maɛlulæ ipso sæpe, cum asperum esse debet, pronunciatur ab illa gente ut *p*; in duabus autem dialectis Assyriæ et T^hur-Abdin durum sonum habet initio vocum, in ceteris sæpius lenem habet sonum, ita tamen ut pronuncietur w non *v*. Pe autem in Maɛlula et Tur-Abdin est semper lene, in Assyria vero in genere habet sonum durum exceptis paucis vocabulis in quibus sonat ut w ad instar linguæ litteralis Orientalium. In dialecto Samaritanorum omnes sex litteræ cum *qus^hs^háj* proferuntur, exceptis bet^h et pe quæ utrumque sonum habent sed non juxta regulas linguæ litteralis quæ alibi explicabuntur. Syri Maɛlulæ taw durum fere semper ut *ch* Anglorum et Hispanorum pronunciant, sæpe *d* durum ut *t* Latinum efferunt. Hebræi autem, in Irako quidem bet^h semper durum pronunciant, in Syria vero dalat^h et taw nunquam pronunciant cum *ruccâk^h*. Ex his et ex iis quæ in textu dicimus, liquet Syros per sex litteras duodecim habuisse articulationes, quarum novem in lingua Arabica extant, nempe *b, g^h, d, d^h, c, k^h, f, t, t^h*; duæ in hac lingua desunt, *v* et *p*; unam denique hodie nonnisi in Ægypto habent Arabes, quæ est *g*. Syros hodie non habere articulationem *g^i* Arabum Syriæ aliarumque partium; attamen ex operibus Barhebræi colligitur Syros Occidentales in paucissimis nominibus Græcis pronunciasse *g* ut ج Arabum Syriæ ex quibus notandum nomen ܐܘܢܓܠܝܣܛܐ quod usque ad hunc diem Jacobitæ pronunciant *éwangiélist^ho*.

14 - Non est prætereundum in lingua Arabica tres ex his sex litteris pronunciari semper duras, ܒ, ܟ, ܬ; unam semper lenem, ܦ; duas denique modo duras, modo lenes, ܓ, ܕ. Attamen Arabes non habent systema qus^hs^hâj et $rucc$âk^h, ita ut unaquæque ex his sex litteris nunquam mutet sonum unum primitivum illi proprium. Hoc systema videtur origine Aramaicum fuisse, et postea ad linguam Hebraicam transiisse.

Ex omnibus quæ hucusque de litteris alphabeti Syriaci disserta sunt, colligitur linguam Syriacam omnes linguæ Arabicæ articulationes continere sive primario sive secundario exceptis duobus sonis qui nonnisi in lingua Arabica exstant, videlicet ض d^{hh} et ظ t^{hh}; imo Syriacam linguam duas habere articulationes quibus lingua Arabica caret, nempe *v* et *p*. Omnes igitur linguæ Syriacæ articulationes sunt viginti octo, quarum sex gutturales, *hamza*, *h*, g^i, h^h, k^h, ‘; quatuor palatales, *g*, *j*, *c*, *q*; duas linguales, *l*, *r*; duas nasales, *m*, *n*; quatuor sibilantes, *z*, *s*, s^s, s^h; quinque dentales, *d*, d^h, t^t, *t*, t^h; quinque denique labiales, *b*, *v*, *w*, *f*, *p*. (1)



(1) Tot esse deberent soni in lingua Syriaca; sed hodie deficientes sunt tum apud Orientales tum apud Occidentales. Etenim illi *f* non habent, hi *p* ignorant; utrique vero carent sono *v*. Numerus ergo omnium articulationum linguæ Syriacæ ad 26 reducitur. Similiter et alphabetum Arabicum quod vidimus 28 articulationes continere deficiens hodie est; nam in Mesopotamia, in Irako et apud Arabes deserti ubi omnium optime lingua Arabica pronunciatur, adhuc alphabetum deficiens est propterea quod ظ eodem sono pronuncietur ac ض quod ætati ipsius Hariri anterius est. Imo in Syria et Ægypto alphabetum Arabicum in ore vulgi quinque articulationibus deficiens est, quæ sunt ق, ث, ذ, ظ, (quod eodem sono ac ض pronunciant) et ض cujus vero sono qui est sonus ذ exaggerati alium sonum substituerunt qui est د exaggeratum.

II

FIG. ORIENT.	FIG. OCCID.	FIG. ORIENT.	FIG. OCCID.	FIG. ORIENT.	FIG. OCCID.
ܒܐ	ܒܐ	ܒܛ	ܒܛ	ܒܦ	ܒܦ
ܒܒ	ܒܒ	ܒܝ	ܒܝ	ܒܨ	ܒܨ
ܒܓ	ܒܓ	ܒܟ	ܒܟ	ܒܩ	ܒܩ
ܒܕ	ܒܕ	ܒܠ	ܒܠ	ܒܪ	ܒܪ
ܒܗ	ܒܗ	ܒܡ	ܒܡ	ܒܫ	ܒܫ
ܒܘ	ܒܘ	ܒܢ	ܒܢ	ܒܬ	ܒܬ
ܒܙ	ܒܙ	ܒܣ	ܒܣ		
ܒܚ	ܒܚ	ܒܥ	ܒܥ		

ARTICULUS II

DE LINGUÆ SYRIACÆ PRONUNCIATIONE

PRÆMISSA

3– Ut melius ea quæ de litterarum Syriacarum pronunciatione dicturi sumus intelligantur, juvat nonnulla de vocalibus Syriacis breviter præmittere.

Igitur omnis littera, i. e. consonans, (et sic semper intelligendum quoticscumque littera simpliciter dicitur), in lingua Syriaca, sicut in ceteris linguis Semiticis est aut mobilis, aut quiescens. Mobilis est littera ea quam juxta notiones grammaticales Europæorum vocalis sequitur in eadem syllaba, seu quæ juxta notiones grammatices Semiticæ aliqua vocali in pronunciatione movetur, orthographice autem cui in scriptura aliquod signum vocalis apponitur. Vocales autem præcipuæ apud Syros Occidentales quinque sunt, A, E, I, O, U, quarum signa ex sequentibus exemplis intelliges. Igitur litteræ ܒ, ܡ, ܕ, ܢ, ܣ, mobiles sunt in his exemplis: ܒܰ *ba*, ܡܶܐ *me*, ܕܺܝ *di*, ܢܳܐ *no*, ܣܽܘ *su*. Syrorum autem Orientalium vocales

septem sunt, et ex sequentibus exemplis noscuntur : ܒܰ *ba* cum duplicatione litteræ sequentis, ܒܳ *ba* cum productione vocalis, ܒܶ *be* cum duplicatione, ܒܺܝ *bi* cum productione, ܒܷ *be* cum productione, ܒܽܘ *bu*, ܒܳܘ *bo*.

Littera autem quiescens est ea quam juxta notiones grammatices Europææ altera consonans sequitur aut quæ syllabam claudit, vel quæ juxta notiones grammatices Semiticæ nulla movetur vocali, ut ܦܪܺܝܩ *priq* ubi litteræ *pe* et *qof* quiescentes sunt, ܣܛܰܪ *st'ar* ubi *semcat*^{h} et *rés*^{h} quiescentes sunt, et ܐܰܡܣܰܪܬ *amsart* ubi *mim*, *rés*^{h} et taw quiescentes sunt.

His præmissis veniamus nunc ad litterarum Syriacarum pronunciationem.

Nota. In toto hoc capite, exempla Syriaca a nobis allata, litteris Romanis expressa sunt juxta systema pronunciationis Syrorum Occidentalium, quia magis expeditum et notorium in Europa est. Omnes tamen regulæ quas exponemus, applicabiles etiam sunt systemati Orientalium, servatis servandis, ut postea explicabimus, nisi expresse exceptionem faciamus.

PUNCTUM I

DE PRONUNCIATIONE ET LECTURA LITTERARUM *ALAF*, *WAW* ET *JOD*^{H}

De vera ratione pronunciandi litteras alphabeti Syriaci acturi, eas in tria puncta dividemus, quorum primum de litteris infirmis, secundum de litteris duplicis soni, tertium de ceteris litteris alphabeti. Quod autem maxime in hoc capite de litterarum Syriacarum pronunciatione advertendum est, doctrinam in eo contentam comprehendere omnes linguas Semiticas destinatamque

esse ad corrigendos multos pronunciationis errores vigentes hodie apud omnes fere Judæos Europæ qui per tam diuturnam cum populis Europæis commixtionem genuinas multarum litterarum Hebraicarum articulationes amiserunt. Unde excusabiles habemus grammaticos Europæos qui a solis Judæis Europæ audientes sonos litterarum Semiticarum, cum doctrina de harum pronunciatione tradere aggrediuntur, falsa veris miscent, inter quos doctus Fischer *Lexici Rabbin Buxtorfii* novissimus editor et commentator sub littera ʿain multa de alphabeto Semitico congessit a veritate aliena. – Igitur incipiamus a litteris infirmis:

4 – Apud Europæos, vocales sine quibus consonantes efferri nequeunt, scribuntur eodem ordine ac consonantes, unde scriptione nullum est discrimen inter vocales et consonantes.

Verum Syri consonantes solas scribunt; cum autem vocales volunt indicare, quosdam apices aut puncta ipsis consonantibus signant. Attamen, in ipso alphabeto tres sunt figuræ quæ vel a tempore inventionis alphabeti pro vocalibus inservierunt; sunt autem ܐ *alaf* ܘ *waw* et ܝ *jodh*, quæ et vocantur *litteræ infirmæ*.

Hæ tres litteræ sunt modo vocales seu exactius adjutoria vocalium, modo sunt consonantes, et pro hac altera conditione potissimum inventor alphabeti videtur eas posuisse. Age, de singulis loquamur.

5 – Alaf consonans est littera gutturalis quam Arabum grammatici hamzam appellant, quæque in omnibus mundi linguis exstat, saltem initio vocis aut syllabæ a vocali incipientis verbi, gr. ut *in*, *aut*, *extra*, quamquam soli Arabum et partim Græcorum litterati eam perceperint, eique signum adscripserint, illi quidem

notissimam figuram ʿain (1) parvæ truncatæ (ܥ) hi autem notum spiritum tenuem. Apud Syros autem character ܐ est per se figura hujus litteræ quæ est vera consonans gutturalis; imo, quod vere mirum est, distinctionem quam Arabum grammatici ab ipso principio temporis quo linguam suam excolere cœperunt, inter hamzam et alaf vocalem perceperunt, Syrorum litterati nullo modo senserunt (2).

5[II]–Igitur quotiescumque alaf venit mobilis in initio vocis aut post litteram mobilem in medio vocis, consonans est, nullumque sonum vocalem habet, sed sonum refert vocalis qua movetur, ut ܐܰܡ *am*, ܐܶܡ *em*, ܐܳܡ *om*, ܐܺܝܡ *im*, ܐܽܘܡ *um*. Cum autem alaf post quiescentem litteram in medio vocis movetur, eodem modo pronunciari debet, et sic Orientales revera pronunciant, ut ܫܐܶܠ *sh'êl*, ܢܶܫܐܰܠ *nesh'al*, ܠܐܺܝ *l'i*, ܬܶܐܡܳܐ *t'am'o*, ܦܐܶܐ *p'e*, ܟܐܳܬܳܐ *c'ôtho*, at hodiedum multi Occidentales male in hoc casu voces pronunciant, cum eliminant spiritum tenuem et pronunciant *shêl*, *neshal*, *li*, *tamo* (3), *pe*, *côtho*, quasi essent scripta ܫܶܠ, ܢܶܫܰܠ, ܠܺܝ, ܬܳܡܳܐ, ܦܶܐ, ܟܳܬܳܐ.

6 – Alaf autem ut hamza cum quiescit, mutatur in lingua Syriaca, saltem hodie, in vocalem longam respondentem vocali qua movetur littera præcedens, idest

(1) Quamquam XVI[æ] litteræ alphabeti nomen apud Syros sit ʿe ܥܐ, tamen in toto hoc opere maluimus illi nomen ʿain Hebraicum et Arabicum dare claritatis causa.

(2) Ipsi philologi Europæi recentiores qui tot progressus in studiis philologicis fecerunt, non videntur adhuc sensisse quod cum quis pronunciat v. g. *ap*, *us*, *it*, *is* ante *a*, *u*, *i*, verum sonum gutturalem emittit, et quod v. g. *can-us* differt in pronunciatione a *canus*; hoc autem discrimen non est nisi quod in primo casu ante *u* emittitur sonus gutturalis de quo agimus.

(3) Etiam Syri Orientales hodie pronunciant *tʹamma* quasi esset script. ܬܰܡܳܐ sine alaf.

CAPUT II

DE VOCALIBUS UT SONIS IN GENERE

15[I] - Antequam de vocalibus quatenus sunt figuræ scriptæ tractare aggrediamur, operæ pretium esse existimamus de iis quatenus sunt soni breviter et succinte agere.

Igitur primo de numero vocalium Syriacarum, deinde de earum specie. Quoad primum, quinque sunt vocales apud Syros, nec plus nec minus, A, E, I, O, U, quæ eadem ratione a Syris Orientalibus ac ab Occidentalibus considerantur, excepta O quæ diversam habet rationem ut videbimus infra. Itaque U Gallicum (Ü Germanicum) non habent Syri, nec unquam habuerunt, quidquid conjecturaverit doctus R. Duval in sua grammatica. Nec habent Syri alterum sonum Gallis proprium, EU, ut in *seul*.

Jam notum est Syros et ceteros Semitas distinguere vocales a consonantibus non solum grammatice, sed etiam orthographice, cum nullas habeant figuras vocalibus proprias quemadmodum sunt consonantibus.

15[II] - Vocales quinque Syriacæ prædictæ, esse possunt vel longæ, vel clausæ, nunquam breves ut mox videbimus. Pronunciantur autem prorsus eadem ratione ac Itali pronunciant respondentes vocales, excepta E quæ cum clausa est, i. e. cum eam sequitur consonans in eadem syllaba, pronunciatur inter E et I, hoc est fere ut Angli pronunciant vocalem finalis syllabæ, ex. gr. in *Robert*, *asked*, *person*, vel ut Germani pronunciant *e* in *Angel*, seu quemadmodum Armeni pronunciant suum *jet*.

Itaque has voces, ex. gr., ܒܣܡܐ, ܪܫܝܢܐ, ܐܣܛܪܕ, Syri pronunciant *bësma* (1), *rës^{h}jàna*, *ëstarrad^h*. Errat qui effert *besma*, *res^{h}jàna*, etc. cum *e* pleno. Quando autem vocalis E longa est vel est in fine vocis, tunc pronunciatur omnino ut E Italicum in *ero*, *vela*, *morde*, *poter*.

15^{III} – Hæc de numero vocalium. Quoad speciem, apud Syros vocales esse possunt vel clausæ, vel longæ. Nullam brevem habent vocalem Syri, neque in penultima syllaba neque in ceteris vocabuli syllabis; nam omnes vocales quæ ex analogia ceterarum linguarum Semiticarum et præsertim Arabicæ quæ in hoc puncto i. e. in vocalium dispositione sicut in ceteris fere omnibus grammatices punctis, est absolutum archetypum linguæ Syriacæ, breves esse deberent, eas generali et absoluta regula eliminant Syri. Paucissimis in casibus in quibus vocalis brevis non expungitur, ea ut longa hodie pronunciatur. Igitur Syri nunquam habent, ex. gr., vocem *sdrucciola* ut Itali dicunt, seu ut Græci ajunt *dactylum*; nam voci quæ hanc formam habere deberet, datur a Syris forma *trochæi* more Gallorum, qui dicunt, ex. gr. *perdre*, *homne* (homme), *femne* (femme), *règle*, pro *perdere*, *homine*, *femina*, *regula*. Solum in fine vocis, vocalis quam non sequitur consonans, perdit tonum et pronunciatur sine accentu more Latinorum et Arabum, ut ܫܘܪܐ, ܟܠܒܐ, ܛܝܒܘ, l. *s^{h}ùra*, *calbe*, *ṭajbu*.

15^{IV} – Vocalis autem clausa (regula est generalis

(1) Hunc vocalis E clausæ sonum per ë inversum significamus in toto fere hoc opere. Vocalis longa per hoc signum (`) distinguitur. Quæ nullum signum habet, semper clausa est, etiamsi accentum habeat, excepta ultima vocis quæ ut brevis effertur. Accentus tonicus afficit semper penultimam syllabam, nisi vocalis longa eam sequatur, tunc enim accentum hæc ultima vocalis accipit. Has regulas diligenter ante oculos habere oportet in legendis per totum hoc opus vocibus Syriacis per litteras Latinas transcriptis.

quæ nullam patitur exceptionem) est ea quam sequitur littera quiescens aut gèminata ut dicunt grammatici Semitæ; seu, ut aiunt grammatici Europæi, quæ format syllabam consonanti terminatam (1), ut *an*, *sub*, *rom*, *ner*, *in*, quæ sine productione pronunciari debent eo modo quo Itali pronunciant *an*dare, *su*blime, *ro*mpicollo, *ner*voso, *in*terno. Nam lingua Italica aliæque Europææ linguæ habent vocales clausas ut habent Syri et Arabes, scilicet in syllabis quæ consonanti clauduntur accentumque non habent, ut *por* in *portare*, *sen* in *sentire*, *pes* in *pestifero*; quæ tamen si accentum accipiunt, apertæ pronunciantur in lingua Italica ut *porto*, *senta*, *peste*. Excipe a prædicta regula Syriaca finalem syllabam et vocem monosyllabam quæ una consonanti clauduntur, eæ enim semper cum productione seu apertæ efferuntur, ut ܠܵܡ *làn*, ܡܶܢ *mèn*, ܐܘܿܦ *óf*, ܒܵܪ *bàr*, quæ omnes sunt voces monosyllabæ Syriacæ, quæque pronunciantur fere *laan*, *meen*, *oof*, *baar;* similiterque pronunciarentur si finales essent in vocibus polysyllabis. Quod si duabus consonantibus clauditur vocabulum, tunc vocalis præcedens pronunciatur clausa, etiamsi vox sit monosyllaba, ut ܦܪܰܫܬ *prasht*, ܟܬܳܒܪܐܝܟ *kthàvrajh*, ܠܰܝܬ *lajt*, ܟܰܠܒܰܝܢ *calbajn*, ܦܰܓܪ *paghr*, ܐܶܙܕܰܗܪ *ëzdahr*, in quibus omnibus accentus afficit ultimam vocalem.

§ 5ᵛ – Vocalis longa est ea quam, ut ajunt Semitæ, littera mota sequitur non geminata, seu, ut dicunt Europæi, per quam clauditur syllaba (1). Si itaque in una voce duæ aut plures sunt syllabæ quæ vocali clauduntur, omnes cum productione pronunciantur, etiamsi tonum

(1) Syllabæ divisæ hic supponuntur juxta systema Latinum seu morem Italorum et Gallorum, non Anglorum.

non habeant. Bonum est autem advertere hanc rem, scilicet quod plures vocales ut longæ (apertæ) in una voce efferantur, non posse inveniri in hodiernis linguis Europæis, saltem Romanis, in quibus una vox non potest habere nisi unam vocalem longam (apertam), cum e contra in Syriaca, Arabica aliisque linguis (in ipsis Græca et Latina antiquis, non ut hodie pronunciantur), duæ, tres et plures possunt in eadem voce esse vocales longæ (apertæ). Exempla Syr. juxta pronunciationem Occidentalium : ܚܟܝܡܘܬܐ *hʰäkimòtʰo*, ܫܐܕܢܝܐ *sʰidʰònòje*, ܬܠܢܝܘܬܐ *tʰèlònòjòtʰo*, l. *haakiimootʰo*, *sʰiidʰoonooje*, *tʰeeloonoojootʰo*; Orientales autem legunt ܚܟܝܡܘܬܐ *hakkimätʰa*, ܫܐܕܢܝܐ *sʰèdʰänäje*, ܬܠܢܝܬܐ *tʰèllânäjätʰa* . Finalis tamen syllaba quæ vocali clauditur, tonum amittit ut supra diximus, non cessat tamen ut longa considerari ut in lingua Arab. Itaque ex.gr. syllaba *cu* quæ in ܡܠܟܘܬܐ *malcûtʰa* longa est cum accentu, si syllaba *tʰa* cadit, pronunciatur in ܡܠܟܘ *malcu* sine tono qui transit ad *mal*. Pariter syllaba *ne* in ܒܢܐ *bòne (ædificat)* pronunciatur ut brevis, at accedente in fine aliquo augmento, cum productione effertur, ut ܒܢܐ ܐܢܐ *ædifico*, l. *bònèno*. Similiter productio finalis syllabæ longæ apparet cum alia vox eam sequitur quæ littera mobili incipit, ut ܚܘܝ ܡܪܐ ܬܪܐ *hʰäwi - mòrò - tʰòrò*. Adverte in hujus phraseos duabus prioribus vocibus, i. e. ܚܘܝ et ܡܪܐ accentum manere in prima syllaba quamquam secunda producitur. Quodsi sequens vox a quiescenti incipit, tunc vocalis illa longa evadit clausa, ut ܚܘܐ ܟܬܒܟ l. *hʰawo - kʰtʰòròkʰ* .

15^VI – Uno verbo, omnis syllaba Syriaca quæ consonanti clauditur, clausa est excepta finali et monosyllaba, quæ semper longæ sunt nisi duabus terminentur consonantibus; et omnis syllaba quæ vocali terminatur, longa est excepta finali quæ propter præcedentis syllabæ tonum pronunciatur ut brevis. Discrimen autem inter vocalem clausam et longam jam satis patet ex dictis.

15^VII – Nunc de diphthongis. Veras diphthongos non habent Syri, sed cum jodh et waw apud eos sint veræ consonantes, lingua Syriaca syllabas habet quarum consonans finalis est jodh vel waw, ut *au*, *eu*, *iu*, *oü*, *uü*, *aj*, *ej*, *ij*, *oj*, *uj*, in quibus omnibus syllabis secunda littera non est vocalis sed consonans, vocalesque eadem ferme ratione efferuntur ac Itali efferunt vocales in *ab*, *eb*, *ib*, *al*, *el*, *il*, etc. idest clausæ in medio vocis, longæ in fine (15. 4), hoc est *aw*, *ew*, *iw*, *ow*, *uw*, *ey*, *oy*, *uy*, etc. ut fert hodierna Anglorum aliorumque populorum orthographia. Habet lingua Syriaca et aliud syllabarum genus, speciem diphthongorum ferens, syllabas nempe quarum prima littera est waw aut jodh consonans, ut *wa*, *we*, etc. *ja*, *je*, etc. (1. secundum novam orthographiam *ya*, *ye*, etc.). Hujusmodi syllabæ non possunt diphthongi vocari nisi ab hominibus superficialibus qui intimam grammatices naturam non percipiunt, quorumque caterva in Europa est innumera vel his nostris temporibus post tot progressus scientiarum philologicarum(1). Nam harum syllabarum

(1) Non satis miror, quamquam Orientalis homo, quod grammatici Galli, saltem elementorum auctores, non vident in littera *y* nisi vocalem etiam in *ya*, *ye*, *aij*, etc. Si hi grammaticam Germanicam didicerunt, nonne viderunt in syllabis *ja*, *je*, *aj*, etc. quæ in hac lingua pronunciantur eodem sono ac sua *ya*, *ye*, *aij*, etc. litteram *j* considerari ut consonantem? Et quis tolerare potest eumdem sonum esse in una lingua consonantem, in altera vocalem? Sed mea admiratio cadit cum video insignes philologos, imo linguistas et orientalistas inter Italos et Gallos considerare fortissimas Semiticas gutturales *he*, *hheth*, *ʿain* ut vocales et scribere ex. gr. *bhhakhima*, *dʿëbräja*, etc. quasi hæ duæ voces a vocali inciperent.

natura est prorsus eadem ac syllabarum, ex. gr., *ma*, *ve*, *la*, *ne*, *ab*, *il*, etc. (1)

15[VIII] – Denique nonnulla de accentu apud Syros. Accentus non potest esse in lingua Syriaca nisi in ultima vel in penultima syllaba. Accentus est in ultima syllaba quando hæc per unam consonantem vel duas clauditur, ut ܐܸܡܪܹܬ *ëmrët*[h], ܦܵܪܘܿܫܝܼܢ *pàròs*[h]*in*, ܩܘܼܪܒܵܢܵܟ *qurbànàk*[h], ܐܲܢ݇ܬܘܿܢ *attòn*, ܦܪܘܿܩܵܝܢ *pròqàjn*, ܕܲܠܒܹܫܬ *dalvës*[h]*t*, ܐܲܦܲܝܟ *appàjk*. Adverte tribus in extremis exemplis accentum esse super vocali clausa. Est accentus in penultima quando ultima syllaba vocali clauditur, ut ܐܸܢܵܐ *ènna*, ܡܵܪܘܼ *màru*, ܚܘܼܫܵܒܵܐ *h*[h]*ùs*[h]*àva*, ܩܲܕܝܼܫܬܵܐ *qaddis*[h]*ta*, ܚܲܝܠܬܵܢܘܼܬܵܐ *h*[h]*ajlt*[h]*anùt*[h]*a*, ܣܵܟܹܝ *sàkki*. Jam vides vocalem quæ accentum accipit, posse esse vel longam vel clausam (2).

(1) Inficiari tamen non possumus aliquod discrimen inter *j* et *w* consonantes ac ceteras alphabeti humani consonantes existere, quod scilicet hæ duæ consonantes in omnibus mundi linguis tam lenes ac debiles sunt ut facile in vocales convertantur. Id patet potissimum in diphthongis *ai* et *au* quæ passim resolvuntur in *ê* et *ô* ac sic *j* et *w* in iis consonantes esse cessant.

(2) Non mirum est Syros philologos nomen accentui non imposuisse neque illum cognovisse, sed mirandum sane quod Arabes grammatici tam ceteroquin accurati ac ingeniosi in rebus philologicis hanc grammatices partem neglexerint et, ut videtur, omnino ignoraverint, ita ut lingua Arabica nomen accentus non habeat. Græci in hoc acutiores sese ostenderunt, quorum lingua ceteroquin est inter omnes mundi linguas singularissima quoad accentum. Nihilominus accentus in ore Græcorum hodiernorum suam rationem amisit, cum ipsi propter accentum quantitatem vocalium confuderint; nam omnis vocalis etiamsi brevis quæ accentum habet, pronunciatur ab eis ut longa, et omnes vocales quæ accentum præcedunt vel sequuntur, etiamsi longissimæ, proferuntur ut breves. Idem fere fecerunt Itali quoad ling. Latinam, quamquam in lingua Lat. accentus regula sit simplicissima cum in ea accentum non potest sequi vocalis longa præter ultimam. Etiam Ægyp. quoad linguam Arab. in idiomate vulgari pervertunt vocal. quantitatem propter accentum, modo producendo vocalem brevem quæ accentum habet, ex. gr. in بَرَكَة quod pronunciant *bâraca* pro *bàraca*, ut faciunt etiam Europæi Arabice in Oriente loquentes, et præsertim Itali; modo corripiendo vocales longas quæ accentum præcedunt, ex. gr. in سماوات quod pronunciant *samawât* pro *samâwât* (et hoc etiam vitium Europ. arab. loquentium). Sæpe etiam Ægyp. transferunt accent. ab ante penul-

15^{IX} – Nonnunquam vocalis non scripta effertur inter duas consonantes, idque locum habet sive in medio vocis sive in fine. Quoad primum casum, is explicabitur inferius quando sermo erit de mhagjâna (V. N°. 46). In fine vocis duabus consonantibus terminatæ licet euphoniæ causa nonnunquam *e* clausum seu obtusum inter duas consonantes pronunciare, et tunc vocalis præcedens evadit brevis et tamen conservat tonum, ut ܦܓܪܐ *pàgʰër*, ܐܬܦܪܫ *ëtʰpàrësʰ*, ܡܠܟܐ *màlèc*, (pronuncia eadem vi ac Angli dicunt, ex. gr. *brother*).

15^{X} – Hæc omnia quæ hucusque de linguæ Syriacæ vocalibus, diphthongis, accentu disseruimus, utrosque Syros spectant, i. e. tum Orientales, tum Occidentales. Levissimas exceptiones quoad ultimam vocis syllabam videbis infra.

Ex his etiam manifestum fit quid sit judicandum de iis quæ R. Duval ceteroquin eruditissimus et optimæ

timam syll. ad penultimam brevem, ex.gr. in قلبنا, بيتكم, quæ pronunciant *qalbēna*, *bajtēcum*, pro *qàlbēna*, *bàjtēcum*. E contra incolæ Syriæ accentum qui in penultima esse debet (in vocibus compositis) ad antepenultimam transferunt, exemp. gr. كلبتي, اشتهر, ينبغي, quæ in Syria pronunciantur *calbati*, *isʰtahar*, *janbagʰi*, pro *calbàti*, *isʰtàhar*, *janbàgʰi*. Damasci tamen incolæ non semper id faciunt. Leges accentus Arabici accuratissime in Mesopotamia et ʿIraq observantur, pessime in Ægypto; medium tenet locum Syria. In Syria Occidentali et præsertim Damasci, ubi vocalis brevis sæpe supprimitur, et cum difficultas pronunciationis inde oritur, ex penultima littera ad præcedentem transfertur, remanet hæc cum accentu quamquam penultima evadat quiescens, ut يكتبو *jĕkĕtbu* pro *jĕktēbu*; quod est contrarium naturæ linguarum Semiticarum, in quibus accentum non potest sequi vocalis longa neque clausa, sed e contra exstat in lingua Italica, v. g. in vocibus *Otrànto*, *màndorla*, *portanlo*, ac in Græca passim: attamen Græci hodierni accentu vocalis brevis abutuntur, cum ejus vocalem brevem pronunciatione producant, v. gr. in ΣΙΝΔΟΝΑ, quod cum pronunciari deberet *sindona*, ipsi pronunciant *sindóna*. Inter linguas in quibus accentus sequitur singularissimas regulas princeps est lingua Turcica. Has observationes de accentu non inutiles esse existimavimus, cum eas a nullo auctore vidimus relatas.

notæ scriptor pag. 43 et seq. suæ grammaticæ tam profuse, tam identidem confuse congessit de Syriacæ linguæ vocalibus (1).

CAPUT III

DE VOCALIBUS APUD SYROS ORIENTALES

15XI– Syrorum grammatici vocales linguæ Syriacæ vocant ܢܘܩ̈ܙܐ , ܙܘ̈ܥܐ aut ܦܬ̈ܘܚܐ . De numero vocalium (potius figurarum vocalium) Syriacarum nec non de earum nominibus non omnino unanimes fuerunt grammatici antiqui; aliqui enim eas octo, alii septem, alii sex, alii denique quinque numerarunt. Diversitas potissimum emergit ex nota diversitate inter Orient. et Occid. de qua satis in prolegomenis. Quidquid sit de antiquis, hodie apud Syros Orientales (ut ab his incipiamus) septem sunt linguæ Syriacæ vocales (2), quæ per

(1) Non dubito quin Syriologi Europæi jam notaverint errores orthographicos, grammaticos, lexicologicos quibus hujus auctoris benemeriti grammatica Syriaca scatet. Sed quid? Nonne optimæ notæ scriptores Orientalistas (loquor de linguis Semiticis) non raro dormitare videmus, vel ipsum Noldeke, cujus meritum de Syriaca litteratura a nemine non dicam superari, sed ne attingi quidem potest? Omnes tamen excusabiles sunt, saltem eminentiores. Deus enim scit quantum laberemur nos Orientales si de linguis Europæis scriberemus.

(2) Recentiores Orientalistæ in Europa cum evolventes Syror. grammaticorum libros viderunt non omnes eadem ratione recensere linguæ Syriacæ vocales immerito existimarunt linguam Syriacan non habere certas ac præcisas vocales sicut habet Arabica et ceteræ linguæ. Diversitas enim non circa sonos versatur qui in unaquaque schola fixi sunt, stabiles et certi, sed circa figuras earundem vocalium vel originem grammaticalem vel rationem extrinsecam. Sic nonnulli (inter quos David Bar Paulos) sex recensuerunt vocales utpote qui $h^{li}vas^{s}am$ et ʿmaqam pro una vocali considerarunt quia ambæ uno puncto subter apposito figurantur. Jacobus Edessenus et cum eo Barhebræus in libro ܨܡܚ̈ܐ quamquam scholæ

systema punctorum minutorum de quo in Prolegomenis, apud ipsos exprimuntur. Sequens tabella exhibet vocalium Syriacarum figuras, nomina et valores juxta morem Syrorum Orientalium :

FIGURA	NOMEN	VALOR
ܰ	ܦܬܳܚܳܐ - ptʰâhʰa (1)	*a* clausum
ܳ	ܙܩܳܦܳܐ - zqâfa	*a* longum
ܶ	ܙܠܳܡܳܐ ܦܫܺܝܩܳܐ -zlâma lenis seu longa	*e* clausum
ܷ	ܙܠܳܡܳܐ ܩܰܫܝܳܐ - zlâma dura seu brevis	*e* longum
ܺ	ܚܒܳܨܳܐ - hʰvâsˢa	*i* longum
ܳܘ	ܪܘܳܚܳܐ - rwâhʰa	*o* clausum
ܽܘ	ܥܨܳܨܳܐ - ʿmâqa	*u* longum

15ˣᴵᴵ - Ex tabella præposita vides singulas vocales juxta hoc systema constare uno vel duobus punctis notatis determinato quodam modo. Ptʰahʰa (ܰ) enim constat duobus punctis quorum unum super litteram ponitur, alterum subter. Hæc porro vocalis cum omnibus litteris accommodari potest, ex. gr. ܡܰܢ *quisnam?* ܟܰܕ *quando*, excepta littera waw quæ nunquam patitur ptʰahʰam ante se, sed illam mutat in zqafam (ܳ) uti dicemus postea. Effertur vero ptʰahʰa Syrorum uti *a* clausum i. e. sicut fathʰa Arabum, ex. gr. ܐܶܡܪܰܗ (*amrah*)

Occidentalis sequaces, octo vocales numerarunt, non quod in dialecto Occidentali plusquam quinque vocales exstent, sed quia tres harum quinque vocalium singulæ respondent duabus vocalibus dialecti Orientalis, quam sic nolentes normam et matrem linguæ Syriacæ esse fassi sunt hi scholæ Occidentalis antesignani.

(1) Observatione dignum est denominationem hujus vocalis quæ significat *aperitionem* (ܦܬܳܚܳܐ) non solum Aramæos tum Orientales tum Occidentales, sed et Hebræos et Arabes a radice فَتَحَ assumpsisse, quamvis inter se quoad reliquarum vocalium denominationes hi populi multum discrepent.

ausus est, ܬܲܚܢܲܢܬܲܢ (*tah^{h}nantan*) *misericordia nostra*. Attamen, pt^{h}ah^{h}a effertur uti *a* productum quasi esset zqafa in vocibus monosyllabis, ex. gr. ܒܵܙ (*bâz*) *prædatus est*, ܠܲܢ (*lân*) *nobis*.

16 – Hæc quæ diximus de modo pronunciandi pt^{h}ah^{h}am vera sunt quando post pt^{h}ah^{h}am immediate venit littera quiescens; quando vero occurrit littera mobilis, tunc pt^{h}ah^{h}a geminat illam litteram mobilem et eodem sono pronunciatur ac si littera quiescens eam sequeretur, ex. gr. ܛܲܠܲܢ (*t^{t}allan*) *ros nostrum*, ܢܲܒܲܥ (*abbaɛ*) *scaturire fecit*, ܫܲܒܲܚ (*s^{h}abbah^h*) *laudavit*.

17 – Excipiuntur quædam vocabula in quibus Syri Orientales non geminant litteram quæ sequitur pt^{h}ah^{h}am; quorum præcipua sunt (1): ܐܲܒܵܐ *pater*, ܐܲܠܵܗܵܐ *Deus*, ܡܲܠܲܐܟܵܐ *angelus*, ܐܲܕܘܿܡ *Edom*, ܚܲܕܘܼܬܵܐ *gaudium*; item non geminant litteram res^h quæ post pt^{h}ah^{h}am occurrit, propter difficultatem pronunciandi res^h duplicis, siquidem cum litteris gutturalibus quæ apud Hebræos nunquam geminantur, ista littera res^h computatur. Vocabula in quibus res^h non geminatur, sunt sequentia cum eorum flexionibus; ܒܲܪܸܟ *benedixit*, ܩܲܪܝܼܒܵܐ *proximus*, ܩܲܪܸܒ *obtulit*, ܩܲܪܝܼܪܵܐ *frigidus*, ܡܲܪܝܼܪܵܐ *amarus*, ܫܲܪܝܼܪܵܐ *verus*, ܫܲܪܲܪ *confirmavit*,

(1) Ratio autem propter quam in hisce exemplis in quibus alaf habet pt^{h}ah^{h}am non geminatur littera quæ pt^{h}ah^{h}am sequitur est, quod alaf in origine habebat vocalem brevem, quæ proinde supprimi debebat juxta leges infra tradendas; sed quia alaf initiale nequit quiescere, hinc necesse fuit ut huic litteræ restaret vocalis brevis, et propterea geminatio non habet locum, et consequenter deberent hæc exempla efferri cum *a* brevi, scilicet *ava*, *alâha* etc.; attamen hodie vulgus producit *a* et pronunciant *âva*, *âlâha*. etc... Nomen autem ܡܠܐܟܐ est pro ܡܲܠܐܲܟܵܐ cum pt^{h}ah^{h}a brevi ad alaf, quæ vocalis supprimi debuisset, sed propter difficultatem pronunciationis in hoc casu, translata fuit pt^{h}ah^{h}a ad præcedens lamad^h; item dicendum de ܚܲܕܘܼܬܵܐ quod in origine erat ܚܲܕܘܼܬܵܐ cum waw quiescente ad typum ܫܲܒܩܘܼܬܵܐ.

ܫܩܠ *cæpit*, ܐܪܝܡ *extulit*. Item non geminatur littera ain post ptʰahʰam in verbis sequentibus eorumque derivatis: ܪܥܝ *reconciliavit*, ܐܫܬܥܝ *narravit*. In quibus omnibus exemplis, ptʰahʰa pronunciatur uti zqafa sine geminatione sequentis litteræ, et proinde pronunciantur prædicta exempla *àva*, *àlàha* etc.

18 – Excipiuntur quoque voces in quibus ptʰahʰa afficit penultimam litteram, sequente littera quiescente; in his enim, quando littera finalis mobilis fit propter suffixum aut alius finalis incrementi, tunc finalis littera quæ sic movetur, non geminatur per ptʰahʰam quæ præcedit, sed illa ptʰahʰa pronunciari deberet brevis ut fathʰa Arabum. Exempla: ܟܕ *quando*, ܚܕ *unus*, ܫܒܚ *laudavit*. Si finalibus harum vocum suffigitur quoddam incrementum quod finales litteras mobiles reddit, tunc dici deberet ܟܕܘ (*cadʰu*) (1) *sufficit*, ܚܕܘ (*hʰadu*) *unus est*, ܫܒܚܝܢ (*sʰabbahʰèn*) *laudarunt* fem. Attamen hodie in hisce et similibus exemplis vocalis *a* producitur quasi esset zqafa.

19 – Zqafa (ܳ) designatur per duo puncta sinistrorsum inclinata, superposita litteræ, et potest affigi omnibus omnino litteris. Pronunciatur autem veluti ptʰahʰa longa i. e. tanquam fathʰa Arabum longa in voce هاذا (*hic*): exempla ܡܢܐ (*màna*) *quid?*, ܗܢܐ (*hàna*) *hic*, ܡܪܝܐ (*màrja*) *dominus*. Nihilominus Syri Orientales recentiores zqafam ante litteram quiescentem pronunciant sine productione, sed prorsus ut ptʰahʰam clausam, quo quidem zqafa cum ptʰahʰa confunditur. Sic v. g. hæc

(1) Vulgus hisce temporibus pronunciat ܚܕܘ ; ܟܕܘ cum geminatione dalath et cum asperitate : *caddu*, *hʰaddu*.

exempla ܡܪܝܐ *dominus*, ܫܠܡܐ *consentiens* f., ܥܠܡܐ *mundus* pronunciant erronee *marja*, *s*^h^*alma*, ʿ*alma*, pro *màrja*, *s*^h^*àlma*, ʿ*àlma*. Merito Barhebræus in utraque grammatica ampliori et breviori Syros Orientales propter hoc improbavit acriterque reprehendit. Sed et ipsi Occidentales male in hoc casu pronunciant ut videbimus.

20 – Animadverte Syros Orientales nunquam ante litteram waw apponere motionem pt^h^ah^h^am, sed quotiescumque regula exigit ante waw motionem pt^h^ah^h^am, illi substituunt zqafam; ex. gr. ܐܘܕܐ *confitere*, ܥܘܠܟ (1) *crimen tuum*, pro ܐܘܕܐ et ܥܘܠܟ. Proinde nunquam reperitur waw geminatum post motionem pt^h^ah^h^am quamvis geminationem regula exigeret, quia pt^h^ah^h^a tunc mutatur ut diximus in zqafam, et consequenter geminatio quoque tollitur : ex. gr. ܩܘܝ *perduravit*, ܥܘܠܐ *scelestus*, juxta regulam legenda essent *qawwi* et *awwàla*, sed hodierni Orientales ea pronunciant sine geminatione *qàwi* et *awàla* (2). Excipiuntur tamen nonnulla vocabula quæ cum motione pt^h^ah^h^a ante waw habent alium sensum ac cum zqafa: ex. gr. ܫܘܝܐ *digna* participium fœmininum a masculino ܫܘܐ, et ܫܘܝܐ *æqualis*, adjectivum fœmininum a ܫܘܐ; item ܪܘܝܐ *inebriatur* f. et ܪܘܝܐ *ebria*. E contra Occidentales interdum mutant zqafam quam regula exigit ante waw in pt^h^ah^h^am, ex. gr. ܗܘ pro ܗܘ *ille*, et ܩܪܘ pro ܩܪܘ *vocarunt*.

(1) Immerito nonnulli grammatici Europæi existimarunt hanc zqafam quæ locum pt^h^ah^h^æ tenet, diversa ratione pronunciari: pronunciatur enim omnino ut in ceteris locis; proinde mutatio non est grammaticalis, sed mere orthographica. Non abs re erit etiam observasse in dialecto Babylonica ut est apud Hebræos hujusmodi mutationem non existere.

(2) Hæc Syrorum Orientalium novitas est, etenim ut diximus in præcedenti nota in dialecto Babylonica dicitur ܚܘܝ, ܥܘܠܐ *hhawwi*, *awwàla*.

21 – Zlama (quam nonnulli grammatici Orientales vocant etiam ܥܨܵܨܵܐ aut ܪܒܵܨܵܐ more Occidentalium) duplex est, siquidem fortis seu dura et lenis, utriusque autem figura sunt duo puncta quæ litteræ subponuntur sed horizontaliter ad indicandam zlamam (‾‥) fortem, et verticaliter cum quadam inclinatione (‾⁏), pro leni ; nonnulli zlamam fortem vocant brevem, et lenem longam. Prima zlama h. e. fortis effertur tanquam *casra* Arabum clausa, videlicet sine productione syllabæ; vide quæ diximus de hac vocali n° 15. 5; et insuper hæc zlama ad instar ptʰahʰæ geminat litteram sequentem si mobilis sit, ex. gr. ܡܸܠܬ݂ܵܐ *(məltʰa) verbum*, ܥܸܓ݂ܠܵܐ *(əgʰla) vitulus*, ܡܸܢܵܟ݂ *(mənnäkʰ) a te*, ܥܸܠܵܝܵܐ *(əllája) altus*, cum geminatione nun et lamadʰ in duobus ultimis exemplis.

22 – Excipitur ab ista regula zlama quæ inscribitur penultimæ litteræ vocabuli cui pronomen aut incrementum quodcumque suffixum sit exigens ut ultima vocis littera moveatur; tunc enim, ut dictum est de ptʰahʰa, zlama illa brevis evadit, et ideo littera quæ tunc zlamam sequitur non ingeminatur, ex. gr. ܒܵܪܸܟ݂ *benedic*, quod verbum assumendo suffixum primæ personæ fit ܒܵܪܸܟ݂ܲܝܢܝ *benedic me*, l. *bárekʰain*, non *bárékʰain*, item ܐܲܘܪܸܒܲܝܗܝ *exalta eum*, ܒܵܪܸܟ݂ܹܝܢ *benedicite* f., ܫܲܬܸܩܘܗ *silere fecerunt*. Attamen Syri Orientales hanc zlamam brevem cum productione hodie pronunciant ut diximus de ptʰahʰa, quasi esset zlama aspera de qua infra, et dicunt *sʰattéqán*, *bárékʰén*. Excipe particulam ܡܸܢ *ex* quæ cum suffixis subit geminationem in *nun* quando est mobile, ex. gr. *ménnäkʰ* ܡܸܢܵܟ݂ *a te*.

23 – Excipe quoque vocabula quæ euphoniæ causa

in initialibus infirmis, quæ regulariter deberent quiescere, motionem zlamam assumunt, ex. gr. ܐܶܬܳܐ *venit*, ܐܶܟ݂ܰܠ *manducavit*, ܝܶܕܰܥ *cognovit*, pro ܝܕܰܥ: in hisce exemplis abjiciendæ essent ab alaf et jodh vocales breves juxta regulam (v. n°. 103) quemadmodum abjicitur vocalis brevis a ceterorum verborum initialibus, v.g. ܟܬܰܒ et ܩܛܰܠ, sed quoniam alaf et jodh nequeunt pronunciari sine motione, restituendæ sunt ipsis motiones primitivæ breves quin tamen geminetur littera mobilis quæ immediate sequitur. Syri tamen Orientales hisce temporibus universim solent in præfatis exemplis similibusque geminare litteram quæ sequitur alaf, dicentes v. g. *ekh khal*, *eth tha*, et producere jodh præmisso sono hamzæ, dicendo *idha'*; quod omnino erroneum est, hæc exempla enim pronuncianda essent: *ekhal*, *jedha'*.

24 - Zlama lenis in ultima syllaba vocis pronunciatur ut E Latinorum. ex. gr. ܢܶܗܘܶܐ *erit*, ܫܠܶܐ *tranquillus*. Orientales recentiores zlamam lenem afficientem penultimam litteram vocis veluti *fortem* h. e. uti E longum Latinorum erronee pronunciant, dicentes ܫܰܠܶܡ (*shallêm*) *perfecit*, ܩܰܒܶܠ (*qabbêl*) *accepit*, pro *shallem* et *qabbel*.

25 - Zlama fortis æquivalet E longo Latinorum, et non occurrit nisi in quibusdam notis casibus, de quibus infra agemus (464. 2). Porro notandum est grammaticos Orientales cum nomina longæ et brevis zlamis dedere non intendisse valorem utriusque zlamæ per hanc denominationem designare, cum zlama dicta longa sit reapse brevior altera nuncupata brevi, sed figuram tantum orthographicam considerasse.

26 - Hvassæ figura est unum punctum quod

nonnisi sub littera jod[h] inscribitur (ܝ), et pronunciatur ut I longum Latinorum, ex. gr. ܩܠܝܠ (*qallil*) *celer*, ܢܣܝܢ (*nsin*) *ponimus*. Regulariter post h[h]vas[s]am littera mobilis debet venire; quod si littera quiescens venit, ea sine dubio deberet esse mobilis; attamen h[h]vas[s]a tunc effertur quasi clausa, ex. gr. ܦܪܝܫܬܐ *separata*, ܣܝܡܬܐ *thesaurus*, quæ efferri deberent *pris[h]eta*, *simeta*, sed hodie pronunciatur: *pris[h]ta*, *simta*. Denique h[h]vas[s]a nunquam geminat litteram sequentem sicut nunquam zqafa geminat.

27 – Rwâh[h]a et ʿmâqa exprimuntur per unum punctum cum waw, pro rwâh[h]a quidem supra (ܘܿ), pro ʿmâqa autem subter (ܘܼ). Rwâh[h]a autem (quæ etiam ܪܘܨܐ dicitur), pronunciatur ut O Latinorum, ex. gr. ܢܟܬܘܒ *scribit*, ܬܗܘܡܐ *abyssus*, ܫܩܘܠ *accipe*. ʿMâqa (dicta quoque apud Orientales ܪܒܨܐ), effertur tamquam d[hh]amma Arabum, seu U Latinorum, clausa quidem ante litteram quiescentem, longa autem ante litteram mobilem, ex. gr. ܫܘܩܪܐ (*s[h]uqra*) *iniquitas*, ܥܘܠܐ (*ʿula*) *infans*, ܢܥܠܘܢ (*nəʿlun*) *ingrediuntur*, ܩܘܕܫܐ (*qudas[h]a*) *doxologia*.

Nunquam rwâh[h]a vel ʿmâqa sine waw scribitur, exceptis ܟܠ (*côl*) *omnis* et ܡܛܠ (*mət[t]ôl*) *propter* cum derivatis.

28 – Rwâh[h]a et ʿmaqa quæ origine unam eamdemque vocalem repræsentant, discrimen tamen inter se idem præseferunt quod est inter pt[h]âh[h]am et zqafam ac inter zlamam lenem et h[h]wâs[s]am, videlicet rwâh[h]a format vocalem clausam et geminantem, ʿmâqa autem

vocalem longam. In praxi tamen hodierna in multis vocabulis rwâhʰa clausa et geminans convertitur in ʿmaqam et tunc cessat geminatio, quod potissimum apparet in nominibus abstractis derivatis a forma verbi ܦܥܠ, ut ܪܘܟܒܐ *compositio*, ܚܘܠܠܐ *ablutio*, ܩܘܒܠܐ *acceptatio* l. *rûqàra*, *hʰùlàla*, *qùbàla*, pro *roccàva*, *hollàla*, *qobbàla*. Alia quoque nomina id patiuntur quanquam sine geminatione, ut ܡܘܚܐ *medulla*, ܓܘܕܐ *caterva*, l. *mùhʰa*, *gùda*, pro *mohʰhʰa*, *godda*. Sunt tamen nomina in quibus geminatio conservatur etsi rwahʰa mutetur in ʿmâqam; hæc sunt potiora: ܚܘܒܐ *amor*, ܥܘܒܐ *sinus*, ܓܘܒܐ *puteus*, ܐܣܦܘܓܐ *spongia*, ܬܪܘܓܐ *malum aurantium*; l. *hʰubba*, *ubba*, *gubba*, *aspugga*, *tʰrugga*. Denique, in nomine ܟܠ *omnis* cum per suffixum aut aliud movetur làmadʰ, conservatur et rwâhʰa et geminatio, ut ܟܠܗ *totus*, ܟܠܐ vel ܟܘܠܐ *totalitas*, l. *colléh*, *colla*.

29 - Ex omnibus quæ hactenus exposuimus deducere licet tres ex septem vocalibus Syrorum Orientalium necessario debere post se litteram infirmam redundantem analogam scriptam habere, scilicet jodʰ scribi debere post hʰwâsˢam, et waw post ʿmâqam et rwâhʰam; ceteras autem vocales modo solas scribi, modo sequente littera infirma redundante, idest aut alaf quod cum omnibus his quattuor vocalibus potest evenire, aut jodʰ quod proprium est zlamæ fortis tantum. Diversa autem est redundationis ratio cum primis tribus vocalibus ac est cum alteris, etenim jodʰ et waw quidem; quæ cum hʰwasˢa, ʿmaqa et rwahʰa redundant, ipsis puncta vocalia inscribuntur, ex. gr.. ܒܝܬ, ܒܘܪ, ܕܘܢ; ceterarum autem motionum unaquæque quando littera infirma

post ipsam redundat, non huic litteræ inscribitur, sed litt. quæ ea movetur, idest quæ litteram infirmam præcedit, ex. gr. ܩܘܡܐ, ܒܪܐ, ܣܦܪܐ, ܗܳܠܶܝܢ, ܩܕܝܡ.

29[II] – Ex his tria inferuntur.– 1[m] Quod signa vocalium Syriacarum litteris inscribuntur aut sola aut cum una ex litteris infirmis, quæ matres lectionis dicuntur, redundante, secundum analogiam quæ inter vocalem et litteram infirmam intercedit; nam alaf analogum est pt[h]ah[h]æ, zqafæ et duabus zlamis; jod[h] analogum est zlamæ duræ et h[h]was[s]æ, denique waw analogum est ʿmaqæ et rwah[h]æ. At quomodocumque scribatur vocalis, i. e. sive sola sive cum littera infirma, eodem modo legitur, ita ut littera infirma quæ cum vocali scribitur, nihil addat illi roboris in pronunciatione; nam, v. g. ܒܪܬܐ, ܒܝܪܬܐ et ܒܐܪܬܐ eodem prorsus modo leguntur; et sic ܫܐܠܝܢ et ܫܠܝܢ Sola autem potest esse vocalis ubique præterquam in fine vocis, tunc enim necessario debet habere matrem lectionis, idest alaf scribi debet cum zqafa, zlama et pt[h]ah[h]a; jod[h] cum h[h]was[s]a; et waw cum cum ʿmaqa et rwah[h]a. Hæc autem mater lectionis non computatur cum litteris quæ vocabulum formant, nisi sit radicalis.–2[m] Quod cum mater lectionis vocalem comitatur, littera quæ movetur non est hæc mater lectionis ut insipide nonnulli grammatici, superficiem respicientes, autumarunt, sed littera quæ matrem lectionis præcedit, ex. gr. ܡܩܪܝܒܘܬܐ ubi res[h], qof et taw sunt mobiles, non vero jod[h], waw et alaf quæ redundant.-3[m] Quod tres litteræ infirmæ possunt in vocabulis haberi aut veluti matres lectionis ut hactenus vidimus, aut veluti litteræ radicales, ex. gr. in ܕܝܢܐ, ܡܘܬܐ, ܡܠܐܟܐ, in quorum prima jod[h], in secunda waw, iu tertia alaf radicalia sunt.

Quando autem extra finem vocum vocales solæ, quando cum matre lectionis scribi debeant, et quali, id regula generali statui nequit, sed oportet id observatione discere.



CAPUT IV

DE VOCALIBUS APUD SYROS OCCIDENTALES

30 - Barbebræus, celeberrimus sectæ Jacobiticæ doctor, in sua grammatica cui titulus ܙܰܠܺܝܩܶܐ h. e. *radii* tot vocales seu motiones recenset quot Syr. Orient. imo eas octo esse tradit, addita septem motionibus vigentibus apud Orientales altera h^{h}was^{s}a quam brevem nuncupat, distinctam a h^{h}was^{s}a longa. Verumtamen in altera sua grammatica metrica, cui titulus ܡܶܥܰܠܬܳܐ (*introductio*) quinque tantum esse vocales aut motiones docet. Et talis est reapse numerus numerus vocalium seu motionum apud Occidentales inde a tempore Qarqafensium doctorum de quibus in Prolegomenis (1). Quoad

(1) Severus cognomento Jacobus Bartellensis Jacobiticæ sectæ qui floruit sec. XIII in sua grammatica Syriaca cui titulus ܕܝܠܘܓܘܣ, his quinque vocalibus seu motionibus sextam addidit quam nuncupavit ܥܨܨܐ quæque reapse eadem est ac ʿmaqa Orientalium, et ibidem pt^{h}ah^{h}am denominat ܦܬܚܚܐ h. e. *frænans* quasi frænet litteram cui figitur. Ex hujusmodi autem diversitate in computandis vocabulis Syriacis noli inferre inde sequi Occidentales Syros diverse vocales Syriacas pronunciasse antiquitus ac temporibus nostris. Hæc enim orthographica diversitas ex eo originem habet quod qui plus quam quinque vocales numerarunt, non considerarunt vocalium pronunciationem, neque earum figuras, sed quarumdam earum originem. Nempe considerarunt vocalem h^{h}was^{s}am apud Occidentales respondere modo h^{h}was^{s}æ Orientalium, modo eorum zlamæ forti; item ʿs^{s}as^{s}am duabus Orientalium vocalibus respondere, ʿmaqæ et rwah^{h}æ;

signa quibus vocales notantur apud Occidentales, sciendum est Syros Occidentales duobus systematibus uti in designandis vocalibus, videlicet vel systemate Græco h.e. signis mutuatis a Græco alphabeto, vel systemate Syriaco i. e. punctis minutis de quibus supra, quæque in usu sunt apud Orientales. Verumtamen, Occidentales cum vocalis signum unico puncto constat, i. e. cum h^{h}wâs^{s}a, ʿmaqa et rwâh^{h}a, punctum ingens notant, ut mox dicturi sumus, ceteras vocales minutis punctis figurant more Orientalium (1).

In denominandis vocalibus, Syri Occidentales cum Orientalibus conveniunt quoad sequentes tantum : i. e. pt^{h}ah^{h}am, zqafam et h^{h}wâs^{s}am, quoad duas reliquas vero ab invicem differunt. Sequens tabella exhibet vocalium figuras in usu apud Occidentales juxta utrumque systema, necnon earum nomina et valores :

FIG. GRÆC.	FIG. SYR.	NOMEN	VALOR
◌ܰ	◌ܲ	ܦܬܳܚܳܐ pt^{h}ôh^{h}o	*a* clausa vel longa
◌ܳ	◌ܵ	ܙܩܳܦܳܐ zqôfo	*o*
◌ܺ	◌ܻ	ܚܒܳܨܳܐ h^{h}vôs^{s}o	*i* longa
◌ܶ	◌ܷ	ܪܒܳܨܳܐ rvôs^{s}o	*e* clausa vel longa
◌ܽ	ܘܼ et ܘܿ	ܥܨܳܨܳܐ ʿs^{s}ôs^{s}o	*u*

ideoque unamquamque harum duarum vocalium Occidentalis scholæ doctores duplicem putarunt. Attamen duplicitas rwâs^{s}æ in ipsa rei natura vel apud ipsos Occidentales, i. e. in ipsa pronunciatione, rationem habet. Nam quamquam unam tantum figuram rwâs^{s}æ habeant Occidentales, in pronunciatione tamen rwâs^{s}a clausa quam scilicet sequitur littera quiescens, aliquantulum differt a rwâ^{s}a longa quam scilicet sequitur littera mobilis. Merito igitur duas zlamas posuerunt Syri Orientales.

(1) Barhebræus in sua grammatica dicta ܢܘܩܙܐ, sentire videtur hoc systema exiguorum punctorum esse Orientalibus proprium. Sed res non ita se habet :

Animadvertendum est Syros Occidentales recentiores constanter solere vocalem h^{h}wâs^{s}am per magnum punctum litteræ jod^{h} subjectum notare, sic (ܝܼ) ; vocalem vero h^{h}was^{s}am quoties respondet ‘mâqæ Orientalium per magnum punctum sub littera waw collocatum, sic (ܘܼ) ; quando autem eorumdem Orientalium rwâh^{h}æ respondet, per magnum punctum super litteram waw positum, sic (ܘܿ), semper designare ; quin imo nunquam hæc magna puncta h^{h}was^{s}æ, rwâh^{h}æ et ‘maqæ omittunt, sed fere semper ea signis a Græcorum alphabeto mutuatis jungunt ; pro ceteris autem vocalibus alterutrum systema vel Græcorum signorum scilicet, vel minutorum punctorum adhibent. Denique vocales Græcæ vel supra vel infra litteras scribuntur, liberumque est tribus ܰ, ܶ et ܳ qualemcumque directionem dare. Quod si post litteram venit mater lectionis, figuram Græcam non mater lectionis (ut sæpe evenit in systemate punctorum minutorum) accipit, sed littera ipsa, v. gr. ܡܠܐ, ܩܘܡ, ܢܝܫ, ܒܝܬ, in quibus mim recipit zqafam, qof ‘s^{s}as^{s}am, nun h^{h}wâs^{s}am, beth rwâs^{s}am (1).

nam Jacobus Bartellensis vulgo Tagritensis qui ante Barhebræum floruit apud Jacobitas, diserte testatur hoc systema ab Occidentalibus etiam usitari. Denique codices Jacobitarum multis seculis Barhebræo anteriores hoc systema portant.

(1) Nemo non videt systema Occidentalium notandi vocales per litteras Græcas præstantius esse quam systema punctorum minutorum ad facilius legendum ; etenim in hoc ultimo systemate oculus non uno ictu percipit litteras et vocales, cum hæ valde exiguæ sint relate ad litteras. Deinde hoc systema sæpe impedit quominus ruccak^{h} a qus^{h}s^{h}aj distinguatur ; nam littera quæ pt^{h}âh^{h}a notari debet idest puncto inferiori et superiori, non potest habere punctum ruccak^{h} neque qus^{h}s^{h}aj ; littera ruccak^{h}ata sub qua zlama notatur, non potest puncto ruccak^{h} designari ; littera qus^{h}s^{h}ajata quæ zqafam habet, non potest signo qus^{h}s^{h}aj notari. Item cum jod^{h} pt^{h}ah^{h}am habere debet aut zlamam post h^{h}wâs^{s}am, signum h^{h}was^{s}æ non potest accipere ob punctum pt^{h}âh^{h}æ aut zlamæ. Hæc et similia systema Græcarum vocalium præferendum reddunt systemati punctorum minutorum. Attamen vocalium Græcarum systema suo incommodo non caret, nam ob incongruentiam quæ inter singulas alphabeti Occidentalis idest Jacobitici ex

31 – Pt^{h}ah^{h}am ante litteram quiescentem, pronunciatur tamquam fath^{h}a clausa Arabum (ـَ) : ex. gr. ܠܡܠܬ (lmalt) *defatigatus es* ܗܘܢܟ *havvnôk^{h} (intellectus tuus.)*. Ptâh^{h}a vero ante litteram mobilem pronunciatur tamquam fath^{h}a Arabum, longa scilicet ut A productum ex. gr. ܣܪܚ *(sârâh^{h}) corrupit*, ܩܛܠ *(qât^{t}el) occidit*. Ptâh^{h}a sola scribi deberet, i. e. sine matre lectionis, sed nonnunquam alaf recipit ut infra videbitur.

32 – Zqâfa pronunciatur ab Occidentalibus uti O Latinorum, *clausum* ante litteram quiescentem, et *longum* ante litteram mobilem, uti superius de pt^{h}âh^{h}a diximus, ex. gr. ܒܝܫܐ *(bôjs^{h}o) miser* ܟܘܗܢܐ *(côhno) sacerdos* ܕܪܐ *(dôro) generatio* ܟܬܒܢ *(ct^{h}ôvân) liber noster.* Zqafa semper accipit alaf ut matrem lectionis in fine vocis, ceterum vel sola scribitur, vel cum alaf. Aliquando waw ut matrem lectionis accipit, idque in vocabulis Græcæ originis tantum et ad imitationem hujus linguæ ut ܐܘ *O vocat*; ܦܘܠܘܣ *Paulus*, ܐܘܠܘܡܦܘܣ *Olympus*, ܡܘܪܘܢ *myrron*, pro ܐܐ, ܦܠܘܣ, ܐܠܘܡܦܣ, ܡܪܘܢ. Syri autem Orientales in similibus verbis scribunt rwâh^{h}am pro zqafa.

33 – H^{h}vas^{s}a apud Occidentales eamdem pronunciationem habet ac apud Orientales. Regulariter autem semper sibi unitam habet litteram *jod^{h}*, attamen cum Occidentales soleant zlamam fortem Orientalium, præsertim quam littera alaf sequitur in h^{h}vas^{s}am convertere, hinc factum est ut apud eos occurrat frequenter h^{h}vâs^{s}a

una parte et inter ipsas litteras et figuras Græcas ex altera existit, non raro evenit ut qui legit nesciat quæ litteræ singulas habere debeant vocales, præsertim in libris impressis.

ante alaf ex. gr. ܟܐܢܐ *justus*, ܒܐܪܐ *puteus*, ܡܐܡܪܐ *sermo*. Imo aliquoties Occidentales solent mutare zlamam lenem et fortem quam non sequitur littera alaf neque jod^{h} in h^{h}vas^{s}am, quo fit ut occurrat apud ipsos h^{h}vâs^{s}a sine matre lectionis alaf vel jod^{h}, quod nunquam apud Orientales evenit, ex. gr. ܠܠܝܐ *nox*, ܚܝܝܢ *vivimus*, ܓܗܢܐ *Gehenna*, ܨܠܨܠܐ *cymbalum*, ܥܠܡܐ *mundus*, in quibus sane cunctis exemplis h^{h}vas^{s}æ respondet apud Orientales zlama tenuis ubi sequitur littera quiescens, et zlama fortis ubi mobilis sequitur. Observa vocalem h^{h}vas^{s}am Occidentalium quæ sine matre lectionis vel cum alaf scribitur, non posse notari nisi signo græco ܼ, nam signum puncti minuti non potest scribi nisi cum jod^{h}. Occidentales recentiores in adductis exemplis aliisque similibus post h^{h}vas^{s}am alaf otiosum erronee addunt, scribentes, v. g. ܚܐܝܢ, ܥܐܠܡܐ, vel jod^{h} redundans, ut ܓܝܗܢܐ pro ܓܗܢܐ, et ܩܝܩܠܐ pro ܩܩܠܐ.

34 – Rvâs^{s}a ante litteram quiescentem pronunciatur ut zlama Orientalium, videlicet ut littera E clausa, ex. gr. ܚܘܝܐ (*h^{h}əwjo*) *serpens*, ܡܠܚܐ (*məlh^{h}o*) *sal*; ante litteram vero mobilem aut alaf aut jod^{h} quiescentia pronunciatur tamquam zlama fortis Orientalium, ex. gr. ܥܕܢܐ (*ʿédóno*) *tempus*, ܛܒܐ (*tébo*) *fama* ܐܟܘܠ (*ék^{h}ùl*) *edam*, ܗܠܝܢ (*hólén*) *isti*, ܓܐܪܐ (*géro*) *telum*, ܩܪܝܢ (*qórén*) *vocant*.

35 – ʿS^{s}as^{s}a complectitur duplicem vocalem Orientalium i. e. rwâh^{h}am et ʿmaqam, et semper cum waw concomitante scribitur, exceptis tantum duabus vocibus supra memoratis, ܟܠ *omnis* ܡܛܠ *propter*. Pronunciatur

autem tamquam U Latinorum, clausum quidem ante quiescentem, ut ܥܘܡܪܐ (ʿ*umro*) *habitatio*, longum vero ante litteram mobilem, ut ܫܘܩܐ (*s^{h}ûqo*) *forum*.

36 – Ex tota hac perquisitione facile colliges singulas vocales ab Occidentalibus ante litteras quiescentes clausas pronunciari, ante mobiles autem longas; insuper tres esse apud Occidentales vocales quarum unaquæque respondet duabus vocalibus Orientalium, et hanc adamussim ob causam Barhebræus in sua grammatica cui titulus ܨܡܚܐ recenset duplicem rvâs^{s}am, duplicem h^{h}vâs^{s}am et duplicem ʿs^{s}as^{s}am, quarum omnium alteram longam, alteram brevem nuncupat. Juxta ipsum igitur, rvâs^{s}a longa Occidentalium respondet zlamæ leni Orientalium, rvâs^{s}a vero brevis respondet zlamæ forti; item h^{h}vâs^{s}a longa Occidentalium respondet h^{h}vâs^{s}æ Orientalium, h^{h}vâs^{s}a autem brevis illorum respondet horum zlamæ forti quæ habet litteram jod^h concomitantem; tandem ʿs^{s}as^{s}a longa Occidentalium respondet ʿmaqæ seu rvâs^{s}æ Orientalium, brevis autem respondet eorumdem rwâh^{h}æ.

Denique quælibet vocalis quæ afficit penultimam litteram vocis cujus littera finalis quiescens est, pronunciatur longa seu producta. Ex. g. ܡܪܢ (*môrân*) *dominus noster*, ܙܠ (*zêl*) *ito* ܩܪܢ (*qrôn*) *vocavit nos*, ܪܗܒܘܢ (*rahbûn*) *arrha* ܐܫܬܘܕܝܬ (*ʾs^{h}taudît*) *promisisti*. Hic autem usus producendi ultimam vocabuli syllabam quæ consonanti terminatur, novitas est recentiorum Occidentalium quoad syllabas quarum vocales clausæ sunt. Nam hæc productio universalis ultimæ syllabæ non habet vestigium in ulla ex tribus dialectis vulgaribus Syriacis

quæ usque in hodiernam diem conservatæ sunt, nimirum Assyriaca, Tur'abdinensi et Ma'lulana; in quibus profecto omnibus ultimæ syllabæ vocum non solent ut plurimum produci.

Omnia quæ n. 29 et seq. de vocalibus Syr. Orient. disseruimus, ad adamussim vocalibus Syrorum Occidentalium quadrant, unde haud opus est ea repetere.



CAPUT V

DE IIS IN QUIBUS OCCIDENTALES CUM ORIENTALIBUS CONVENIUNT IN PRONUNCIATIONE VOCALIUM

37 – Si præcedens cap. cum penultimo conferas, manifestum tibi erit Occidentales modo cum Orientalibus in pronunciatione vocalium convenire, modo ab iis discordare. Igitur, ut ea in quibus conveniunt recapitulemus: – I° Eodem modo pronunciant pt^{h}ah^{h}am et zlamam longam quas non sequatur geminatio, zlamam brevem et ʿs^{s}as^{s}am, nam eumdem sonum ab ore unius hominis ex alterutra gente audis. – II° Strictura seu clausura et productio vocalium est eadem, excepta strictura geminationis quam Occidentales in productionem semper convertunt. – III° Conveniunt in eo quod quæcumque vocalis quam littera quiescens (non mater lectionis) sequatur, clausa pronuncietur, sive in eadem voce sive in duabus vocibus conjunctis, etiamsi ea longa esse deberet, nunquam enim apud Syros recentiores dari potest vocalis longa quam quiescens sequatur, seu, ut dicunt Grammatici Europæi, nunquam dari potest syllaba longa quæ in consonantem exeat, nisi in fine vocis. Igitur pt^{h}ah^{h}a

in ܓܠܠܐ, zqafa in ܡܢܐ, ‹maqa in ܪܘܓܙܐ, rvas[s]a et rwah[h]a in ܐܬܒܣܡܬܐ, h[h]vas[s]a in ܢܣܒܘܢ, pt[t]ah[h]a in ܟܬܒܘܗܝ, rvas[s]a in ܡܢܗܘܢ, h[h]vas[s]a apud Occidentales in ܬܐܘܕܝܡ, zlama brevis apud Orientales in ܦܓܪܝܗܘܢ; hæ omnes vocales clausæ pronunciantur eadem ratione ab utraque gente, quamquam perperam quoad vocales quæ longæ natura sunt. E contra omnis vocalis quam littera mobilis sequatur, semper ut longa hodie pronunciatur, etiamsi brevis aut clausa esse ipsa deberet; igitur zqafa in ܡܢܐ, ‹s[s]as[s]a in ܚܘܙܐ, pt[h]ah[h]a in ܡܢܐ apud Orientales, zqafa in ܩܘܡ apud Orientales, pt[h]ah[h]a et zqafa in ܟܬܒܬܘܢ, rvas[s]a in ܐܟܠ et in ܡܟܠܗܘܢ, rvas[s]a in ܡܠܟܗܘܢ apud Occidentales, omnes hæ vocales ab utraque gente longæ efferuntur, quamquam perperam quoad vocales quæ natura breves aut clausæ sunt. Denique sciendum est in lingua Syriaca, nisi in monosyllabis, nullam vocem existere cujus extrema syllaba vocali terminata cum productione pronuncietur, seu, ut grammatici Arabes dicunt, productione productionis efferatur, seu, ut grammatici Itali dicunt, accentum habeat ut vocibus Italicis *beltà*, *andrò*, vel Gallicis *bonté*, *forma*, vel Arabicis سماء, حمراء, علوّ; ultima enim syllaba apud Syros, vocali terminata, semper retrahit accentum ad præcedentem syllabam (1). – IV° Denique conveniunt Orientales cum Occidentalibus in eo quod intactam relinquunt extremam vocabuli vocalem si eam

(1) Judæi in dialecto Syriaca Chaldaica quam ipsi conservant, A finale semper cum accentu efferunt, dicentes, v. g. ܟܠܒܐ, ܥܘܕܐ *calbâ*, *audâ*. Incertum est tamen utrum veteres Babylonii ita pronunciaverint. Certe nulla dialectus Syriaca ex viventibus talem accentum habet.

sequitur vox a littera quiescenti incipiens, sive longa sit ea extrema vocalis sive clausa, ex. gr. ܡܢܘ ܗܢܐ; ܕܡܡܠܠ ܥܡܢ ܒܦܘܡܐ ܪܡܐ, in quo exemplo utrique *u* in ܡܢܘ cum productione efferunt, item secundam ptʰahʰam in ܗܢܐ et ܒܦܘܡܐ; hi enim dicunt: *Mannû-hânâ-dammallel-àmman-bpûlâ-rima*; illi autem: *Mânû-hânô dʰammâlêl-àmân-bpûlô-rîmo*. Cave ne hic confundas accentum cum productione vocalis. At si secunda vox a littera quiescente incipit, cessat productio, ex. gr. ܩܘܝ ܒܪܘܚܩܐ; lege *qâwi-vrûhʰqo*.



CAPUT VI

DE DIVERSITATE PRONUNCIATIONIS INTER ORIENT. ET OCCIDENTAL. ET DE GENUINA ET PRIMITIVA PRONUNCIATIONE LINGUÆ SYRIACÆ.

38 – Ex iis quæ præcedentibus capitibus disseruimus, colligitur Occidentales ab Orientalibus quoad pronunciationem in sequentibus discrepare: – I° Quod Occidentales nunquam litteras geminant. – II° Quod zqafam ab Orientalibus ut A prolatam, ipsi pronunciant ut O. – III° Quod rwahʰam a ʿmaqa non distinguunt, sed utramque confundentes ut U pronunciant. – IV° Quod in plurimis, imo fere omnibus vocibus et in multis formis grammaticalibus convertunt zlamam E in hʰvasˢam I, ex. ܟܐܢܐ *justus*, ܣܐܡܐ *argentum*, ܬܒܝܠ *orbis terrarum*, ܢܐܡܪ *dicet*, pro ܟܐܢܐ, ܣܐܡܐ, ܬܒܝܠ, ܢܐܡܪ. Quibus omnibus adde: V° Quod Occidentales in aliquibus locis vel vocibus vocalem mutant in aliam, ut zlama pro ptʰahʰa in

ܬܗܪܐ *prodigium*, pt^h^ah^h^am pro zlama in ܬܘܣ *pactum*; de quo fusius ad calcem partis grammaticæ materialis agetur. Hujusmodi vocalium diversitas inter Occidentales et Orientales solemnis est in vocabulis Græcæ originis, in quibus tamen errant Orient. rectum habent Occid. exemp. gr. ܐܘܢܓܠܝܘܢ *evangelium*, ܐܦܝܣܩܘܦܐ *episcopus* ܦܪܛܘܪܝܘܢ *prætorium*, quæ nomina Orientales aliquantulum deformant dicentes ܐܘܢܓܠܝܘܢ، ܐܦܝܣܩܘܦܐ، ܦܪܛܘܪܝܢ.

39 – Tandem : VI° Orientales discrepunt ab Occidentalibus in orthographia vocalium vocabulorum exoticorum, præsertim Græcorum in quibus cœteroquin Orientales cum Occidentalibus quoad pronunciationem conveniunt : sic v. g. vocalis A Græcorum exprimitur ab Orientalibus per zqafam, ab Occidentalibus vero per pt^h^ah^h^am, ex. gr. ܐܪܐ ܐܪܐ APA, ܕܝܐܬܝܩܐ ܕܝܐܬܝܩܝ ΔΙΑΘΗΚΝ. Vocalis O Græcorum ab Orientalibus exprimitur per rwah^h^am, ab Occidentalibus autem per zqafam, ex. gr. ܡܠܘܢ ܡܠܠܘܢ MALLON *cum duobus lamad^h^*, ܬܪܘܢܘܣ ܬܪܘܢܘܣ ΘΡΟΝΟΣ. Imo Occid. sæpe mutant O Græc. in U, idest rwah^h^am Orient. in ımaqam, ut faciunt in vocibus Syr. ut ܡܘܪܘܢ pro ܡܘܪܘܢ MYRON. Solent quoque Occidentales in vocibus Græcis in Syriacum sermonem adscitis cum vocali matrem lectionis redundantem illi analogam scribere, scilicet alaf cum pt^h^ah^h^a, waw cum zqafa, et sæpe he cum rvas^s^a. Exinde sæpe fit ut vocabula exotica plerumque diverse reperiantur scripta apud Orientales ac apud Occidentales.

40 – Modo prætermissa diversitate vocalium quæ extat inter Orientales ac Occidentales quoad nonnullas

voces, agendum nobis est in genere de intrinseco valore pronunciationis vocalium in quibus Occidentales ab Orientalibus differunt, necnon inquirendum est quodnam systema ex duobus sit rectius vetustiusque, præsertim quoad valorem vocalis zqafæ et quoad geminationem litterarum. Primo igitur præmittimus Barhebræum tum in sua fusiori grammatica composita soluta oratione, tum in breviori metrica quoad utramque positam quæstionem, systema Occidentalium i. e. suæ sectæ prætulisse alteri Orientalium, nullo tamen prolato historico aut philologico argumento. Attamen (citra defectus quosdam quos Orientales in pronunciatione committunt, de quibus egimus supra) systema Orientalium omnino verum et genuinum est. Plura argumenta ad id probandum præsto sunt, quorum præcipua commemoramus:

I° Veteres scriptores Græci et Latini cum citant dictiones Syr. figuratas suis alphabeticis characteribus, illas dictiones proferunt juxta systema pronunciationis Oriental. minime vero juxta systema Occidental. Tales sunt locutiones Syriacæ adhibitæ et expressæ litteris Græcis in N. Testamento: sic I Corinth. XVI. 22 ΜΑΡΑΝΑΘΑ (1), *Maran atha* ܡܳܪܰܢ ܐܰܬ݂ܳܐ minime vero *Moran atho*; item Matth. XXVII. 46 *Eloi eloi lama sabacthani* ܐܶܠܳܗܝ ܐܶܠܳܗܝ ܠܡܳܢܳܐ ܫܒܰܩܬܳܢܝ minime vero *Eloi Eloi lamo sabacthoni*; similiter quoque Marc. V. 41 *Talitha cumi* ܛܠܺܝܬ݂ܳܐ ܩܽܘܡܝ minime autem *Talitho cumi*.

(1) Vox ܐܬܐ habet pthahham ad primum alaf, quia sic ferebat dialectus Chaldaica quæ in Palæstina tunc vigebat, quod ceteroquin verius est quam pronunciatio hodierna illius alaf cum zlama. Habet Syriaca lingua litteralis (apud Orientales) et hodie vestigium hujus pronunciationis cum alaf in verbis ܐܰܦܶܐ, ܐܰܠܳܗܳܐ, ܐܰܪܥܳܐ, ܐܰܠܶܦ, ܐܰܠܡܝ de quibus n. 376.

41 — IIº Syri Chaldæi h. e. Babylonenses tempore Danielis videlicet plusquam 600 annis ante Christum linguam Aramaicam ipsis vernaculam uti hodierni Syri Orientales quoad valorem zqafæ et geminationem litterarum pronunciabant. Testis est prophetia ipsius Danielis scripta lingua Aramaica, circa quam nullum dubium moveri potest quoad pronunciationem cum scripta sit characteribus et vocalibus usu vigentibus apud Hebræos de quorum pronunciatione nullum profecto ortum est vel oriri potest dubium. Claritatis causa juvat hic proferre fragmentum depromptum ex Cap. III, 1 Danielis expressum hodiernis Syrorum Occidentalium characteribus et instructum vocalibus Græcis, affixo insuper signo Arabico duplicationis litterarum, adamussim prouti hic locus Danielis legitur ab Hebræis : ܢܒܘܟܕܢܨܪ ܡܠܟܐ ܥܒܕ ܨܠܡ ܕܝ ܕܗܒ ܪܘܡܗ ܐܡܝܢ ܫܬܝܢ ܦܬܝܗ ܐܡܝܢ ܫܬ. ܐܩܝܡܗ ܒܒܩܥܬ ܕܘܪܐ ܒܡܕܝܢܬ ܒܒܠ... Sic Daniel. cap. 1, 4 : ܘܟܪܘܙܐ ܩܪܐ ܒܚܝܠ ܠܟܘܢ ܐܡܪܝܢ ܥܡܡܝܐ ܐܘܡܡܝܐ ܘܠܫܢܝܐ. Ex quibus vides sane inde ab illa ætate veterum illorum Orientalium Aramæorum pronunciationem fuisse eamdem ac hodiernorum Orientalium.

42 — IIIº Notum compertumque est eruditis Syriacam, Arabicam et Hebraicam linguas emanare ex uno eodemque stipite. Atqui Syrorum zqafæ et geminationi respondet fathʰa et geminatio Arabicæ, et Syrorum geminationi respondet geminatio Hebraica. Sufficiat comparationem inter Arabicam et Syriacam linguam instituere, et primo quoad zqafam. Ex. gr. ܩܛܠ qâ-

(*crus*); ܬܐܓܐ تاج (*infula*); ܟܬܐܒܐ كتاب (*codex*); ܓܐܠܒ غالب (*vincens*); ܫܠܐܡ سلام (*pax*); ܩܐܡ قام (*surrexit*); ܠܫܢ لسان (*lingua*); ܒܢܐ بانٍ (*ædificans*); aliaque infinita exempla tum inter singulas voces tum in formis nominum et verborum grammaticis, in quibus omnibus zqafæ respondet fathʰa Arabum sequente alaf, minime vero dʰʰamma. Exempla quoad geminationem: ܚܠܐ خلّ (*acetum*); ܫܢܐ سِنّ (*dens*); ܚܘܒܐ حُبّ (*dilectio*); ܥܡܐ عمّ (*patruus*); ܣܟܝܢܐ سكّين (*culter*); ܓܘܒܐ جُبّ (*cisterna*); ܠܒܐ لُبّ (*cor*). Similia exempla exhibent formæ nominum verborumque quæ in Arabica lingua geminationem habent. Tales sunt in verbis forma فعّل, et conjugatio verbi geminati regulariter, ex. gr. ܚܟܡ حكّم (*instruxit*); ܩܛܠ قتّل (*occidit*); ܦܫܩ فسّر (*explicavit*); ܒܙܘܢܝ بزّوني (*prædati sunt me*); item quoad nomina regulariter formæ فعّال et فعّيل ex. gr. ܓܢܒܪܐ جبّار (1) (*gigas*); ܕܝܢܐ ديّان (*judex*); ܦܕܢܐ فدّان (*aratrum*); ܩܕܝܫܐ قدّيس (*sanctus*); ܙܕܝܩܐ صدّيق (*justus*).

43 - IV° Idem clare probatur ex canone qui determinat sonum asperum ܩܘܫܝܐ et lenem ܪܘܟܟܐ. Siquidem quotiescumque littera geminatur apud Orientales, illa littera (si una sit ex litteris ܒܓܕܟܦܬ, quæ duplicem sonum habent, videlicet *asperum* et *lenem*) illa, inquam, littera sonum *asperum* habet etiam apud Occid. ea profecto de causa, quod, quum sit geminata, æquivaleatque duabus litteris quarum prima est quiescens, illa littera geminata debet proinde legi aspera quatenus

(1) Nomen ܓܢܒܪܐ erat in origine sine nun ܓܒܪܐ, sed postea ut distingueretur a ܓܒܪܐ (*vir*), ei additum fuit nun

est littera quiescens veniens post vocalem v. g. ܙܕܩ (*justificari*), ܦܬܚ (*aperuit*): in suppositione autem quod geminatio non esset admittenda, uti contendunt Occidentales, in præfatis exemplis litteræ ܟ et ܬ *lenes*, minime vero *asperæ* legendæ essent, ut in ܙܟܝܐ (*vincens*) et ܦܬܚ (*aperiens*). Vide infra canones de sono leni et aspero.

V° – Idem patet ex vocibus Syriacis quas Arabes mutuati sunt, quas scilicet Arabes post propagationem Christianismi in Orientem ex Syriaca in suam propriam linguam introduxerunt, quæ quidem voces præcipue ad religionem spectant. Jam vero ista vocabula, eo modo quo ab Arabibus adhibentur, aperte testantur pro genuinitate Orientalis pronunciationis et improbant Occidentalium pronunciationem. Sic Arabes formarunt v. g. قسّيس ex ܩܫܝܫܐ (*præsbyter*), شمّاس ex ܫܡܫܐ (*diaconus*), ساعور ex ܣܥܘܪܐ (*visitator*), مفريان ex ܡܦܪܝܢܐ (*Mafrianus*), معمدان ex ܡܥܡܕܢܐ (*Baptista*), عمّاد ex ܥܡܕܐ (*baptisma*), قدّاس ex ܩܘܕܫܐ (*missa*). Et alia plurima exemp. in quibus quidem omnibus vocabulis retenta fuit geminatio ubi existit in Syriaco, et zqafa Syriaca traducta fuit per *fathham longam*, prorsus juxta pronunciationem Orientalem. Ex his argumentis aliisque deducitur evidenter systema Orientalium non modo non esse reprehendendum neque condemnandum sed omnino uti pristinum et exactum systema habendum esse; et e converso Occidentalium systema tanquam corruptionem judicandum esse, vel provincialismum recenter inductum unique familiæ ex familiis Syriacæ nationis proprium non vero toti genti

fuisse dicendum (1). Ex ultimo exposito argumento deducere licet incolas Syriæ et Palæstinæ in priscis illis

(1) Veritas nos compellit ut fateamur pronunciationem zqafæ Occidentalium habere vestigium in antiquitate. Etenim Syri hodierni Curdistani et Assyriæ pronunciant in sua lingua Syriaca vulgari zqafam quæ præcedit suffixum secundæ personæ singularis juxta Occidentales, non juxta Orientales, ita v.g. dicunt עַינוֹךְ (ʿájnokh) *oculus tuus*, מִנּוֹךְ (mənnokh) *a te*, minime vero ʿ*ainokh* et *mənnokh*. Imo zqafæ Syrorum fere semper respondet in Hebraica lingua (quæ est germana soror Syriacæ) rwaḥḥa, sic v. g. Hebræi dicunt: אֱלוֹהַּ (*elōh*) (ܐܠܳܗܐ) *Deus*; לוֹ *lo* (ܠܳܐ) *non*: לָשׁוֹן *lashôn* (ܠܶܫܳܢ) *lingua*; קוֹל *qûl* (ܩܳܠ) *vox*; שׁוֹק *shôq* (ܫܳܩ) *crus*; צֹאן *sṣôn* (ܥܳܢ) *armentum*. Item penes Hebræos in forma participii activi respondet zqafæ Syrorum rwaḥḥa, v.g. קוֹטֵל *qôṭel* (ܩܳܛܶܠ) *occidens*; פּוֹקֵד *pôqedh* (ܦܳܩܶܕ) *jubens*; שׁוֹחֵק *shôḥeq* (ܫܳܚܶܩ) *obtundens*. Præterea terminatio plur. fem. apud Hebræos habet waw non alaf ante taw, sic v. g. dicunt בָּנוֹת (ܒܢ̈ܳܬܐ) *filiæ*, גַּנּוֹת (ܓܰܢ̈ܳܬܐ) *horti*. Ex quibus omnibus concludimus A longum in linguis Semiticis a pristina ætate pronunciatum fuisse ab aliquibus populis veluti O. Ita sane vulgus in aliquibus locis Syriæ Occidentalis arabice loquens sæpe A longum ut O effert; sic Syri Maʿlulæ in territorio Damasci quamvis Oriental. more litteras geminent nec non zqafam in fine vocum uti A pronuncient, nihilominus zqafam mediam veluti O efferunt. Soli Syri qui degunt in montibus Turabdin litteras non geminant, et zqafam semper more Occidentalium uti O pronunciant. Quoad discrimen autem intercedens inter Orientales et Occidentales circa zlamam duram Orientalium quam Occidentales plerumque in ḥḥvâsṣam immutant, judicandum est pro usu Orientalium: - I° Quia Hebraica lingua in hoc cum Orientalium pronunciatione convenit, sic צֶדֶק (ܙܶܕܩܳܐ) *justus*; כְּאֵב (ܟܶܐܒܳܐ) *dolor*; בְּאֵר (ܒܶܐܪܳܐ) *puteus*; תֵּבֵל (ܬܶܒܶܠ) *orbis terrarum*. - II° Idem patet ex vocabulis Syriacis Græcæ originis in quibus littera E aut H reperitur, v. g. ܕܝܰܬܶܝܩܺܝ (*fœdus*), quod nomen pronunciandum est reapse ܕܝܰܬܶܩܳܐ uti pronunciant Orientales. - III° Antiquissima dialectus Aramaica quæ Chaldaica dicitur, testis est pro causa Syrorum Orientalium. -IV° Omnes populi qui hodie lingua Syriaca vulgari utuntur, pronunciant ut Syri Orientales, in Assyria, in Tur Abdin, in Maʿlula ceterisque locis, dicunt enim ܟܺܐܦܳܐ *petra*, ܣܶܐܡܳܐ *argentum*, ܕܶܐܒܳܐ *lupus*; nullus est populus hodie Syriaca

seculis non pronunciasse linguam Syriacam juxta systema Occidentalium seu Edessenorum, sed potius juxta systema Orientalium seu Nisibenorum et nonnisi posteriori ætate systema illud Occidentale in Syriam finitimasque regiones ex Mesopotamiæ oris per Jacobitismum (1) pervenisse, et in usu incolarum Syriæ prævaluisse, quando jam in illis regionibus Syriaca lingua litteralis vernacula esse cessaverat. Ratio est quia Christiana Ecclesia in Syriæ regionibus origines suas habuit, atque exinde non vero ex regionibus Syrorum Orientalibus Arabes mutuati sunt vocabula Syriaca quæ in suam linguam introduxerunt.



lingua loquens qui in hujusmodi vocibus h^{h}vassam proferat pro zlama. - V° Denique hanc zlamam ipsi Occidentales per alaf scribunt etiamsi ex jod^{h} derivata sit ex. gr. ܢܐܡܪ *dicemus*, ܥܐܕܐ *festum*, ܢܐܠܕ *generabit*, ܢܐܪܬ *hæres erit*; quorum duo extrema verba ab ܝܠܕ et ܝܪܬ veniunt. Jamvero si hujusmodi vocabula antiquitus pronunciata essent cum h^{h}vas^{s}a, ea scripta essent non cum alaf sed cum jod^{h} quod necessariam relationem habet cum h^{h}vas^{s}a, præsertim ea in quibus alaf est pro jod^{h}.

Denique quod attinet ad suppressionem geminationis, fatemur eam non omnino abesse ex dialectis vernaculis. Etenim in Tur Abdin geminatio fere omnino inaudita est ut mox diximus. In dialecto Assyriæ non raro supprimitur geminatio initio vocis, dicitur enim, v. g. ܪܚܘܩܐ *longinquus*, ܥܬܝܩܐ *antiquus*, l. *rah^{h}óqa*, *atiqa* sine geminatione et sine productione etiam. Observandum est tamen geminationem harum similiumque vocabulorum quam Syriaca lingua litteralis habet, non esse legitimam. (v. n. 107, 6) unde hoc exemplum parum probat contra legem geminationis.

(1) Unde confirmatur conjectura quam alibi expressimus, nempe Melchitas Syriæ æque ac Palæstinæ linguam Syriacam pronunciasse more Orientalium, Maronitasque a Jacobitis didicisse pronunciationem Occidentalium.

CAPUT VII

DE SIGNIS DIACRITICIS

44 - Grammatici Syri orthographica signa, præter litteras alphabeti et vocalium figuras, ܦܘܚܡ̈ܐ, seu notas distinctivas nuncupant. Hic autem sermo est de pûh^{h}âmis orthographicis seu grammaticis; nam præter has exstant aliæ etiam pûh^{h}âmæ dictæ rhetoricæ, quæ, cum levi diversitate inter Orientales et Occidentales, numerosissimæ sunt: nonnulli eas ad quadraginta et amplius recensuerunt. Latine dicerentur *Accentus*, nam simillimæ sunt accentibus rhetoricis Hebræorum. Hi Syrorum accentus consistunt omnes uno vel ad summum tribus punctis magnis non quadratis ut sunt cætera puncta orthographica, sed rotundis, diverso modo notatis ad finem diversorum sermonis membrorum ut dirigant lectoris vocem juxta diversitatem sensus. Hi accentus pertinent tantum ad Biblia sacra V. et N. Testamenti, in quorum textu his accentibus recensendo per membra vel ut ita dicam per verba, arduos ac summos exantlarunt labores doctores Syrorum tum Orientalium tum Occidentalium. Ideo omnia fere Bibliorum exemplaria a tempore quo hoc accentuum systema invectum est usque ad proxime elapsum seculum exarata, his accentibus insignita sunt. Attamen cum hi accentus seu pûh^{h}âmæ rhetoricæ his temporibus obsoletæ sint eorumque exacta doctrina perdita sit, malumus eorum minutam explicationem omittere ne lectorum mentes inutiliter turbentur[1].

(1) De his accentibus docte scripsit Duval in sua grammatica sæpius citata

45 – Igitur ut ad pûhʰâmas orthographicas restringamus sermonem, præcipuum ex his pùhʰâmis seu signis diacriticis eminet lineola paulisper inclinata quæ litteræ superimponitur vel infraponitur; lineolam autem Syri grammatici ܣܪܛܘܬܐ vocant. Hujusmodi porro lineolæ tres numerantur species, quarum una dicitur ܡܗܓܝܢܐ *mhagjána* (i. e. movens seu litteram mobilem efficiens), altera ܡܪܗܛܢܐ *marhtʰána* (i. e. accelerans), tertia tandem nuncupatur ܡܒܛܠܢܐ *mvatʰlána* (i. e. supprimens seu occultans).

46 – Lineola *mhagjána* infra scribitur litteræ quiescenti quam sequitur immediate altera littera quiescens, seu aliis verbis infra notatur media inter duas litter. quiescentes successive concurrentes, ad indicandum primam ex duabus concurrentibus litteris quiescentibus legendam esse, causa facilitandæ pronunciationis, cum rvasˢa clausa; et Occidentales quidem solent universali regula primam ex duabus successive quiescentibus dummodo concurrant in una eademque voce, mobilem cum rvasˢa uti dictum est, pronunciare. Exempla ܕܚܠܬܐ (*timor*), ܐܫܬܩܠ (*portatus fuit*), ܡܥܪܒܝܐ (*occidentalis*), ܢܣܒܥܘܢ (*saturabuntur*), in quibus pronunciandis adjiciunt rvasˢam clausam primæ ex duabus litteris quiescentibus, legentes: ܕܚܠܬܐ, ܐܫܬܩܠ, ܡܥܪܒܝܐ, ܢܣܒܥܘܢ. l. *dᵉhʰalᵉtʰo*, *ésʰᵉtqèl*, *mávorvójo*, *nésᵉbʰùn*. Porro hæc rvasˢa addita pronunciatur quidem sed non notatur, imo ipsam lineolam *mhagjána* perraro vel fere nunquam orthographice notant Occidentales.

---

et ante eum presbyter Martin in opusculo speciali.

47 – Quod si secunda ex duabus litteris quiescentibus sit jodh, tunc *mhagjâna* efficit ut prima quiescens legatur mobilis non cum rvassa, sed cum hhvassa et quidem scribendo etiam; sin autem secunda quiescens sit waw, tunc prima quiescens fit mobilis cum ʿssâssa scribenda. Exempla, 1i ܡܬܝܕܥ (*cognoscitur*), 2i ܢܕܘܨܘܢ (*gaudent*), pro ܡܬܝܕܥ et ܢܕܘܨܘܢ. Item si secunda littera quiescens sit alaf, tunc rvassa efferenda primæ quiescenti adjicitur tum in pronunciatione tum in scriptura, quia necessario efferri debet ante alaf sicut et ante jodh, non ad libitum ut cum aliis litteris, sic v. g. legitur et scribitur ܡܬܐܡܪ pro ܡܬܐܡܪ (*dicitur*).

48 – Hæc dicta sunt de usu mhagjanæ apud Occidentales. Orient. autem non solent adhibere mhagjanam nisi in casu quo secunda ex duabus quiescentibus concurrentibus sit una ex sequentibus litteris quæ formant istam dictionem ܗܘܦܟ ܒܠܡܪܐ. Ex. gr. ܡܢܗܪܝܢ (*illuminant*), ܐܬܬܪܝܨ (*correctus fuit*), ܡܬܝܠܕ (*nascitur*), ܡܬܥܡܪܢܐ (*habitaculum*), ܡܫܘܓܝܢܐ (*lotor*), ܐܬܬܐܟܠ (*manducatus fuit*), ܐܫܬܠܡܘ (*traditi*), ܟܪܡܗܘܢ (*vinea eorum*). Cum prædictis litteris numerant quoque litteram hheth in voce ܕܒܚܬܐ (*sacrificium*), quæ quidem littera hheth efficit litteram beth præcedentem in hac tantum voce ex quiescente mobilem cum zlama, unde legunt ܕܒܚܬܐ l. *dəwehhtha* (1). Præterea excipiunt a regula præcedenti sequentes voces: ܡܣܪܗܒܢܐ (*accelerans*), ܡܥܡܕܢܐ (*baptista*), ܨܘܪܗܘܢ (*collum eorum*), ܬܘܪܗܘܢ (*taurus eo-*

(1) Occidentales pronunciant ܕܒܚܬܐ *dèvahhtho*.

rum), ܕܪܒܥܗܘܢ (*quartum eorum*): in quibus vocibus quamvis secunda quiescens sit una ex litteris comprehensis in dictione ܝܘܗܒܢ ܟܠܡܬܐ, de qua supra, tamen prima quiescens remanet quiescens.

49 – Contrarium mhagjanæ est *marhᵗâna*, quæ est lineola superna quæ imponitur apud Orientales primæ ex duabus litteris successivis quiescentibus ad indicandum illam litteram legendam esse quiescentem, i. e. non movendam per mhagjanam, idque locum habet quoties secunda quiescens sit alia quam una ex novem illis comprehensis in ܝܘܗܒܢ ܟܠܡܬܐ. Exempla: ܐܫܬܩܠ (*portatus fuit*), ܢܣܒܥܘܢ (*saturabuntur*), ܢܬܦܨܚ (*gaudet*): in quibus exemplis aliisque similibus prima quiescens effertur uti est i.e. quiescens, l. *əsʰtqel*, *nəsbʿûn*, *nètʰpsʰahʰ*.

50 – *Mratʰlana* (*supprimens*) est lineola superna quæ imponitur litteræ ad indicandum illam litteram supprimendam seu occultandam esse in pronunciatione. V.g. ܐܢܬܗܘ (*tu es*) l. ܐܬܘ *attû* per suppressionem *nun* et *he*. Sunt quidam qui lineolam *mratʰlana* sub litteram collocant, quod in more est plerorumque Occidentalium.

51 – Superius diximus Occidentales solere primam ex duabus litteris quiescentibus concurrentibus in una eademque voce mobilem cum rvasˢa efferre; modo insuper addimus eosdem ex duabus litteris quiescentibus post invicem occurrentibus in duabus vocibus, illam primam h. e. ultimam prioris vocis mobilem item cum rvasˢa legere, quin scribant tamen rvasˢam, v. g. ܟܕ ܚܙܐ (*cum viderit*), ܐܢܬ ܩܪܝܬ (*tu vocasti*), ܠܥܠܡ ܢܫܒܚܘܢܟ (*in æternum laudabunt te*), pronunciant veluti si essent

ܠܥܠܡ ܢܫܒܚܘܢܟ، ܐܬܩܪܝܬ؛ ܟܕܚܙܘ : l. *cadhəhhzô*, *àtqrajt*, *ltòlàm*, *nshabhhànòkh*.

52 — Orientales vero grammatici ultimam vocis præcedentis quiescentem quam sequitur quiescens in altera voce non solent mobilem legere, sed potius producunt motionem præcedentem, quod indicant appositâ ultimæ illi litteræ præcedentis vocis lineolâ ei parallelâ, quam lineolam ܡܬܢܝܢܐ h. e. *protrahentem* vocant. Ex. gr. ܠܡܦܪܟܘ ܠܢܦܫܝ (*ad perpringendam animam meam*), ܫܠܡ ܒܥܘܕܪܢ (*absolutus est ope* etc.), l. *lməthbàrlnafsh* (legunt w pro f), *sàlémbəùdhràn*. E converso quando prima vox desinit in litteram quidem quiescentem, sed altera vox immediate sequens incipit cum littera mobili, tunc Orientales solent penultimæ litteræ mobili primæ vocis subscribere lineolam parallelam quam ܡܗܓܝܢܐ (h. e. *connectentem*) nuncupant ex. gr. ܒܗܬ ܡܢܝ (*erubuit de me*).

53 — Cœterum omnia ista signa orthographica non sunt rigide observanda, sed omnino libera sunt, excepta mvatłlana quam Orient. fere nunquam negligunt.

54 — Inter signa quæ dicuntur *puhhàmæ*, recensentur magna puncta quadrata quæ subjiciuntur vel superimponuntur litteris, ut diversi vocum distinguantur sensus grammaticales. Punctum autem dicitur ܢܘܩܙܐ. Itaque (ut ea singillatim explicemus) unum punctum superponitur pronomini demonstrativo ܗܘ *ille*, ital. *quello*, et supponitur pronomini personali ܗܘ *ipsi*, ital. *egli*; superponitur ܗ suffixo sing. 3 pers. fem. nominum sive singularium, sive pluralium, v. g. ܢܦܫܗ (*anima ejus* f.)

ܐܒܗ̈ܝܗ̇ (*parentes ejus* f.). Item magnum punctum apponitur pronomini ܐܢܐ desuper cum ejus alaf pronunciatur, ut ܐܢܐ ܐܡܪܬ (*ego dixi*); et subter cum alaf non pronunciatur, ut ܝܬܒ ܐܢܐ (*sedeo*). Supponitur quoque præterito trilitero simplici 3ᵃᵉ personæ, v. g. ܗܦܟ (*reversus est*), et præterito 2ᵃᵉ personæ singularis sive masculinæ sive fœmin. cujusvis formæ verborum, ex. gr. ܐܫܬܒܚܬ (*laudatus fuisti*). In his casibus in quibus Occidentales unum punctum magnum notabant, Orientales duplex punctum apponebant. Apponitur unum punctum præterito primæ personæ singularis, ex. gr. ܢܚܬܬ (*descendi*), ܚܙܝܬ (*vidi*). 3ᵃᵐ autem personam fœmininam singularem in præterito quidam notant duobus magnis punctis, uno quidem litteræ ܬ subjecto, altero post eamdem litteram, ex. gr. ܥܪܩܬ (*fugit* f.); Syri tamen Occidentales hodierni prædictam personam uno tantum magno puncto post ܬ collocato notant, sic ܢܣܒܬ (*cepit* f.); Syri vero Orientales hodie hanc personam duobus minimis punctis sub ܬ positis notant, sic ܫܒܩܬ (*reliquit* f.).

Hæc sunt puncta quæ ordinarie ponuntur personis præteriti, quæque in praxi omnino adhibenda sunt.

55 – Aoristus vero nullum punctum diacriticum stricte exigit: attamen Occidentales aoristo formæ ܐܦܥܠ solent supernum unum punctum inscribere inter litteram præformativam aoristi et primam radicalem, ex. gr. ܢܫܘܐ (*dignum efficimus*) ex forma ܐܫܘܝ, eodem modo notant participium activum et passivum ejusdem formæ,

ex. gr. ܡܩܒܠ (*obviam occurrens*), aoristo autem atque utrique participio formæ ܦܥܠ punctum supernum imponunt inter primam et secundam radicalem, v. g. ܢܫܘܐ (*exæquamus*) ex forma ܫܘܝ, ܡܩܒܠ (*acceptus*).

56 — Participium activum formæ simplicis in utraque schola Orientali et Occidentali notatur uno magno puncto super primam radicalem, v. g. ܥܐܠ (*occidens*), ܚܝܐ (*vivens*), ܣܝܡܝܢ (*ponentes*), quod omnino observandum est. Participium passivum sing. masc. verbi simplicis defectivi in *lamad*[h] Occidentales solent notare duobus majoribus punctis rotundis (nam in ceteris, ut diximus, punctum magnum est quadratum), uno superno dextrorsum posito, altero infra sinistrorsum subjecto, ex. gr. ܒܪܝܐ (*creatus*), ܩܢܐ (*acquisitus*), ܚܠܐ (*dulcis*).

57 — Alia præter hos casus vocabula punctum supernum vel infernum nulla certa regula adsciscunt ad discernendas ab invicem diversas significationes quas vocabula iisdem litteris scripta habere possunt, ex. gr. ܚܕ̈ܬܐ (*novis*), ܚܕܬܐ (*nova*), ܥܘܠܐ (*nequitia*), ܥܘܠܐ (*iniquus*), ܥܘܠܐ (*infans*), ܕܝܢܐ (*judicium*), ܕܝܢܐ (*judex*), ܕܐܒܐ (*patris*), ܕܐܒܐ (*lupus*). Hoc systema tamen magni puncti ex quo usus punctorum seu signorum vocalium generalis evasit, parum usitatur. At si scriptor signa vocalium negligit, necassario puncti magni systema observare debet.

58 — Inter puncta censetur geminum punctum supernum horizontaliter scriptum ad indicandum numerum pluralem, quod geminum punctum dicitur a Syris Orientalibus ܣܝܡܐ *siame*. Nota tamen *siame* coalescere

cum puncto diacritico litteræ resh ut ܐܡܪ̈ܐ (*agni*), non ܐܡܪܐ.

58 – Porro omnia nomina substantiva pluralia sive masculina sive fœminina suscipiunt siame. Exempla ܛܠܝ̈ܐ (*infantes*), ܢܫ̈ܐ (*mulieres*), ܒܢ̈ܬܐ (*filiæ*), ܫܘܪ̈ܐ (*mœnia*). Verba autem et adjectiva pluralia suscipiunt siame si sint generis fœminini, minime si masculini. Exempla ܐܙ̈ܠܝ (*iverunt* f.), ܐܬ̈ܝܢ (*venientes* f.), ܦܫ̈ܬܝܢ (*remanetis* f.), ܬܡܝ̈ܗܬܐ (*admirabiles* f.). Adjectivum plurale masculinum suscipit siame tantummodo quando locum substantivi tenet, ut in ܥܣܪܐ ܙܕܝ̈ܩܝܢ ܐܝܬ ܒܡܕܝܢܬܐ (*decem justi sunt in urbe*), non vero si sensum adjectivi habet, ut in ܗܠܝܢ ܙܕܝܩܝܢ ܐܢܘܢ (*isti sunt justi*). Nomini collectivo carenti plurali etiam si habeat formam numeri singularis inscribitur quoque siame ex.g. ܥܢ̈ܐ (*grex*), ܪ̈ܟܫܐ (*equi*); infigitur quoque siame nominibus quibus duplex esse potest sensus, videlicet singularis vel pluralis, quoties significant numerum pluralem v-g. ܐ̈ܢܫܐ (*homines*)' ܫܡܝ̈ܐ (*cœli*), secus quando numerum singularem significant. Nomina pluralia in ܝܢ quæ ut adverbia adhibentur, sine siame scribuntur, ut ܠܥܠܡܝܢ *in æternum*, ܠܩܘܕܡܝܢ *antiquitus*, ܕܩܘܫܬܝܢ *vere*, ܕܡܢܐܘܚܪܝܢ *recenter*. Attamen ܠܥܠܡ ܥܠܡ̈ܝܢ *in secula seculorum* scribitur cum siame.

59 – Nomina numeralia adsciscunt sibi siame quoties habent sibi adnexum suffixum, v. g. ܬܪ̈ܝܗܘܢ (*ambo ipsi*) ܬܠܬ̈ܝܟܘܢ (*vos tres*); secus vero si suffixis

careant, ut ܬܪ̈ܝܢ *duo*, ܚܡܫܐ *quinque*, ܐܪ̈ܒܥܝܢ *quadraginta*. Attamen numeralia feminina accipient *siame*, ܬܪ̈ܬܝܢ *duæ*, ܐܪ̈ܒܥ *quattuor* f., ܬܫ̈ܥܣܪܐ *novendecim*. Verum orientales fere id improbant.

60 - Sunt et inter particulas quædam quæ assumunt siame quando scilicet sibi adnexum habent nominum pluralium suffixum, et hæ sunt: ܠܒܪ̈ ܡܢ (*præter*), ܚܕܪ̈ (*circa*), ܩܕ̈ܡ (*coram*), ex. g. ܠܒܪ̈ ܡܢܗܘܢ (*præter ipsam*), ܚܕܪ̈ܝܟ (*circa te*), ܩܕ̈ܡܝܢ (1) (*coram nobis*). Juvat tandem notare pronomina plnralia personalia æque ac demonstrativa non assumere siame etiamsi sint generis fœminini, v. g. ܗܢܝܢ (*ipsæ*), ܐܢ̈ܝܢ (*vos*), ܗܠܝܢ *hæ*, ܟܠܗܝܢ *cunctæ*, ܐܝܠܝܢ (*quæ*). (2)

60[II] - Inter signa quæ scriptor observare debet, est exiguus character, litteræ Ω Græcæ simillimus, et forsitan ex eo derivatus, qui tantum super waw particulæ ܐܘ *o vocat*, apponitur a scriptoribus Occidentalibus ad eam distinguendam ab altera particula ܐܘ *aut* cui apponitur unum punctum magnum.

61 - Solent præterea Oriental. duo magna puncta subjicere sequentibus vocibus, ܗܘ (*is*), ܗܝ (*ea*), ܗܘܬ (*erat*), et in cœteris personis præteriti hujus verbi, si quidem littera ܗ exprimitur in pronuntiatione in omnibus prænotatis vocibus; quando autem occultatur

(1) Occidentales scribunt ܩܕܡܝܢ sine jod.

(2) Codices Syriaci qui pertinent ad Syr. Melchitas Syriæ præseferunt siame affixum omnibus et singulis vocibus indicantibus numerum pluralem sive sint generis masculini, sive fœminini imo ipsis pronominibus personalibus et demonstrativis.

littera ܗ tunc iis vocibus subjicitur unum tantum punctum ; ex. g. ܫܡܥ ܗܘܐ (*audiebat*), ܕܚܝܠ ܗܘ (*terribilis est*), ܪܚܝܩܐ ܗܝ (*longinqua est*).

CAPUT. VIII.

DE ORTHOGRAPHIA ET DE LITTERIS SILENTIBUS

62 - Orthographia seu ars disponendi scriptura litteras ceteraque scripturæ signa juxta statutas leges, multiplices apud Syros passa est variationes, per diversa tempora diversosque locos. Imo si linguæ Syriacæ litteralis orthographiam hodierna die vigentem cum ceterarum dialectorum, Babylonensis inquam biblicæ, Chaldaicæ Rabbinorum, Palmyrenæ inscriptionum, Samaritanæ, Mandaiticæ, etc. orthographiis conferamus, magnas percipiemus discrepantias. Et quod majus est, ipsius dialecti litteralis hodierna orthographia non est sibi constans, nec una fuit præteritis temporibus. Quæ omnia satis clare demonstrant priscis temporibus, cum nulla haberentur signa ad vocales significandas ceterasque scripturæ conditiones indicandas præter 22 litteras alphabeti, unusquisque populus et fere dixerim unusquisque scriptor sensu suo abundabat. Ut hujus diversitatis orthographicæ inter dialectum Babylonensem targumicam et litteralem hodiernam intercedentis, aliquam notionem habeat lector, specimen hic ponimus ex cap. 2 Geneseos targum. Onkelos:

VERS. 2

Ch. Targ. ܘܡܥܝܢܝ ܐܠܗܐ ܒܝܘܡܐ ܥܣܒܟܝܬܗ
Syr. litt. ܘܗܠܟ ܐܠܗܐ ܒܝܘܡܐ ܗܒܡܫܠܐ
Ch. Targ. ܠܡܪܕܟܝܗ ܕܝ ܗܡܢ . ܘܝܗܒ ܠܡܪܕܟܝ
Syr. litt. ܠܡܪܕܟܝܗ ܕܗܡܢ. ܘܝܗܒ ܡܢ ܟܠܗ
Ch. Targ. ܠܡܪܕܟܝܗ ܕܝ ܗܡܢ
Syr. litt. ܠܡܪܕܟܝܗ ܕܗܡܢ

VERS 8

Ch. Targ. ܘܫܕܪ ܐܓܪܬܐ ܒܫܡܗ ܡܠܟܐ ܘܚܬܡܗ ܒܥܙܩܬܗ
Syr. litt. ܘܫܕܪ ܐܓܪܬܐ ܒܫܡܗ ܡܢ ܠܡܠܟܐ ܘܚܬܡܗ
Ch. Targ. ܐܝܟ ܡܐ ܕܐܡܪ ܕܝ ܒܗܘ
Syr. litt. ܐܝܟ ܡܐ ܕܐܡܪ ܕܒܗܘ

VERS. 10

Ch. Targ. ܘܟܬܒ ܗܘܐ ܒܫܡܗ ܡܠܟܐ ܘܚܬܡܗ
Syr. litt. ܘܟܬܒ ܗܘܐ ܒܫܡ ܡܢ ܠܡܠܟܐ ܘܚܬܡܗ
Ch. Targ. ܒܥܙܩܬܗ ܘܫܕܪ ܐܓܪܬܐ ܒܝܕ ܪܗܝܛܐ ܕܪܟܒܝܢ ܥܠ ܪܟܫܐ
Syr. litt. ܒܥܙܩܬܗ ܘܫܕܪ ܐܓܪܬܐ ܒܝܕ ܪܗܝܛܐ ܕܪܟܒܝܢ ܥܠ ܪܟܫܐ
Ch. Targ. ܪܟܫܐ ܘܩܘܪܝܐ ܕܒܝܬ ܡܠܟܐ. ܗܘ ܡܠܟܐ
Syr. litt. ܪܟܫܐ ܘܩܘܪܝܐ ܕܒܝܬ ܡܠܟܐ. ܗܘ ܡܠܟܐ

VERS. 16

Ch. Targ. ܘܦܩܕ ܟܠܐ ܐܝܟ ܠܡܠܟܐ ܡܢ ܟܠ ܐܝܟ ܡܐܠܦܐ
Syr. litt. ܘܦܩܕ ܟܠܐ ܐܝܟ ܠܡܠܟܐ ܡܢ ܟܠ ܐܝܟ ܡܐܠܦܐ

63 – Regulas orthographiæ hodie vigentis sive apud Orientales, sive apud Occidentales, in hujus operis decursu ordinatim disces, unde inutile est hic eas exponere. Attamen speciale studium meretur caput litterarum quæ otiantur seu occultantur seu silent, scilicet quæ scribuntur at non leguntur. Igitur de his litteris speciatim.

64 – Crebræ sunt in Syriaca lingua litteræ quæ otiantur secus ac in ceteris linguis antiquis (1). Eæ sunt alaf, he, dalad^h, waw, jod^h, lamad^h, mim, nun, et res^h.

(1) Inter linguas recentiores Gallica et Anglica maxime in hac re similes sunt Syriacæ, nam neque Græca, neque Latina, neque Hebraica, neque Arabica litteras otiosas habent. Item in dialecto Babylonica quatenus exstat apud Hebræos, non habentur litteræ otiosæ præter matres lectionis alaf, waw et jod^h; ubi autem littera pronunciatione cadere debet, ea non scribitur. Aliquando tamen littera otiosa scribitur, sed tunc etiam eam pronunciant lectores Hebræi, jure an immerito, nescimus. In inscriptionibus Palmyrenis idem observatur, idest litteræ otiosæ passim scriptura expunguntur, sed non raro scribuntur, an ut legerentur an non, id non constat.

Causa autem cur hujusmodi litteræ otiosæ in lingua Syriaca inveniantur, repetenda est ex eo quod cum lapsu temporis aliquæ litteræ e pronunciatione ceciderint, amanuenses noluerunt has litteras omittere, sed continuerunt eas scribere ut antea, pueri autem a magistris instruebantur ut legendo hujusmodi litteras præterirent; omnes enim omnino litteræ scribendæ et non legendæ quas in hoc capite relaturi sumus, legebantur antiquis temporibus. Ex quo inferendum est quam antiqua sit apud Syros ars scribendi, scilicet eos cœpisse scribere antequam litteræ de quibus agimus e pronunciatione ceciderint. Hebræi autem et ipsi multas habent litteras quæ e pronunciatione cecidere, sed eas non scribunt, quod argumentum est eos post illud tempus scribere cœpisse.

Docti in Europa in duas partes divisi sunt circa hanc quæstionem de orthographia, utrum ea debeat etymologiam sequi an loquelæ conformis esse. Galli qui pro prima sententia sunt, quorumque Academia efficaciter restitit validissimis conatibus quibus nonnulli doctores orthographiam reformare eamque ad normam loquelæ reducere diversis temporibus tentarunt, in tribus peccant, 1° quod non sibi ipsis constantes, multa in suæ linguæ orthographiam vitiosa admiserint, rectis regulis etymologiæ ac philologiæ contraria; 2° quod hac ratione populos extraneos qui linguam Gallicam addiscere volunt, quorumque summa hodie est fere dimidium generis humani culti, cogant magnum tempus insumere in sola legendi institutione; 3° quod denique scopum hac agendi ratione plene non attingant, nam lingua Gallica tam longe deviavit a veritate linguæ Latinæ a qua defluit, ut infinita sint vocabula in quorum orthographia impossibile est genuinam etymologiam conservare.

A. alaf quidem in sequentibus vocibus otiatur: ܐ̈ܢܫܐ (*homines*), ܐܚܝܢܐ (*cognatus*), ܐܚܪܢܐ (*alius*), ܐܚܪܝܐ (*ultimus*), ܐܪܙܐ(1) (*mysterium*).

B. Otiatur littera *be* in ܐܒܒܐ(2) (*fructus*), apud solos Occidentales.

65 – C. Otiatur littera *he* in ܪܗܘܡܐ (*Roma*), ܝܗܘܕܝܐ (*Judæus*), ܦܪܗܣܝܐ (*fiducia*), in verbo ܝܗܒ (*dedit*); in casibus infra memorandis, in suffixo personali singulari habenti ante se waw cumsˢasa et post se jod, ex. g. ܐܒܘܗܝ (*pater ejus*), ܩܛܠܘܗܝ (*occiderunt eum*). Præterea si ante waw quæ præcepit prædictum suffixum ܗ occurrat ptʰaha tunc una cum suffixo ܗ otiatur et jodʰ, ܐܝ̈ܕܘܗܝ (*manus pl. ejus*). Otiatur littera ܗ etiam in verbo substantivo ܗܘܐ per totum præteritum, et in pronominibus ܗܘ (*ipse*), et ܗܝ (*ipsa*), quoties prædictum verbum substantivum est et ista duo pronomina connectuntur cum præcedentibus in pronunciatione.

D. Otiatur littera dalatʰ (ܕ) in ܥܕܬܐ (*ecclesia*), unde Orientales istam vocem legunt ܥܺܕܬܳܐ et Occidentales ܥܕܬܐ, nec non otiatur dalatʰ in voce ܚܕܬܐ (*novus*), apud Occidentales.

66 – E. Otiatur littera waw in tertia persona plurali præteriti et in secunda persona plurali imperativi,

(1) Antiqui apud Occidentales scribebant ܐܪܐܙܐ vel ܪܐܙܐ; codices recentiores Occidentalium fere omnes habent ܐܪܙܐ. In Chaldaismo antiquo est ܪܙ.

(2) Orientales dicunt ܐܶܒܳܐ cum ptʰahʰa. Chaldæi antiqui scribebant vel uno vel duplici betʰ, sed semper cum zlama.

si tamen non præcedat littera infirma, v. g. ܢܣܒܘ (*acceperunt*), ܐܙܠܘ (*ite*), et e contra legitur waw in ܩܪܘ pro ܩܪܐܘ (*appellarunt*), ܫܪܝܘ (*incœperunt*).

67 – F. Otiatur littera jod^h in toto pronomine personali singulari fœminino tum separato tum suffixo. v. g. ܐܢܬܝ (*tu* f.), ܒܝܬܟܝ (*domus tua* f.), ܐܙܠܬܝ (*ivisti* f.). Insuper otiatur jod^h pronominis suffixi primæ personæ singularis ut in ܒܪܝ (*filius meus*). Præterea otiatur jod^h in sequentibus vocibus: ܐܡܬܝ (*quando*) quæ in origine erat ܐܝܡܬܝ (1) respondens voci متى Arabum, in ܡܢ ܗܝܟܠ (*ex templo*), ܐܬܡܠܝ (*heri*), ܡܢܬܡܠܝ (*nudius tertius*), ܐܫܬܩܕܡܝ (*elapso anno*). Apud solos Orientales otiatur etiam jod^h in ܪܗܘܡܝ (*Roma*), ܐܢܛܝܘܟܝ (*Antiochia*), unde legunt ܪܗܘܡ *Rôm* et ܐܢܛܝܘܟ *antiok^h*.

68 – G. Otiatur lamad^h in ܡܡܠܠܐ (2) (*sermo*), ܓܠܠܐ (*undæ*), ܟܠܠܐ (*sponsæ*), ܛܠܠܐ (*pastor*), ܡܛܠܠܐ (*tabernaculum*) (3), ܥܠܠܬܐ (*fructus agri*), ܥܠܠܬܐ (*causæ*), nec non in verbo ܐܙܠ locis infra explicandis.

---

(1) Jacobus Edessenus præscribit voces ܐܬܡܠܝ, ܡܢܬܡܠܝ, et ܐܫܬܩܕܡܝ sine jod^h scribendas esse, recte quidem quoad ܐܫܬܩܕܡ in quo nulla est ratio litteræ jod^h; immerito autem quoad ܐܬܡܠܝ et ܡܢܬܡܠܝ in quibus antiquitus pronunciabatur jod^h, teste Chaldaica lingua.

(2) Hoc nomen pronunciandun esset *màmlêla*, sed euphoniæ causa cadit lamad^h primum cum sua vocali.

(3) Dicatur de hoc nomine quod diximus de ܡܡܠܠܐ.

69 - H. Otiatur littera mim redundans in ܝܡܡܐ (*maria*), ܥܡܡܐ (*gentes*), (1) ܣܡܡܢܐ (*medicamenta*).

70 - I. Otiatur littera nun in ܡܕܝܢܬܐ (*urbs*), ܢܚܝܪܬܐ (*naris*), (2) ܡܣܟܢܬܐ (*egena*), (1) ܙܒܢܬܐ (*vices*), ܙܒܝܢܬܐ (*empta*) (2), ܐܢܬܬܐ (*mulier*), ܐܢܬ (*tu*), etc., ܓܢܒܪܐ (*gigas*), ܡܢܢܐ (*manna*), ܫܢܬܐ (*annus*), ܓܢܙܒܪܐ (*thesauri custos*), ܓܢܒ (*latus*), et apud solos Orientales nun vocis ܠܒܘܢܬܐ (*thus*).

71 - K. Tandem otiatur res̄h in ܒܪܬ (*filia*) quoties occurrit in statu constructo, minime tamen in ܒܪܬܝ (*filia mea*), neque in ܒܪܬܐ.

Porro litteræ quæ otiantur in vocibus omnibus hactenus ennumeratis, otiantur quoque in earum derivatis, nisi ea suis locis exceperimus (2)

---

(1) Etiam Judæi in dialecto Babylonensi Syriaca et Mandaitæ hæc duo nomina duplici min scribunt, quod argumentum est orthographiam linguæ Syriacæ litteralis esse antiquissimam.

(2) Apud Orientales non *otiatur* nun in hac voce, sed legitur.

(3) Ex tota hac discussione de pronunciatione litterarum motionumque Syriacarum liquet omnes omnino Syros recessisse lapsu temporis et multiplici sub aspectu a veritate priscæ linguæ Syriacæ. Unde concludere licet Syros nostræ ætatis vel proximæ præcedentis non posse esse congruos testes de genuina pronunciatione linguæ Syriacæ. Exinde luculentum argumentum erui potest contra futilem assertionem eorum qui contendunt v. g. hodiernam pronunciationem Græcæ linguæ qualiter ea exstat apud Græcam nationem esse genuinam istius linguæ pronunciationem, ex eo quod sit pronunciatio vigens apud Græcum populum. Falsissimum est hujusmodi argumentum quod enim progressu sæculorum Syris accidit ut quarundem suæ linguæ litterarum consonantium et vocalium veram pronunciationem perdiderint, idem Græc. accidere potuit quoad modum pronunciandi aliquas consonantes et vocales, quoad vocalium quantitatem et quoad tonum. Quod diximus de lingua Græca, dici potest de lingua Latina uti hodie in usu est apud Romanos,

CAPUT IX

DE VOCIBUS QUÆ SCRIPTURA CONJUNGUNTUR

711 – Amanuenses Syri amant præ ceteris voces cum invicem scriptura copulare ita ut duæ aut plures ut una considerentur. Hæc copulatio est modo necessaria, modo libera. Quæ necessario copulari debent hæc sunt:– I° Pronomina personalia casuum obliquorum omnia (*exceptis*

---

siquidem quamvis hi minus vitiose quam reliquæ Europæ gentes hanc linguam pronunciant, attamen et ipsi non nihil defecere a rectitudine, ex. gr. quantitatem vocalium confundentes in medio vocis unde evenit ut mensura versuum sæpisse corrumpatur. Quin imo nunquid, ad pristinam cognoscendam pronunciationem Arabicæ linguæ provocari licet ad usum vigentem apud gentes Syriæ et Ægypti, quæ ubique in civitatibus litteram ق veluti *hamzam* efferunt nec non corripiunt fere omnes vocales longos tonum non habentes (ut faciunt Itali cum lingua Latina), dicentes v. g. تَبوت pro تابوت ، يدُوسون pro يدُوسُون ، خطايانا pro خطايانا ، منتجكم pro مناتجكم ? Denique animo hic sese offert admiranda proprietas linguæ Arabicæ præ omnibus universi mundi ling., quod scilicet ea per lapsum magis quam quattuor mille annorum usque ad hunc diem tam exacte ac perfecte inalterabilis remansit in pronunciatione suarum consonantium atque vocalium (excepto discrimine inter ض et ظ etiam in loquela vulgari. Fatendum est tamen hanc admirabilem memorabilissimamque Arab. ling. dotem non in omnibus locis ubi hæc ling. vernacula est, manifestari, sed præcipue in partibus Mesopotamiæ, Iraki, montanisque locis meridionalibus et occidentalibus Syriæ. Ceterum ubicumque islamismus colitur, Arabica lingua exacte legitur in Corani recitatione, quantum organa loquelæ populorum non Semiticorum accommodari possunt difficillimis sonis linguæ Arabicæ; dico Arabicæ, non Semiticæ, quia et illud observatione dignum est, Arabes præ ceteris populis Semiticis difficiles sonos habere in sua lingua, nempe ض et ظ, qui in reliquis linguis Semiticis non inveniuntur.

ܐܢܦ et ܐܢܫ), ea enim copulari debent cum voce præcedenti : – II° Particulæ unica littera constantes, nempe ܒ, ܕ, ܘ, ܠ, quæ copulari debent cum voce sequenti. Hæc omnino necessaria. Libera autem multa sunt, atque difficile est ea adamussim recensere. Ut nonnulla attingamus, inter ea quæ cum præcedenti voce copulari debent, recensenda sunt pronomina vicem verbi *esse* gerentia, quæ scilicet cum participio activo vel passivo conjunguntur, ut ܩܪܝܢܢ *vocamus*, ܡܒܪܟܘ *benedictus est*, pro ܩܪܝܢ ܚܢܢ et ܡܒܪܟ ܗܘ. Inter ea autem quæ cum sequenti voce copulantur, nota ܟܠ *omnis*, cum nominibus frequentioribus et potissimum in locutionibus adverbialibus, ut ܟܠܝܘܡ *quotidie*, ܟܠܙܒܢ *semper*, ܟܠܫܥܐ *omni hora*, ܟܠܐܢܫ *omnis homo*, ܟܠܚܕ *unusquisque*, ܟܠܡܕܡ *quodcumque*. Item ܡܢ *ex* in similibus locutionibus, ut ܡܢܕܪܫ *denuo*; ܥܠ *supra*, ut ܥܠܡܢܐ *cur*; ܡܛܠ *propter*, ut ܡܛܠܗܢܐ *propterea*. Multa etiam vocabula e quibus nomina composita formantur, copulari amant scriptura cum sequenti voce ex quibus ܒܪ *filius*, ܒܢܝ *filii*, ܒܥܠ *dominus*, ut ܒܪܢܫܐ pro ܒܪ ܐܢܫܐ *homo*, ܒܢܝܢܫܐ *homines*, ܒܥܠܕܒܒܐ *adversarius*. Sequentia copulata frequenter cernuntur in libris Syrorum, præsertim liturgicis : ܪܚܡܥܠܝ *miserere mei*, ܪܚܡܢܫܐ *amator hominum* i. e. *philanthropus*, ܠܥܠܡܥܠܡܝܢ *in secula seculorum*, ܐܟܠܩܪܨܐ *calumniator*, ܒܥܠܕܪܐ *antagonista*. Denique sciendum est, in liberis melius esse separare verba quam copulare.

CAPUT X

RECAPITULATIO DE ARTE LIBROS EXARANDI APUD SYROS ORIENTALES ET SYROS OCCIDENTALES

72 – Ex præcedentibus manifestum est linguæ Syriacæ orthographicam varias progressu temporis subiisse mutationes donec ad præsentem statum pervenerit. Hic autem juvat recapitulare ea quæ hactenus de arte scribendi apud Syros exposuimus eaque complemento coronare.

Igitur Orientales alphabeto tantum quod dicitur Nestorianum, suos libros hodie scribunt, et inde a trecentis annis circiter in eorum libris omnes litteræ sunt punctis vocalibus adamussim insignitæ, quæ nunquam omittunt nisi rarissime. Punctum ruccak^{h} et qus^{h}s^{h}aj semper ponunt, nisi signum vocalis litteræ id impediat excepto caf finali quod sine puncto ruccak^{h} vel qus^{h}s^{h}aj relinquunt. Cum autem pe ex numero ܟܢܝ ܒܦܠ apud ipsos ceciderit, hanc litteram semper sine ullo signo scribunt, nisi in paucissimis vocabulis in quibus pronunciant pe ut waw. Puncto quidem magno notant pronomina et verba, sed sæpe illud negligunt. Signum otiositatis semper apponunt, excepta ultima littera vocis et he pronominis. Nunquam vel fere signum mhagjana omitttunt.

73 – Occidentales vero inde a sexcentis annis circum circiter alphabeto quod dicitur Jacobitico utuntur, titulos autem capitum sæpe alphabeto strangelo scribunt. Raro suos libros signis vocalium notant, nempe

systemate litterarum Græcarum, rarius pt[h]ah[h]am, zqafam et rvas[s]am minutis punctis notant. Punctum ruccak[h] et qus[h]s[h]aj sæpe apud ipsos in manuscriptis etiam recentissimis cernitur notatum omnibus litter. ܒܓܕܟܦܬ sine ulla exceptione. Magis quam Orientales curam habent puncti magni. Signum otiositatis raro ponunt, atque mhagjanam nunquam scribunt nisi in imperativo verborum auctorum.

74 - Utraque schola puncto magno distinguit litt. dalat[h] inferiori, et res[h] superiori, item he 3 pers. sing. f. superiori. Utraque nunquam omittit siame, membra orationis secernit per punctum magnum simplex, duplex aut quadruplex. Apud utramque verba ab invicem separantur exiguo intervallo; utraque in scribendis codicibus cum atramento nigro rubrum, raro alius coloris atramentum adhibet. Utraque omnia integre scribunt, nunquam abbreviatione utuntur nisi rarissime (1). Signum autem abbreviationis est lineola recta horizontalis admodum longa, quæ supra ultimas vocis litteras scribitur, quæque apud Orientales parvo apice transversa est. Præcipuæ voces quæ abbreviantur hæ sunt: ܫܘܒܚܐ *gloria*. ܘܫܪܟܐ *et cetera*, ex. gr. ܫܘ apud Occ., ܫܘ apud Orient., ܘܫܪ apud Occ., ܘܫܪ apud Orient. Etiam nomina quæ suffixum pluralis habent ܘܗܝ, et ea quæ exeunt in ܘܬܐ, aut cum suffixo ܘܬܟ, ܘܬܗ etc. abbreviantur sed ob necessitatem tantum, ex. gr. ܛܝܒܘܗ pro ܛܝܒܘܬܗ *gratia*,

(1) Eruditi in Europa sine dubio observarunt amanuenses apud populos Semiticos maxime sobrios esse in abbreviationibus, secus ac apud Latinos et præsertim apud Græcos, propter quod Semitæ laudandi sunt. In genere Europæi ipsi valde minorem difficultatem patiuntur ad legendos codices antiquos Syrorum et arabum, quam Græcorum et Latinorum. Imo tuto dici posset, quo magis codices Syriaci vetusti sunt, eo magis faciles sunt lectu.

Vocem quam non continet lineæ extermitas integram, non dividunt Syri ut faciunt Europæi : solum si vox duabus constat partibus scriptura separatis, tunc partem posteriorem cui linea non sufficit, extra lineam scribunt relicto parvo spatio, aut supra alteram partem, ex. gr.
ܐܠ
ܗܡܟܝܠܘ ܐܠ, vel ܗܡܟܝܠܘ. Non est apud Syros usus primam periodi vocem aut litteram aut nominum propriorum primam litteram majusculis figuris scribere, ut faciunt Europæi.

Utraque schola notat singulorum quaternionum libri primam et ultimam paginam numero ordinis ab imo in medio characteribus strangelis. Singuli autem quaterniones decem foliis seu viginti paginis constant apud Occidentales, octo foliis seu 16 paginis apud Orientales. Occidentales non ante ducentos annos cœperunt folia (non paginas) numero ordinis notare characteribus cursivis recto in imo paginæ sinistrorsum; Orientales vero nunquam folia numeris notant. Item Melchitæ nunquam folia numeris notabant, sed quaterniones tantum.



LIBER II

DE VOCABULORUM FORMATIONE



CAPUT I.

DE PHILOLOGICA HISTORIA LITTERARUM SYRIACARUM

75 - Jam vidimus in Prolegomenis linguam Syriacam eamdem habere originem ac Arabicam, has duas linguas initio unam fuisse linguam quæ erat vernacula Semi filii Noe; post autem harum duarum gentium separationem, unamquamque earum ita pristinam illam linguam modificasse ut inde duæ ortæ sint distinctæ linguæ, altera quæ nomine Syriacæ seu Aramaicæ dignoscitur, altera dicta Arabica quæ elementa et formas grammaticales priscas mirum in modum conservaverit usque ad hunc diem, operæ pretium igitur existimamus, quo melius intima linguæ Syriacæ natura cognoscatur, comparationem hic summatim instituere inter Syriacæ et Arabicæ linguarum elementa lexica tum quoad consonantes, tum quoad vocales. In hoc capite agemus de consonantibus, in sequenti de vocalibus.

76 – Consonantes igitur dividuntur in infirmas et sanas. Infirmæ sunt tres: alf, waw et jodh; sed apud Hebræos he etiam inter consonantes infirmas computatur, et in ipsa lingua Syriaca hæc littera habet quasdam litterarum infirmarum proprietates. Ceteræ litteræ alphabeti sunt consonantes sanæ.

77 – Ut ab infirmis incipiamus, quas diximus esse alaf, waw et jodh, jam sæpe notavimus has esse etiam in scriptura *matres lectionis* quod in præsentiarum nos non occupat, cum in hoc statu hæ litteræ non sunt consonantes sed signa vocalium. Quatenus autem hæ litteræ sunt consonantes, ideo dicuntur infirmæ quia cum in structionem vocabulorum sive ut radicales sive ut formativæ ingrediuntur, multas subeunt variationes, quarum præcipuæ sunt ut inter se permutentur, ut elidantur, ut earum motiones aut motio litteræ quæ eas præcedit, sive cadant sive in alias mutentur. Porro infirmitas harum trium litterarum quæ habet locum pro lingua Syriaca seorsum sumpta, habet locum etiam in hac lingua cum ceteris linguis Semiticis collata, præsertim Arabica; quæ omnia in hujus operis cursu pro singulis casibus ita clara erunt, ut nos ab exemplis huc efferendis dispensatos censeamus.

Nunc de præcipuis consonantibus sanis.

78 – ܐ Incipimus ab alaf., quia hæc littera quando non est mater lectionis nec una ex litt. infirmis de quibus hactenus[1], est vera consonans gutturalis, quæ ab Arabibus dicitur hamza. Porro hamza non habet proprium nomen apud Syros, sed uno nomine alaf comprehendunt Syri omnes hujus litteræ species, neque eorum grammatici hamzam a matre lectionis aut a littera infirma grammaticaliter distinguunt, propterea hamza non

habet apud Syros signum distinctum ut apud Arabes. Ob hanc causam hamza non exprimitur scriptura nisi per figuram alaf, et præsertim initio vocis. Attamen nonnunquam alaf ipsum hamzam valens non scribitur initio vocis, cum scilicet alaf mobile est per h^h^vas^s^am quæ locum tenet jod^h^ moti vocali brevi, tunc enim h^h^vas^s^a legitur cum alaf subintellecto, ex. gr. ܝܺܪܶܬ *hæres fuit*, ܝܺܕܰܥܬܳܐ *scientia*, pro ܐܺܝܪܶܬ et ܐܺܝܕܰܥܬܳܐ quæ sunt pro ܝܪܶܬ, ܝܕܰܥܬܳܐ cum jod^h^ moto brevi vocali quæ nullum habet signum in lingua Syriaca; et hoc regulare est in verbis defectivis *pe-jod^h^*. Verum alia hujusmodi vocabula cum alaf scribuntur, suntque multo plura, ut ܐܺܝܩܳܪܳܐ *honor*, ܐܺܝܡܳܡܳܐ *dies*, ܐܺܝܕܳܐ *manus*. Orientales scribunt ܝܺܡܳܡܠ etiam sine alaf. Solent quoque Orientales parvum alaf scribere supra jod^h^ litteram quæ cum hamza legitur, ut ܝܺܕܰܥܬܳܐ, sed hoc non ut necessarium exigunt. Veteres autem videntur soliti fuisse expungere omne alaf initiale habens h^h^vas^s^am, in inscriptionibus enim Palmyræ videmus semper ex. gr. ܠܝܺܩܳܪܳܐ, ܒܝܺܡܳܡܳܐ pro ܠܐܺܝܩܳܪܳܐ, ܒܐܺܝܡܳܡܳܐ. Extra hos casus, alaf semper scribitur, exceptis casibus in quibus pro alaf waw aut jod^h^ scribitur (n°. 8.).

79 – Hamza Syriaca ita gracilis est ut quoties in medio vocis quiescens esse debet, convertatur in matrem lectionis seu sileat (n°. 6); si vero quiescens esse debet post litteram quiescentem, tunc datur illi vocalis (ut plurimum pt^h^ah^h^a) quæ tamen transit ad litteram præcedentem; ex. gr ܡܰܠܐܳܟܳܐ *angelus* quod esse debet cum lamad^h^ et hamza quiescentibus ad instar ܡܰܠܟܳܐ

at hamza augetur pt^h^ah^h^a quo facilius pronunciari possit quæ transfertur ad lamad^h^, et sic fit ܡܰܠܰܐܟ݂ܳܐ l. *mälâkho*(1). Aliquoties hamza pro pt^h^ah^h^a donatur zlama, ut ܣܶܢܶܐܬܳܐ *odium* ܣܢܐܬܐ, ܩܶܠܶܐܬܳܐ pro ܩܶܐܠܬܳܐ, ܡܰܠܶܐܐ *molestans* f. pro ܡܰܐܠܳܐ. Vide quæ diximus de *mhagjana* n. 46. Initio autem vocis hamza quæ quiescens esse debet, movetur item per pt^h^ah^h^am, sæpius per zlamam v. n. 103. Ob hanc hamzæ gracilitatem quando initio vocis, seu loco *pe* radicalis venit mobilis post litteram quiescentem, dat suam vocalem litteræ præcedenti et silet, v. g. ܡܰܣܶܐ *sanat* pro ܡܐܰܣܶܐ, ܒܰܐܒܳܐ *in patre* pro ܒܰܐܒܳܐ, ܠܰܐܘܪܚܳܐ *ad viam* pro ܠܐܘܪܚܐ, ܡܶܬܶܐܟ݂ܶܠ *manducatur* pro ܡܶܬܐܟ݂ܶܠ, ܢܰܐܠܶܨ *angustiabit* pro ܢܐܠܨ. Idem fit quando hamza initio vocis subintelligitur sed non scribitur, ut ܝܺܕܰܥܬܳܐ *scientiæ* pro ܐܺܝܕܰܥܬܳܐ, ܝܺܪܶܬ *et hæres factus est* pro ܘܐܺܝܪܶܬ. Idem non fit in medio et fine vocis, quamquam aliqui illud per errorem faciant (v. n. 5).

79^II^ – Hamza in Syriaca lingua sicut in Arabica, est aut formativa idest extranea, aut radicalis. Hamza radicalis potest esse sive prima, sive secunda, sive tertia. Quando hamza est tertia radicalis in Arabica lingua, fere semper convertitur a Syris in litteram infirmam, ut ܩܪܳܐ *vocavit*, ܒܪܳܐ *creavit*. Aliquando hamza Syriaca est pro ʿain Arabico, ut ܩܰܪܳܐܐ قرع *cucurbita*, ܥܦܨ أفص *nuces gallæ*. Hamza initialis nonnunquam in waw convertitur, raro in jod^h^, quod suis locis videbis.

(1) Hæc pt^h^ah^h^a addititia brevis esse deberet, sed hodie pronunciatur longa tum ab Occidentalibus tum ab Orientalibus.

80 — Pro *he* feminini nominis Arabum et Hebræorum quod in statu constructo convertitur in *t*, ponunt Syri alaf, et tunc littera præcedens movetur per zqafam pro pt^h^ah^h^a, ex. gr. ܥܶܠܬܳܐ *causa*, ܡܕܺܝܢܬܳܐ *urbs*, ܡܪܰܚܡܳܢܺܝܬܳܐ *misericors* f. pro ܥܶܠܬܶܗ, ܡܕܺܝܢܬܶܗ, ܡܪܰܚܡܳܢܺܝܬܶܗ.(1)

81 — Alaf autem infirmum est semper quiescens post zqafam, rvas^s^am et h^h^vas^s^am apud Occidentales, et post zqafam et zlamam utramque apud Orientales. Denique Syri soliti sunt alaf infirmum quod est signum productionis in medio vocis supprimere, contenti zqafa quod illud præcedit, etiamsi alaf sit radicale, ex. gr. ܩܳܡ *surrexit*, ܒܳܙ *deprædatur* f. pro ܩܳܐܡ, ܒܳܐܙ.

82 — ܒ Bet^h^ Syriaco nonnisi *b* arabicum respondet, (quod etiam dictum sit de omnibus litteris quas speciali modo non sumus commemoraturi, nempe ipsis litteræ analogæ in Arabica lingua respondent). Quandoque tamen bet^h^ Syriacum reperitur mim apud Arabes, v. g. ܙܒܰܢܳܐ زمن (2) (*tempus*).

83 — ܓ Gàmal Syrorum nonnisi *gim* Arabicum respondet. Aliquoties tamen ei respondet littera ض ex.gr. ܓܚܶܟ ضحك (*risit*) et in Hebraico sermone ܨܚܶܩ vel ܫܚܩ per conversionem d^hh^ in ܨ aut ܫ, ex quo concludes istud verbum fuisse in origine cum d^hh^, quod, propter difficultatem quam Hebræi et Syri in illius pronunciatione experti sunt, transiit apud Hebræos in ܫ

(1) Arabes recentiores in lingua vulgari idem faciunt, dicunt enim, ex. gr. نعما، قائما، كبينة، pro نعمة، قائمة، كبينة.

(2) Hoc nomen antiquitus loco bet^h^ habebat mim, cum apud Hebræos quoque et veteres Syros Babylonenses cum mim existat.

aut ر , apud Syros vero in ܥ .

84 - ܕ Dalath Syrorum respondet modo dal(د) modo dhal (ذ) ; quoties autem ei respondet in Arabica lingua dh, semper in Hebraica ei respondet zain. Ex. : داس ܕܳܫ (*calcavit*); يد ܐܺܝܕܳܐ (*manus*); ذهب ܕܰܗܒܳܐ (*aurum*) ; ذئب ܕܺܐܒܳܐ (*lupus*) ; هذه ܗܳܕܶܐ (*hæc*); ذكر ܕܟܰܪ (*recordatus est*); عذر ܥܕܰܪ (*adjuvit*); quæ ultima exempla inde a ܕܰܗܒܳܐ habent in Hebraica lingua loco dalath Syrorum et dhal (ذ) Arabum , litteram zain , ex quo concludendum est hæc similiaque in pristina lingua habuisse litteram ذ uti nunc habent in Arabico sermone, sed deinde Aramæos quidem litteram dh in d, Hebræos autem in ז mutasse. Analoga conclusio ex dicendis infra de litteris ض, ظ, ث deducenda est. (1)

(1) Hanc veritatem tam evidentem tamque planam nonnulli recentiores orientalistæ in Germania, fortissimi in ling. Hebraica, fortes in Syriaca, debilissimi in Arabica, non potuerunt aut noluerunt videre. At quid potest esse certius quam quod typus hujusmodi vocum in quibus unum idemque elementum alium habet in lingua Hebraica sonum alium in Syriaca, alium in Arabica, quærendus est in hac ultima lingua? Etenim, ut limitemus discussionem ad litteram ذ de qua agimus, evidens est primam radicalem, ex. gr. vocabuli ذكر quæ apud Hebræos est z, apud Syros est d, et apud Arabes gh, non potuisse origine esse z, neque d, nam si fuisset z , eam Arabes et Syri etiam sic habuissent sicut habent aliud z ut in ܐܙܠ ex. gr.; sin autem fuisset d, eam Hebræi et Arabes habuissent etiam d sicut habent aliud d ut, ex. gr. in ܕܡܐ ; ergo erat origine dh (ذ), quod Arabes conservarunt; Hebræi autem in z, et Syri in d converterunt. Sed Hommel (apud Guidi *La Sede primit. de Semiti* pag. 22) dubitat an Arabes pronunciaverint dh eodem sono ac hodie, concedens tamen illum fuisse nec d Syror. nec z Heb. seu medium inter hos duos sonos. Sed quis sonus, quæso, potest esse medius inter d et z nisi dh ? Deinde Arab. famosissimi sunt hac prærogativa quod suam ling. per tot longa sec. immutabilem conservaverint usque ad hanc diem. Insuper ut quis dubitet de veritate facti quod sensibus percipit, aliquod fundamentum seu rationem habere debet. Jam vero quo fundamento aut ratione nobis dubitare licet an Arab. antiquitus iisdem sonis ac hodie pronunciaverint a.b.g.d.h. et omnes ceteras alphabeti litteras?

85 — ܦ Hæc littera tam debilis est apud Syros ut sæpe elidatur, ut supra vidimus.

86 — ܘ Waw est aliquando in Syriaca lingua pro bet^{h} illi affini ut ܒܘܣܕܝܐ *cervical* pro وسادة.

ܙ Perraro zain occurrit loco ص Arabici, ex. gr. ܙܕܝܩܐ صديق (*justus*), ܙܥܘܪܐ صغير (*parvus*), quæ exempla aliaque hujusmodi etiam apud Hebræos et Chaldæos Babyloniæ habent s^{s}ade ut in Arabica lingua, non zain.

87 — ܚ H^{h}et^{h} Syriacum respondet modo h^{h}e ح Arabum ut in ܚܒܠܐ حبل (*funis*), ܚܠܝܐ حلو (*dulcis*), ܚܡܪܐ حمار (*asinus*), ܚܘܒܐ حب (*dilectio*); modo litteræ k^{h} (خ), v. g. ܚܒܠܐ خبال (*corruptio*), ܚܠܐ خل (*acetum*), ܫܚܝܢܐ سخين (*calidus*), ܚܡܪܐ خمر (*vinum*), ܚܒ خاب (*delusus est*).

Nam si licet de una lit. sine ratione dubitare, id licebit etiam de omnibus lit. alphabeti. Quod hactenus disseruimus de d^{h}, adamussim quadrat etiam ceteris litteris Arabicis quas Hebræi et Syri diverso modo mutarunt; idest littera t^{h} ث quæ apud Hebræos facta est s^{h} ש, et apud Syros est t ܬ; littera d^{hh} ض quæ ab Hebræis pronunciatur ut ص s^{s}, et a Syris ut ܥ ʿain; littera t^{tt} ظ quam Hebræi converterunt in ص s^{s} quoque, et Syri in ܛ t^{tt}et^{h}. Ceterum quod videtur hujusmodi orientalistas Europæos in errorem induxisse circa verum sonum litterarum Arab. ذ, ث, ض, etc. est quod ii viderint has litteras diverse ab Arabibus civitatum Syriæ et Ægypti pronunciari, cum littera ذ, ex. gr. in vocibus linguæ vulgaris genuinis pronuncietur ab iis ut d Latinum, in novis vocibus per Turcas vel per libros in linguam vulgarem assumptis et item in legendo eam pronuncient ut z Gallicum. Sed latuit istos doctos veram pronunciationem linguæ Arabicæ non a vulgo Syriæ et Ægypti repetendam esse qui inter multa loquelæ suæ vitia pronunciant ق ut hamzam irridentque eos qui hanc litteram recte pronunciant, sed ab infinitis millibus myriadum Arabum deserti et Arabiæ, incolarumque Antilibani, Mesopotamiæ, ʿIraqi, etc. necnon a Musulmanis totius mundi cum Coranum legunt; qui infiniti populi omnes, litteras de quibus quæstio est, mira concordia, sine ulla variatione sicut explicavimus pronunciant.

88 – ܛ T^{t}et^{h} Syriacum respondet duabus Arabicis litteris ط et ظ. En exempla quæ habent ط: ܒܛܠ بطل *(cessavit)*, ܚܛܦ خطف *(rapuit)*; exempla habentia ظ: ܛܒܝܐ ظبي *(oryx)*, ܩܝܛܐ قيظ *(æstas)*, ܛܗܪܐ ظهر *(meridies)*, ܛܠܡ ظلم *(oppressit)*. Quoties autem t^{t}et^{h} Syriacum pro ظ Arabico exstat, tunc in Hebraico sæpius est s^{s}ade; aliquando est t^{t}et^{h}. Quandoque ta (ت) Arabicum transit apud Syros et Hebræos in t^{t}et^{h}, v. g. ܩܛܠ قتل *(occidit)*, quod tamen admodum rarum est. E contra littera ط Arabica fit interdum apud Syros ܬ, ex.gr. ܩܘܫܬܐ قسط (1) *(justitia)*, in quo exemplo antiqua dialectus Chaldaica convenit cum Arabica. Nonnunquam t^{t} Syriacum est pro t^{h} (ث) Arabico, ut ܡܩܛܝܐ *(cucumerarium)* pro مقثاة. Sed hoc forte est unicum exemplum. Denique ܛ Syriacum nonnunquam est pro Arabico ض, ut ܪܗܛ ركض *(currere)*, ubi nota etiam mutationem litteræ ك in ܗ.

89 – ܟܦ Caf Syriacum soli caf Arabico respondet. Porro *lenitas* (ܪܘܟܟܐ) et *asperitas* (ܩܘܫܝܐ) haud cognoscuntur in lingua Arabica quoad istam litteram, sicut neque quoad reliquas litteras quæ duplicem pronunciationem lenem et asperam habent.

---

(1) Probabilissimum est Arabes hoc nomen e lingua Syriaca mutuatos esse sicut innumera alia propter frequentissimum commercium quod olim inter duos populos vigebat propterque culturam omnis generis qua Syriaca natio florebat.

90 — ܠ Lamadh aliquando est loco nun (ن) Arabici, v. g. ܨܠܡܐ صنم (*simulacrum*).

90II — ܢ Nun Syriacum sæpe est pro mim (م) Arabum in pronominibus personalibus vel quasi pronominibus v. g. ܐܢܬܘܢ انتم (*vos*), ܩܪܝܬܘܢ قرأتم (*legistis*). Hæc littera proprietatem habet in lingua Syriaca Arabicæ linguæ fere ignotam, quæ est quod ea sæpe expungatur in lectione et sæpe in scriptione etiam. Hoc evenit modo regulariter, modo sine regula. Semper tamen nun debet esse quiescens ut expungi possit. Regulariter eliminatur nun in conjugatione verbi trilitteri a littera nun incipientis, ut suo loco videbitur, ex.gr. ܢܦܩܘܢ et ܢܦܘܩ pro ܢܢܦܩܘܢ et ܢܢܦܘܩ a ܢܦܩ. Multa sunt in quibus sine regula nun expungitur tum lectione tum scriptura ut ܓܒܐ (*latus*), ܥܙܐ (*caper*), ܐܦܐ (*facies*), ܚܟܐ (*palatum*), ܓܘܦܬܐ (*vitis*), ܓܒܬܐ (*caseum*), ܠܒܬܐ (*later*), ܬܐܬܐ (*ficus*), ܚܛܬܐ (*frumentum*), ܚܙܝܪܐ (*sus*), ܚܙܘܪܐ (*pollex*), pro ܓܢܒܐ, ܥܢܙܐ, ܐܢܦܐ, ܚܢܟܐ, ܓܘܦܢܬܐ, ܓܒܢܬܐ, ܠܒܢܬܐ, ܬܐܢܬܐ, ܚܢܛܬܐ, ܚܢܙܝܪܐ, ܚܢܙܘܪܐ. His adde ܐܢܬ (*tu*), et derivata ceteraque quæ alibi recensuimus, quæ nun scriptura conservant.

91 — ܣ Səmcath respondet sæpe litteræ shin Arabum, et e converso shin Syriacum est sin Arabicum quod sane admirationem ingerit. Porro lingua Hebraica in hoc puncto convenit cum Syriaca, præterquam quod semcath Hebraicum quod respondet shin Arabico scribitur

per s^h^in non per semcat^h, quod indicat semcat^h quod respondet litteræ s^h^in Arabicæ habuisse olim sonum quemdam diversum a sono sin Arabum aut eumdem fuisse ac sonum s^h^in, nam difficile concipitur s accedens ad s^h quod sonum alium ac sonum s^h habeat. Exempla semcat^h Syriaci respondentis litteræ s^h^in Arabicæ : ܣܗܕ شَهِدَ (*testatus est*), ܒܣܪܐ بَشَر (*caro*), ܦܪܣ فَرَش (*extendit*), ܣܥܪܐ شَعر (*capilli*), ܥܣܪܐ عَشَر (*decem*). Exempla s^h^in Syriaci respondentis TΩ sin Arabico, ܫܟܢ سكن (*habitavit*), ܫܘܪܐ سور (*murus*), ܫܡܥ سمع (*audivit*), ܦܫܪ فسر (*interpretatus est*), ܚܪܫܐ أخرس (*mutus*). Denique rarissime ܣ est pro ܨ, ut ܚܣܢܐ حصن (*munimentum*).

92 – ܥ Littera ʿain Syriaca respondet his tribus litteris Arabicis : ع، غ، et ض (1). Nam quoties Arabicum ض existat in Syr. et Heb. linguis, Syri quidem illud convertunt in ʿain, Heb. autem in s^s^ade; quia lit. ض sonus initio stirpi Semiticæ proprius, ab Hebræis et Syris progressu temporis perditus est ob difficultatem illum recte edendi, et sic remansit hic sonus apud solos Arabicos quibus proprius evasit. Exempla in quibus ʿain Syriacum respondet TΩ ʿain Arabico: ܫܥܬܐ ساعة (*hora*), ܥܝܢܐ عَيْن (*oculus*), ܥܡܠ عَمِل (*operatus est*), ܪܥܐ رَعَى (*pavit*). Exempla in quibus ʿain Syriacum respondet

(1) Nonnulli inter Europæ philologos existimarunt Hebræos et Syros duo ain habuisse, alterum sonum ع Arabici habens, alterum sonum غ. Sed, ut vidimus de h^h, hoc est merum assertum nullo innixum fundamento. Adde quod si Hebræi duo ʿain habuissent, Syri tria ʿain habere debuissent, et quis homo sanæ mentis hoc admittit ?

litteræ غ Arabicæ: ܥܝܡܐ غيم (*nubes*), ܥܠܒ غلب (*vicit*), ܒܥܐ بغى (*cupivit*), ܥܪܒ غرب (*occcidit* [sol]), ܥܘܪܒܐ غراب (*corvus*), ܡܥܪܬܐ مغارة (*caverna*). Exempla in quibus ʿain Syriacum respondet litteræ ض Arabicæ: ܥܢܐ ضان (*pecus*), ܥܪܬܐ ضرّة (*æmula sponsa*), ܥܪܒ ضرب (*miscuit*), ܐܪܥܐ أرض (*terra*), ܒܥܬܐ بيضة (*ovum*), ܪܥܝܢܐ رضوان (*beneplacitum*); in his ultimis exemplis omnibus aliisque similibus loco ض extat in Hebraica lingua littera sˢade. Igitur omne ض Arabicum, perpaucis locis exceptis, convertitur a Syris in ʿain. Quod si jam illa vox inter litteras quibus constat, habeat litteram ܥ, tunc ض convertitur a Syris non in ʿain sed in hamzam, leviorem litteram gutturalem, euphoniæ causa, ex. gr. ܐܥܦܐ ضعف (*duplum*), ܐܥܠܐ ضلع (*costa*), ܐܦܥܐ ضبع (*hiena*), ܐܘܪܕܥܐ ضفدع (*rana*); pro primitivis ܥܥܦܐ, ܥܥܠܐ, ܥܦܥܐ, ܥܘܪܕܥܐ; quibus respondent in Hebraica lingua (excepto primo exemplo, quod non exstat in hac lingua) sequentia nomina, quæ loco ʿain Syriaci habent sˢade, scilicet: צלע, צבע, צפרדע. Nonnunquam Syri quando ʿain est pro ʿain Arabico in voce quæ habet aliud ʿain pro ض Arabico, illud non istud convertunt in hamzam, ut ܐܪܥ (*occurrit*) pro ܥܪܥ عرض (1). Una eademque

(1) Attamen antiqui Syri hanc conversionem non faciebant, dicebant enim ܥܥܠܐ, ܥܦܥܐ, ܥܘܪܕܥܐ, ܥܪܥ, quemadmodum habet dialectus Chaldaica a Judæis conservata. Interim vide quam mirifice confirmatur doctrina nostra de archetypo Syriasmi et Hebraismi quærendo in lingua Arabica.

radix Syriaca potest habere omnes has tres species ʿain, id est quæ sunt pro Arabicis ع, غ, at ض, ut ܥܪܒܝܐ عَرَب (*Arabs*), ܥܪܒ غرب (*occidit sol*) et ܥܪܒ ضَرَب (*miscuit*); item ܪܥܐ رَعَى (*pavit*), ܪܥܐ رَغَى (*spumam emisit*) ex quo ܪܘܥܬܐ pro ܪܘܓܬܐ (*spuma*), et ܪܥܐ رضى (*consensit*).

ܦ - Pe est semper pro ف Arabico. Raro mutatur arabice in ب, ut ܟܦܦ كَبَّ *curvavit*. Lat *pulex*; Græc. *psylla*; Germ. *floh*; Hebr. פַּרְעֹשׁ Syr. ܦܪܥܬܐ.

93 - ܨ Sˢade aliquando est pro littera ض Arabum in radice jam habente aliud ʿain in quod Syri solent convertere ض Arabicum, ex.gr. ܥܡܨ غمض (*clausit oculos*), ܥܪܨ عرض (*accidit*), ܥܨ عضّ (*momordit*). Hæc mutatio TOY ض in ص habet locum etiam cum alia gutturalis præter ʿain occurrit in eadem radice, ut hʰ, ex. gr. ܚܡܨ حمض (*acescuit*). Dicitur tamen et ܚܡܥ juxta regulam. Nonnunquam ض convertitur in ܨ quin alia gutturalis in radice exstet, ex. gr. ܢܦܨ نفض (*excussit*). Denique raro ܨ Syriacum est pro zain Arabico, ut ܚܨܦܐ خزف (*figlinum*).

94 - ܪ Resʰ est quandoque pro nun Arabico, ut ܒܪ ابن (*filius*), ܬܪܝܢ اثنين (*duo.*)

95 - ܫ Sʰin Syriacum raro est pro sʰin Arabico, v. gr. ܫܡܫܐ شمس (*sol*), sed fere semper est pro س ut supra diximus ad litteram semcatʰ.

96 – ܬ Taw est modo pro ت, ex. gr. ܬܢܝܢܐ تنّين (*draco*), ܬܢܘܪܐ تنّور (*fornax*), ܚܬܡ حتم (*decidit*), modo pro ث, et in hoc casu Hebraica lingua habet s^h^in pro ث, ex. gr. ܬܠܬ ثلاث (*tres*), ܬܕܝܐ ثدي (*uber*), ܬܘܪܐ ثور (*taurus*), ܬܠܐ ثلّ (*pependit*), ܚܪܬ حرث (*aravit*), quæ vocabula hebraice sunt: ܫܠܫ, ܫܕܐ, ܫܘܪ, ܫܠܐ, ܚܪܫ.

97 – Hæ sunt præcipuæ conditiones quas litteræ Arabicæ subeunt in lingua Syriaca. His adde in genere quod aliquando verba quorum prima radicalis est nun, amittunt hanc litteram, et hinc fiunt concava, v. g. ܣܘܡ pro ܢܣܡ (*olfecit*), vel mutant nun in hamzam, v. g. ܐܚܠ نزل (*descendit*); e contra aliquando verba quorum prima radicalis est waw, mutant waw in nun, v. g. ܢܩܦ وقف (*adhæsit*). Rarissime littera radicalis infirma sedem in radice mutat, aut in aliam mutatur ut ܐܒܕ pro باد (*periit*), ܛܐܒ pro ܛܐܒ (*bonus factus est*), ܛܦܐ (طاف) pro طفا (*supernatavit*), ܦܐܠܐ pro فال (*omen*). Præter has aliasque rarissimas ac fere nullas exceptiones, radices Arabicæ quæ etiam in lingua Syriaca exstant tam firmæ, stabiles atque inconcussæ in utraque lingua sunt, ut tot tantorumque seculorum decursus nihil potuerit in ipsas efficere mutationis sive quoad litterarum radicalium numerum, sive quoad earum dispositionem, sive quoad earum qualitatem. Quantum discrimen inter linguas Semiticas et linguas Indo-europæas!

Levissimæ sunt ac nullius momenti exceptiones.

Juvat ea paucis attingere. Notanda radicalium transpositio, ac mutatio litteræ in affinem ejusdem organi aut vicinioris. En potiora exempla: ܣܒܰܪ (1) بشر (*annunciavit*), ܩܰܠܡܳܐ قمل (*pediculus*), ܐܥܘܪܕܳܐ ضفدع (*rana*), ܣܟܰܪ مسك (*tenuit*), ܬܰܪܥܳܐ ثغر (*foramen*), ܚܪܰܟ حرق (*ussit*), ܫܬܰܩ سكت (*tacuit*), ܩܰܪܥܳܐ قرع (*cucurbita*), ܪܗܛ ركض (*cucurrit*), ܒܘܪܟܳܐ (2) ركبة (*genu*). Notanda est denique non rara transitio a sensu particulari ad universaliorem, vel e converso, vel ab uno sensu ad alium affinem, vel etiam oppositum. Exempla: ܝܬܶܒ وثب (*exsiliit*) sedit; ܗܰܠܶܟ هلك (*periit*) ambulavit; ܐܙܰܠ نزل (*descendit*) abiit; ܣܗܪܳܐ شهر (*mensis*) luna (3); ܝܰܪܚܳܐ تاريخ (*annales*) mensis; ܥܰܛܡܳܐ عظم (*os*) coxa; ܟܪܣܳܐ كرش (*magnus ovium venter*) venter; ܒܛܢܳܐ بطن (*venter*) conceptio; ܒܗܬ بهت (*obstupuit*) erubuit; ܩܥܕ قعد (*sedit*) procubuit seu genibus provolutus est; ܢܛܰܪ نظر (*observavit*) custodivit; ܐܒܪܳܐ ابرة (*acus*) pluma; ܛܢ ظن (*putavit*) zelotes fuit; ܒܥܝܪܳܐ بعير (*camelus*) pecus; ܐܦܐ pro ܐܢܦܐ أنف (*nasus*) facies; ܡܪܚ مرح (*hilarus fuit*) ausus est; ܚܫ حس (*sensit*) passus est; ܪܘܐ روي (*sitim expulit*) inebriatus est; ܚܣܡ حمس (*heroice egit*) patiens fuit seu

(1) Sed transpositio litterarum in hac radice recens est et non exstat nisi in Syriasmo dicto litterali; non item in dialectis Chaldaica, Samaritana, Mandaitica et Maclulana, in quibus omnibus beth est ante semcath ut in Arabica.

(2) Etiam in hac radice transpositio propria est Syriasmi litteralis.

(3) Etiam in linguis Indo-Europæis hujusmodi transitio exstat, ut notum est peritis

sustinuit; ܩܠ قلّ (*diminutus est*) levis fuit; ܫܦܪ سفر (*claruit*) placuit; ܚܠܩܐ خَلْق (*creatio*) fatum; ܛܥܢ ظعن (*emigravit*) portavit, tulit; ܛܥܐ طغا (*aberravit*) oblitus est; ܫܠܚ سلخ (*excorticavit*) spoliavit; ܐܡܪ أمر (*jussit*) dixit; ܩܠܐ قول (*dictio*) vox; ܛܒ طيب (*suavitas*) bonum; ܒܝܫ بئس (*vah!*) malum; ܫܠܐ سلا (*solatus est*) quievit; ܐܢܬܬܐ أنثى (*fœmina*) mulier; ܚܓܐ حجّ (*peregrinatio*) solemnitas; ܥܪܣܐ عرش (*thronus*) lectus; ܐܫܬܐ است (*anus*) ima pars seu fundus; ܚܣܕܐ حسد (*invidia*) ignominia; ܓܙ جاز (*transiit*) defecit; ܦܪܥ فرغ (*absolvit rem*) solvit debitum; ܐܘܦܝ أوفى (*solvit debitum*) implevit.

CAPUT II

DE HISTORIA PHILOLOGICA VOCALIUM SYRIACARUM

98 — Ut adæquata vocalium Syriacarum haberi possit notio, comparatio cum lingua Arabica omnino instituenda est. Jam vero hujus linguæ peritis notum est eam tres habere tantum vocales, A, I, U; singulasque esse posse vel longas, ut sunt tres syllabæ in زاروني, nempe زا, et رو, et ني; vel clausas, quemadmodum sunt tres syllabæ in إخْتَرْتُمْ, videlicet إخْ, et تَرْ, et تُمْ; vel denique breves ut in كُتِبَ, cujus tres syllabæ evidentes sunt.

99 — His præmissis, vocales in lingua Syriaca omnes eamdem origine habebant conditionem, atque ad hoc Arabicum systema reducuntur, quod sequentibus explicaturi sumus.

Ante omnia juvat animadvertere nos totum hoc per capitulum ob oculos habere pronunciationem Orientalium, non Occidentalium, et considerare voces Arabicas finali vocali brevi privatas (quod dicitur esse in statu وقف), uti reapse sunt origine. His suppositis, dicimus:

100 — A. Fath^ha longa (*a*) Arabum exprimitur per zqafam apud Syros regula universali, quæ complectitur nomina et verba quoad eorum formationem, derivationem et flexionem, quod dicendum est fere eodem modo de iis quæ infra de cœteris vocalibus traditúri sumus. Ex. gr. ܚܠܐ خال (*avunculus*), ܫܩܐ ساق (*crus*), ܟܬܒܐ كتاب (*liber*), ܚܡܪܐ حمار (*asinus*), ܒܬ بات (*pernoctavit*), ܟܬܒ كاتب (*scribens*), ܟܬܒܐ كاتبة (*scribens* fœm.), ܣܗܕܐ شاهد (*testis*), ܕܪ̈ܬܐ دارات (*domus* pl.), ܡܩܡܐ مقام (*statutum*).

B. Casra longa Arabica exprimitur per h^hvas^sam, ex.gr. ܫܡܝܢ سمين (*pinguis*), ܢܩܝܡ نقيم (*statuimus*), ܡܩܝܡ مقيم (*statuens*), ܟܝܣܐ كيس (*saccus*), ܬܥܒܕܝܢ تصنعين (*facis* fœm.), ܩܝܡܝܢ قائمين (*stantes*).

Anomalia quæ videtur huic regulæ in aliquibus nominibus quorum radix est concava (n. 337), attribuenda est, procul dubio, recentibus temporibus, (1) ex. gr.

(1) Hæc diversitas originem habet potius ex hoc facto generali, quod scilicet vocabula quamquam eamdem habeant formam in diversis linguis Semiticis diversas tamen nonnunquam habent vocales. Etenim cum Arabes dicunt جِسم (*corpus*) cum i, أُم (*mater*) cum u, رَأس (*caput*) cum a, Syri dicunt ܓܘܫܡܐ cum u, ܐܡܐ cum i, ܪܫܐ (pro ܪܐܫܐ cum zlama leni sequente hamza) cum i. Ita quoque cum Arabes dicunt عيد , ريح cum i longo, Syri dixere ܥܐܕܐ, ܪܝܚܐ cum zlama leni in utroque vocabulo et cum hamza in illo, jod in hoc;

in ܥܐܕܐ عيد (*festum*), ܪܝܚܐ ريح (*ventus*). Alia exceptio habet locum in fine vocum; ibi enim I longum fit zlama dura, ut ܢܐܬܐ *veniet*, ܟܬܒܐ *libri*, pro ܢܐܬܐ et ܟܬܒܐ quemadmodum est in dialecto Babylonensi apud Hebræos.

C. Denique U longum Arabicum per ʿmaqam exprimitur ex. gr. ܪܘܚܐ روح (*spiritus*), ܫܘܪܐ سور (*murus*), ܩܘܡܘ قوموا (*surgite*) ܐܡܘܬ أموت (*moriar*), ܬܥܒܕܘܢ تصنعون (*facietis*), ܬܨܘܡܘܢ تصومون (*jejunabitis*).

101 – Vocales clausæ *Arabicæ* exprimuntur in Syriaca lingua per vocales item clausas, h. e. fathʰa exprimitur (regula generali quæ non patitur exceptionem nisi raro) per ptʰahʰam, casra per zlamam lenem, dʰʰamma per rwâhʰam. Hujusmodi exempla suppeditant formæ nominum et verborum quæ in utraque lingua habent vocales clausas, nullo intercedente discrimine inter utramque linguam nisi raro. Tales sunt, ex. gr. formæ nominum فَعْل, فَعَّال, فَعُول, مَفْعَل, مَفْعُول, فِعْل, فِعْلِيل, فِعْلَال, فُعْل, et فُعْلُول; talia quoque pronomina personalia أَنْتَ, أَنْتُمْ, هُمْ, تُمْ et كُمْ; tales tandem formæ verborum, et eorumdem conjugationes, يَفْعَل, يَفْعُل, يَفْعِل, فَعِل, فَعَل, تَفَعَّل, اِسْتَفْعَل, مُدّ, عُدّ: in quibus omnibus formis litteræ clausæ æque habentur in Arabica ac in Syriaca lingua, juxta methodum quam exposuimus. Tantummodo si vocalem clausam sequitur jodʰ aut alaf (hamza) quiescentia, tunc in quibusdam casibus convertitur vocalis in zlamam duram, ut ܬܪܝܢ اثنين (*duo*), ܥܝܢܐ عين (*oculus*), ܐܟܘܠ أكل

deinde euphoniæ causa converterunt zlamam lenem in zlamam duram.

(manducabo). Item si fath^h^am Arabicum sequitur waw quiescens, i. e. si diphthongus extat, tunc fath^h^a in aliquibus casibus fit rwâh^h^a, ut ܢܶܒܠܽܘܢ يبلون *(contabescunt)*. Unde vides quod diphthongus Arabica *ai* nonnunquam a Syris redditur per zlamam duram, ac diphthongus *au* redditur interdum per rwah^h^am.

101^II^ – Ex discrimine autem quod explicavimus inter ʿmaqam et rwâh^h^am potes deducere tibi regulam certam ad discernendas has duas vocales ab alterutra in systemate Orientalium. En regulam: Si dignoscere vis de ʿs^s^âs^s^a Occidentalium in pronominibus ac verbis, utrum sit ʿmâqa an rwâh^h^a, respice vocem Arabicam respondentem: si in hac vides u longum, vocalis debet esse in voce Syriaca ʿmaqa; sin autem vides u clausum, in Syriaca voce debet esse rwâh^h^a. Prioris exempla sunto: ܬܶܣܗܕܽܘܢ تشهدون *(testamini)*, ܢܶܚܫܒܽܘܢ يحسبون *(putant)*, ܐܶܩܽܘܡ اقوم *(surgam)*, ܩܽܘܡܘ قوموا *(surgite)*. Posterioris exempla: ܐܶܩܪܘܿܒ اقرُب *(accedo)*, ܐܶܒܙܘܿܙ ابزّ *(prædor)*, ܒܙܘܿܙ بُزّ *(prædare)*, ܡܶܢܗܘܿܢ منهم *(ex eis)*, ܐܢ̱ܬܘܿܢ انتم *(vos)* (1). Præterea notandum est vocales clausas h. e. a, i et u, sæpe inter se in Syriaca lingua commutari, maxime vero i et

(1) Fateri debemus hanc regulam non esse absolutam et decretoriam nisi in fine vocum, ut in exemplis allatis. In initio autem et medio vocum unaquæque vocalis u Arabica sive longa, sive clausa, redditur modo per ʿmaqam, modo per rwah^h^am. Exemplum u clausi per ʿmaqam redditi: ܥܽܘܒܳܐ (l. ʿ*ubba*) عُبّ *(sinus)*, ܫܽܘܠܛܳܢܳܐ سُلطان *(auctoritas)*. Exemplum u longi, per rwah^h^am redditi: ܒܠܘܿܥܳܐ بالوع *(helluo)*, ܪܗܒܘܿܢܳܐ عربون *(arrhabo)*. Igitur regula quæ in textu, non valet nisi pro ultimis syllabis pronominum et verborum. Mirum est hanc regulam a dialecto Chaldaica ceteroquin exactiore amissam esse; in hac enim rwah^h^a pro ʿmaqa et vice versa promiscue litteræ waw affiguntur; nisi dicamus hanc confusionem amanuensium Iudæorum, qui hanc dialectum soli usitarunt, incuriæ vel ignorantiæ tribuendam esse.

u, uti in ipsa lingua Arabica etiam inter se commutantur.

102 – Restat nobis dicendum de vocalibus brevibus. Statuimus igitur sequentes canones : I – Quælibet vocalis brevis quam sequitur vocalis clausa vel longa supprimenda est in Syriaca lingua : ex. gr. (1) ܫܡܥ سمع (*audivit*), ܒܪܐ برا (*creavit*), ܡܩܝܡ مقيم (*erigens*), ܡܩܡܐ مقام (*statutus*), ܫܢܢܐ سنان (*cuspis*), ܩܛܝܠ قتيل (*occisus*), ܬܣܒܥܘܢ تشبعون (*saturabimini*), ܐܫܠܡܬ أسلمت (*tradidit ipsa*), ܐܚܒܫܟ احبسك (*includam te*), ܐܘܪܬܗ أورثه (*hæredem eum constituit*), ܟܦܘܪܬܐ كافرة (*denegans* f), ܡܫܟܢܐ مسكنا (*habitaculum*), ܡܘܗܒܬܐ موهبة (*donum*). Porro hæc abjectio vocalis brevis ante aliam vocalem clausam vel longam frequens est in lingua Syriaca, præsertim in particulis quæ vocibus copulantur in orthographia et lectione, uti particulæ ܘ, ܠ, ܕ, ܒ, ܡ, ܐ et ܢ, quæ omnes quiescunt quando post se habent litteram mobilem modo indicato, si v. g. dicitur: ܠܝܘܡܐ ليوم (*diei*), ܘܫܘܩܐ وسوق (*et forum*), ܒܫܘܩܐ بسوق (*in foro*), ܕܥܐܠ الذي يدخل (*qui ingreditur*), ܡܒܪܟ مبارك (*benedictus*), etc. Quod si vocalis brevis afficit litteram geminatam quam sequitur littera mobilis, rejicitur ab illa littera una cum vocali brevi geminatio, v. g. ܫܒܚܬܘܢ سبحتون (*laudatis*), ܛܠܡܗ ظلمه (*oppressit eum*), quæ sunt pro ܛܠܡܗ ܫܒܚܬܘܢ. (1)

(1) Litteræ, in his exemplis, quæ vocales breves amiserunt, lunula suprascripta distinctæ sunt.

(2) Hæc omnia quoad linguam Syriacam litteralem qualis se habet a no-

103 – II – Quod si littera habens in origine vocalem brevem est una ex litteris infirmis, scilicet ܘ vel ܝ vel ܐ, tunc ob difficultatem pronunciandi has litteras in statu quiescentiæ, hæ litteræ instruendæ sunt necessario vocali, h. e. zlama leni si littera infirma sit alaf v. g. ܐܶܟ݂ܰܠ (*manducavit*), ܐܶܬ݂ܳܐ (*venit*); aliquando tamen accipit zlamam duram, ut ܐܶܩܽܘܡ أقوم (*surgam*); vel pthahham ut ܐܰܟ݂ܽܘܠ (*manduca*); et hhvassam si littera sit jodh, v. g. ܝܺܠܶܕ (*genuit*), ܝܺܕܰܥܬܳܐ (*cognitio*), pro ܝܠܶܕ et ܝܕܰܥܬܳܐ cum jodh in utroque quiescenti, et ɩmaqa si sit waw, v. g. ܪܳܘܙܺܝܢ (*gaudent*) pro ܪܘܙܝܢ cum waw quiescenti post resh quiescens.

104 – III – Cum duæ vocales breves in eadem voce sine medio concurrunt, tunc una tantum eliditur, i. e. secunda, prima autem plerumque per pthahham exprimitur. Hujusmodi autem concursus duarum vocalium brevium potissimum oritur ex nominum et verborum flexionibus et particularum suffixione seu affixione, ex. gr. ܒܰܪܕܳܐ بَرَد (*grando*), ܫܳܡܰܥ ذو سمع (*qui audit*), ܒܥܽܘܩܣܳܐ بسنان (*in cuspide*), ܘܰܠܢܰܦ݂ܫܳܐ وَلِنَفْس (*et ad animam*), ܡܚܰܒܠܳܐ

novem decim seculis, verissima ac certissima sunt. Quoad antiquiora vero tempora, non idem potest dici eadem certitudine; nam in dialectis Samaritana, Maʿlulana, Assyriaca, Tur-Abdinensi, passim audiuntur vocales breves, quæ tamen, fatemur hoc, sunt natura longæ ut plurimum. In dialecto autem Chaldaica quam conservant Judæi, vocalis brevis quæ figuratur per signum Hebraicum quod dicitur שְׁוָא, pronunciatur hodie ut vocalis e (raro ut a) longa; dicunt enim Hebræi legendo linguam Chaldaicam, ex. gr. בְּרָא (*creavit*) *bêra*, כְּתִיב (*scriptus*) *kêthiv*, quod manifestus est error. Certe suppressio vocalis brevis quam habet lingua Syriaca litteralis hodierna cui dialecti Syriacæ vulgares nec non in multis lingua Arabica vulgaris adstipulantur, magis legitima est quam ejus productio.

ܚܒܫܗ (*includit eum*). Nonnunquam prima vocalis per zlamam lenem movetur, ut ܛܥܢܬ (*portavi*), ܢܣܒ (*accepit*).

105 – IV – Quando ultima littera vocis cujus ultima vocalis est clausa, moveri debet ob suffixum aut incrementum quodcumque extraneum quod illi litteræ adhæret, tunc illa vocalis clausa brevis evadit, et plerumque eliditur juxta regulam, ex. gr. ܣܓܕ (*prostravit*): ܣܓܕܗ (*prostravit eum*); ܒܬܪ (*post*): ܒܬܪܟ (*post te*). Quod si alia brevis (*subintellecta*) inveniatur ante vocalem illam clausam, tunc hæc brevis per pt^h^ah^h^am, ut supra, plerumque movetur, ex. gr. ܫܒܩ (*reliquit*): ܫܒܩܢ (*reliquit nos*). Excipe ab hac regula litteram finalem verbi geminati, cujus ultima vocalis clausa non fit brevis per suffixum, sed remanet et duplicat litteram sequentem, ut ܒܙ (*deprædatus est*): ܒܙܢܝ (*deprædatus est me*).

106 – V – Non raro tamen vocalis ultima quæ per suffixum ex clausa fit brevis, non eliditur, et cum furtive pronunciari deberet juxta regulam, ea cum productione hodie pronunciatur, quod præcipue locum habet in imperativo verborum et in præterito 3 pers. pl. masc. cui suffigitur pleonasmus ܘܢ et fem. cui suffigitur ܝܢ, nec non in nominibus quæ unam radicalem habent elisam, ex. gr. ܗܒ (*da*): ܗܒܝܗܝ (*da eum*); ܩܛܘܠ (*occide*): ܩܛܘܠܝܗ (*occide eam*); ܐܘܕܥ (*certiora*): ܐܘܕܥܝܢܝ (*certiora me*), in quibus omnibus ultima vocalis clausa quæ per suffixum evadit brevis, pronunciatur hodie longa tum ab Occidentalibus, tum ab Orientalibus, et in nominibus pronunciatur clausa ab Orientalibus cum ge-

minatione sequentis litteræ.

107 – VI – Præter hæc loca regularia in quibus vocalis brevis non supprimitur, sunt multa vocabula quæ extra regulam vocalem brevem initialem retinent, ita tamen ut hæc cum productione ab Occidentalibus et cum sequentis litteræ duplicatione ab Orientalibus proferatur, ut ܠܶܫܳܢܳܐ (*lingua*), ܩܰܪܺܝܒ (*proximus*), ܚܰܒܺܝܒ (*dilectus*), pro ܠܫܳܢܳܐ *lsʰāna*, ܩܪܺܝܒ *qriv*, ܚܒܺܝܒ *hʰviv*.

108 – VII – Ex tota hac discussione colliges litteras quiescentes esse duplicis speciei, aliæ enim sunt natura sua quiescentes, aliæ per accidens ut dicitur, i. e. per elisionem vocalis brevis. Ad hanc alteram speciem dignoscendam, si ad analogiam linguæ Arabicæ nolis recurrere, en tibi regulas: Littera quiescens est pro mobili in sequentibus casibus. I – Si est in initio vocis, nam linguæ Semiticæ non ferunt ut vox per consonantem natura quiescentem incipiat, ut ܒܪܺܝܬܳܐ (*creatura*), ܢܩܽܘܡ (*surget*), ܡܪܳܪܳܐ (*fel*). II – Si post vocalem longam venit, i. e. zqafam, hʰvasˢam aut ɩmaqam, ut ܡܳܪܝܳܐ (*dominus*), ܩܳܝܡܺܝܢ (*surgentes*), ܟܢܽܘܫܬܳܐ (*congregatio*), ܚܠܺܝܡܬܳܐ (*valetudine fruens* f.). III – Si in flexione vocis in qua exstat littera quiescens, ea duplicatur, ut ܡܫܰܠܡܺܝܢ (*consentientes*) a ܡܫܰܠܡ, ܓܰܢܬܳܐ (*hortus*) ܓܰܢܬ݂, ܥܶܠܬܳܟ݂ (*causa tua*) ܥܶܠܬܳܐ, ܡܦܰܪܩܳܢܳܐ (*salvator*) ܡܦܰܪܩܳܐ, ܚܰܫܗܽܘܢ (*eorum passio*) ܚܰܫܳܐ, ܨܶܦܪܳܐ (*passer*) ܨܶܦܰܪ, ܩܽܘܠܬܳܐ (*hydria*) ܩܽܘܠܬ݂. IV – Si illam alia littera quiescens in eadem voce præcedit, linguæ enim Semiticæ renuunt duas quiescentes immediate sese invicem sequi in eadem

voce, ut ܕܚܠܬܐ (*metus*), ܐܪܢܒܐ (*lepus*), ܢܬܡܥܪܒܘܢ (*occident*), ܡܥܪܒܐ (*Occidens*). Ex quo intelligis quoties duæ quiescentes sine medio in eadem voce concurrunt, primam earum esse semper natura quiescentem, alteram per accidens. Hæc sunt loca in quibus littera quiescens est pro mobili.

109 – Ex omnibus quæ hoc capite de vocalibus Syriacis disseruimus, colligere facile est Syriacam linguam tres primarias vocalium species habere quemadmodum eas habet et Hebraica et Arabica; Syrorum tamen doctores cum venerint ad statuenda signa vocalium, secus egisse ac Hebræos atque Arabes; cum enim Arabes eadem signa statuerint omnibus tribus vocalium speciebus scilicet longis, clausis ac brevibus; Hebræi autem singulis his speciebus singulam vocalium seriem posuerint; Syri mediam secuti viam solis longis ac clausis vocalibus singula signa invenerunt, neglectis brevibus. Etenim: A longo zqafam, A clauso pt^{h}ah^{h}am; I longo h^{h}vas^{s}am, I clauso zlamam lenem; U longo ʿmaqam, U clauso seu O rwah^{h}am, posuerunt.

110 – Sed Syri habent septimam vocalem, zlamam duram. Quid dicendum de hac vocali? Hæc vocalis, si bene consideres, non est nisi una ex prædictis vocalibus cui aliqua modificatio supervenerit. Etenim hæc vocalis locum habet: I – Cum alaf vocali brevi debet moveri, ut ܐܩܘܡ *surgam*. II – Cum diphthongus ex alaf vel jod^{h} formanda est, scilicet cum post zlamam lenem occurrit alaf aut jod^{h} quiescentia, ut ܪܫܐ (*caput*) pro ܪܐܫܐ, ܒܪܐ (*puteum*) pro ܒܐܪܐ, ܢܐܟܘܠ (*edet*) pro ܢܐܟܘܠ, ܢܐܪܬ (*hæres erit*) pro ܢܐܪܬ. III – In fine vocis zlama dura

est pro hʰvasa, ut ܣܗܕ̈ܐ martyres, ܢܒܟܐ (flemus), pro ܣܗܕܝܢ, ܢܒܟܝܢ (quod extat in dialecto Chaldaica). IV- Sæpe zlama dura est pro diphthongo *ai*, ut ܡܐܬܝܢ (ducenti), ܫܬܝܩܝܢ (tranquilla eris), ܒܥܝܠ (vis), pro ܡܐܬܝܢ, ܫܬܝܩܝܢ, ܒܥܝܠ. Extra hos casus non invenitur zlama dura nisi in exoticis verbis, ut ܐܠܝܐ (Elias), ܐܫܥܝܐ (Isaias). Ratio autem cur littera quæ præcedit pronomen suffixum 2ᵃᵉ pers. fem. sing. ut ܠܟܝ *tibi* f. et 3ᵃᵉ pers. masc. sing. ut ܒܗ *in illo*, nec non et in ceteris locis ut videbimus suo loco, v. n. 465, 3, 5, 6, non est nisi doctorum arbitrium Syrorum Orientalium recentiorum.

111 – Nunc pauca de dipgthongis, et potissimum de AU et AI. Lingua Syriaca litteralis valde firmiter diphthongos tenet; e contra multi populi fere semper diphthongos solvunt ut Galli in Europa, Arabes Mausuli et Damasci in Oriente, etc. Inter dialectus Aramaicas, Chaldaica a diphthongis abhorrens, sæpissime mutat ptʰahʰam diphthongi AU in rwahʰam, et diphthongi AI in zlamam duram, ex. gr. ܝܘܡܐ (dies), ܢܘܕܐ (confitemur), ܐܬܬܘܣܦ (auctus est), ܒܥܝܬ (vis), ܐܝܠܝܢ (illi), ܒܝܬܐ (domus), ܐܝܕܐ (qualis f.), pro ܝܘܡܐ, ܢܘܕܐ, ܐܬܬܘܣܦ, ܒܥܝܬ, ܐܝܠܝܢ, ܒܝܬܐ, ܐܝܕܐ. Sic etiam in dialecto Syriaca vulgari Assyriæ et Curdistani.

112 – In idiomate vero litterali diphthongus in nominibus quidem non solvitur nisi per gdʰamam de qua suo loco (165 et seq.); in verbis autem, in quibusdam flexionibus conjugationum defectivarum (346 et seq.). In his locis tantum ubi solvitur diphthongus, ut O (1), E.

(1) Observa igitur rwāhʰam Orientalium esse vel pro U clauso seu brevi Arabicæ linguæ, vel pro diphthongo AU soluta.

In ceteris locis in quibus non solvitur diphthongus, nec habet rationem veræ diphthongi, A effertur plenum non secus ac in ceteris syllabis, quamquam Orientales scribant zqafam pro pt^{h}ah^{h}a ante waw.

113 - Denique non est prætereundum: I - Ex duabus speciebus vocalium quas solas habet Syriaca lingua, videlicet clausarum et longarum inter quas computandæ sunt diphthongi, illas, scilicet clausas tam flexibiles ac inconstantes esse ut quacumque flexione in vocabulo superveniente, eæ sæpe aut cadant, aut inter se permutentur, aut denique sedem mutent; has autem idest longas in omnibus flexionibus nullam subire modificationem, sive sint in initio, sive in medio, sive in fine vocis. II - Lector jam observaverit tres vocales longas, i. e. zqafam, h^{h}vâ^{s}sam et ʿs^{s}âs^{s}am non tolerare post se regulariter litteram quiescentem, e contra litteras clausas, i. e. pt^{h}ah^{h}am, zlamam et rwâh^{h}am necessario habere debere litteram quiescentem vel geminatam, nisi sint loco vocalis brevis.

114 - Hactenus de præcipuis principiis quæ determinant statum quiescentiæ et mobilitatis litterarum Syr. quibus sane rite ob oculos habitis facillimum erit tironibus regulas flexionis nominum et verborum recte percipere et retinere. Jam vero ex dictis liquido constat dure et dixerim ingrate sonare linguam Syriacam propter frequentem quiescentiam litterarum, inopiamque vocalium, quæ quidem qualitates longe absunt a fluido gratoque sono vocum linguæ Arabicæ, in qua nunquam habetur concursus duarum quiescentium, neque ulla vox incipit a littera quiescenti. Solent nihilominus Syri minuere quodammodo prædictam asperitatem in pronunciatione per adjectionem vocalis litteræ finali vocis

quiescenti si sequens vox incipiat a quiescenti, et aliquando per insertionem vocalis in primam ex duabus quiescentibus concurrentibus in eadem voce, ut antea explicavimus. Hinc fit ut sic diminuta asperitate sonorum in dictionibus Syriacis, non remaneat soni durities nisi propter concursum duarum quiescentium in fine vocum, qui tamen casus evenit quoque in Arabica lingua. Restat tamen solus sonus ingratus proveniens ex eo quod voces Syriacæ incipiunt frequenter a litteris quiescentibus, quod equidem procul dubio sonum durum sæpissime efficit, præsertim si initialis quiescens et littera sequens ambæ pertinent ad unum organum, v. g. ܒܦܘܡܐ (*in ore*), ܠܪܘܚܐ (*spiritui*), ܡܡܝܬܐ (*mortiferus*, seu *mortem dans*), ܕܐܢܬ (*tu judicas*).

CAPUT III

DE LEGIBUS VOCALIUM LINGUÆ SYRIACÆ, DE LITTERIS GUTTURALIBUS ET DE GEMINATIONE LITTERARUM

115 – Linguarum Semiticarum, ex quibus una est Syriaca, proprietas est: I° – Quod eæ non tolerent ut vocabulum a littera quiescenti incipiat idest duabus consonantibus ut dicunt grammatici Europæi. Attamen Syri, cum brevem vocalem soleant expungere, ob hoc sæpe habent vocabula a quiescenti incipientia, sed per accidens ut dicitur, et ipsa hæc littera quæ vocali brevi privatur, adhuc consideratur ut mobilis (1). II° – Propter

(1) Inter vocabula Græca quæ in linguam Syriacam introducta sunt, multa certe a quiescenti imo a duabus quiescentibus incipiunt. Huic incommodo occurrunt Syri litteram alaf vocali E motam initio vocabuli affigendo, ex. gr. ܐܣܛܘܠܐ *stola*, ܐܣܛܪܛܝܘܛܐ *stratiotes* (*miles*). Rara sunt nomina quæ cum initio

hanc rationem non possunt occurrere duæ quiescentes consecutivæ in medio vocabuli, i. e. secundum grammaticos Europæos, non potest syllaba etiam in medio vocis a duabus consonantibus incipere. Huic etiam secundæ regulæ apparenter videntur Syri derogare cum occurrente littera vocali brevi mota post quiescentem, supprimunt vocalem brevem, et sic duæ consonantes quiescentes sine medio consecutivæ per accidens enascuntur. Primi exempla : ܫܠܳܡܳܐ *pax*, ܩܛܘܿܠ *occidis*, ܦܪܺܝܣ *extensus*, in quibus s^h^in, qof et pe a quibus incipiunt, per accidens quiescentia facta sunt. Eorum enim vera forma hæc est : شَلَامَا, قَتَلْ, فَرِيش. Exempla secundi: ܡܰܥܪܒܳܐ *Occidens*, ܬܶܫܡܥܽܘܢ *audietis*, ܐܶܪܚܡܳܟ *te amo*, in quibus res^h^, mim et h^h^et^h^ quiescentia facta sunt post quiescentem quia vocales breves habent, nam plene ita pronunciari deberent: مَعَرْبَا, تِشْمَعُونْ, إِرْحَمَك.

115^II^ – Ceterum in lingua Syriaca nusquam datur vox aut syllaba tribus consonantibus seu, ut dicunt grammatici Semitici, duabus quiescentibus incipiens quod non infrequens est in lingua Græca nec non in Latina, imo quod frequentissimum est in Germanica.

116 – In fine syllabæ aut vocis raro duas quiescentes invenies, quod tamen fere semper ex suppressione (de qua supra) brevis vocalis ab ultima consonanti oritur, ex. gr. ܪܫܰܡܬ *notasti*, ܡܰܠܟܝ *rex meus*, pro ܪܫܰܡܶܬ, ܡܰܠܟܺܝ ; nunquam tres consonantes.

---

quiescenti manent, ex. gr. ܣܛܳܣܺܝܣ *stasis (seditio)* quod tamen sæpius dicitur ܐܣܛܳܣܺܝܣ. Fatendum tamen est Syros hanc adjectionem litteræ alaf non agere nisi cum vocabulis quæ incipiunt a Σ.

117 – In flectendis nominibus, verbis et particulis nonnulla mutatio vocalibus supervenit, idque sive per suppressionem, sive per transpositionem sive denique per mutationem. Id autem non attingit nisi vocales clausas et etiam vocales breves quæ inde nascuntur. Vocales enim longæ nunquam in flexione ullam modificationem subeunt, exceptis vocalibus longis in quibus mater lectionis est littera infirma radicalis, hujusmodi enim vocales clausis æquivalent.

118 – Deinde sciendum est motionem rvâsˢam, h. e. zlamam, non compati apud Syros cum littera *gutturali in fine* vocis, proinde quotiescumque regula exigit rvâsˢam ante litteram gutturalem in fine vocis, illa rvâsˢa mutari debet in ptʰahʰam. Litteræ autem gutturales sunt: alaf (quando æquivalet hamzæ (1) Arabum, non vero quando est littera infirma), he, hʰetʰ et ʿain (ܐ, ܗ, ܚ, ܥ), et cum eis computatur quoque littera resʰ (ܪ), forsitan quia ista littera olim modo quo hodie apud urbis Mossul incolas pronunciabatur, scilicet ab imo gutture. Accipe exempla: ܪܟܚ (*moderatus est*),

(1) Grammatici Syri non computarunt alaf in numero litterarum gutturalium, quamquam ipsa lingua Syriaca id ipsis suadere debebat; nec mirum, cum ii nunquam sciverunt distinguere alaf consonans a vocali. Quod autem lingua Syriaca veram hamzam gutturalem habeat, multa testantur, ex quibus exemplum unum aut alterum esto: ܫܐܠ (*petiit*), ܛܡܐܐ (*impurus*). Quod autem alaf idest hamza Syriaca mutet rwâsˢam præcedentem in ptʰahʰam, certum est ex verbis hamza terminatis, ut ܒܝܐ (*consolatus est*), ܛܡܐ (*impurum reddidit*); quæ nisi regulam litterarum gutturalium sequerentur, pronunciari deberent ܛܡܐ, ܒܝܐ, sicut dicitur ܫܘܐ, ܕܟܐ. Id etiam manifestum est ex eo quod participium activum in hujusmodi verbis eamdem vocalem habet ac participium passivum, dicitur enim pro utroque, ex. gr. ܡܛܡܐܐ, quod non habet locum nisi quando ultima radicalis est littera gutturalis.

ܦܪܥ (*retribuens*), ܐܫܬܠܚ (*missus est*), ܒܝܐ (*solatus est*), ܡܫܡܗ (*nuncupat*) quæ juxta regulam debuissent esse: ܒܪܐ, ܦܪܥ, ܐܫܬܠܚ, ܒܝܐ, ܡܫܡܗ. Excipe tamen vocem ܒܪܝ (*filius meus*) in qua retinetur rvâs^s^a ante res^h^ quia res^h^ non est in fine vocis, cum jod^h^ consideretur ut virtualiter pronunciata. Hæc regula valet etiam cum nomen incrementum taw fem. in fine accipit, ut ܦܪܥܬܐ (*aris*), ܕܒܚܬܐ (*victima*), ܣܘܪܚܬܐ (*delictum*). Attamen Orientales cum mhagjana pronunciant duo extrema nomina, non cum pt^h^ah^h^a. Nota tamen litteram caf lenem quæ pronunciatur uti خ Arabum, et litteram gamal lenem quæ effertur ut غ Arabum, quamvis in Arabica lingua inter gutturales numerentur et reapse tales sint, tamen apud Syros non habere illam proprietatem quam diximus ceteras litteras origine gutturales habere, idque quia per accidens *gutturaliter* pronunciantur quando sunt lenes.

Alia litterarum gutturalium proprietas est quod eæ geminari non tolerant, de qua proprietate infra (1).

119 — Litterarum geminatio extat in linguæ Syriacæ omnibus dialectis, scilicet Chaldaica, Samaritana, vulgaribus Assyriæ et Ma'lulæ et litterali Orienta-

(1) Apud Hebræos eædem litteræ ac apud Syros, sunt gutturales, proprietatesque quas hæ litteræ in lingua Syriaca possident, habent et in Hebraica, imo majori cum constantia. Res debebat esse eadem in dialecto Syriaca Babylonica seu Chaldaica; sed libri hujus dialecti quas nonnisi Hebræi possident, sunt tam orthographice vitiosi ut ex iis regulæ constantes et certæ de vocalibus haud erui facile possint. Cum hæ regulæ quibus litteræ gutturales reguntur, procedant omnes ex difficultate quam organum humanum sentit in eis efferendis, hinc mirum est quam durum et robustum guttur natura dederit Arabibus qui omnino ignorant has regulas quæ litteras gutturales a ceteris litteris distinguunt, hasque litteras eadem ratione tractant ac ceteras litteras, nisi quod eæ in fine vocabuli in quibusdam casibus pt^h^ah^h^am et apud Arabes amant.

lium; sola lingua litteralis Occidentalis qua scilicet utuntur Jacobitæ et Maronitæ et vulgaris dialectus Tʿur-ʿAbdin geminationem recusant. Loci autem grammaticales in quibus geminatio habere locum debet, sunt fere iidem ac in lingua Arabica (1). Porro mirum est Syrorum litteratos cum tot ac tam diversa orthographica signa ad recte scribendum et legendum invenerint, ad geminationem litterarum significandam nullum apicem posuisse. In hoc Arabes et Hebræi magis solertes sese exhibuerunt; negari etiam nequit Arabum signum aptius et commodius esse quam Hebræorum; utinam in scriptura Syriaca adoptaretur!

120 – Geminatio litteræ non potest habere locum nisi eam littera mobilis præcedat. Motio autem hæc litteræ præcedentis potest esse ptʰahʰa, vel zlama lenis, rarissime ʿmaqa. Ceteræ motiones seu vocales non possunt regulariter habere sequentem litteram geminatam.

121 – Porro omnes litteræ Syriacæ geminari

(1) Hic discretus lector observet quantum discrimen in hac re intercedit inter gentes Semitas et populos Europæos. Etenim apud Semitas, Arabes potissimum, tanta est auris sensibilitas ut ex sola unius litteræ geminatione vocabula diversissimum acquirant sensum, ex. gr. سَمَا *sublimis factus est*, سَامَى *gloriatus est* سَمَّى *nomen dedit*; حَدَاد *extremitas*, حَدَّاد *faber ferrarius*, حَمَام *columbæ*, حَمَّام *balneum*. Quod in linguis Europæorum non solum non extat, sed etiam nonnulli eorum fere semper lexicon manibus habere tenentur cum scribunt ut sciant duplexne littera an unica sit in tali aut tali vocabulo; sic Itali et Galli; alii ut Hispani, ita inutilem imo incommodam viderunt rem existentiam litterarum geminatarum in lingua, ut eas omnes recentius simplices reddiderint, excepta R, et sic suæ linguæ novam orthographiæ formam dederint. Eruditi apud Gallos, nomine Port-Royal celebres, idem seculo XVII tentarunt, sed incassum. Arabum mirabilis sensibilitas magis elucet in quantitate vocalium, ex. gr. بَرَكَ *barac (genua flexit)*, بَارَكَ *bârac (benedixit)*; خَالِي *khâli (avunculus meus)*, خَلِّي *khalli (acetum meum)*, خَلِي *khali (vacuus)*, خَالِيّ *khâli (ad avunculum pertinens)* etc.

possunt, vel ipsa alaf, he et h^{h}et^{h}, quæ litteræ gutturales sunt et in lingua Hebraica geminari nequeunt. Apud Syros tres tantummodo litteræ nonnunquam geminari renuunt, waw, ‘ain et res^{h}. Waw quidem geminari recusat post pt^{h}ah^{h}am; ubicumque enim littera waw occurrit post pt^{h}ah^{h}am quæ juxta regulam exigit ut littera sequens duplicetur, illud waw non geminatur, et pro pt^{h}ah^{h}a litteræ præcedentis scribitur zqafa, ad significandum quod cessante geminatione quæ sonum præcedentis vocalis reddit clausum, illa vocalis pronuntiari debet cum productione, ex. gr. ܚܘܝ *monstravit*, ܥܘܠܐ *iniquus*, l. *h^{h}âwi*, *‘âwâla*, pro ܚܘܝ, ܥܘܠܐ. Post zlamam autem lenem geminatur waw, ut ܚܘܪܐ *albus*, l. *hawwâra*. ‘Ain autem et res^{h} non semper renuunt geminationem, sed in aliquibus vocabulis, quorum præcipua jam a nobis allata sunt n. 17. (1) Notandum est dumtaxat, pt^{h}ah^{h}am quæ præcedit litteram quæ geminationem contra regulam recusat, non converti quidem in zqafam in pronunciatione ut natura rei requirit sed orthographice manere pt^{h}ah^{h}am.



CAPUT IV

DE SYLLABIS ET DE LITTERIS RADICALIBUS

122 — Vocabula in Syriaca lingua constant numero plus minus grandi litterarum seu articulationum sonantium, sive mobilium sive quiescentium, idest syllabas formantium. Syllaba autem est omnis littera mota sequente altera quiescente vel non. Unde omnes syllabæ

(1) In dialecto Chaldaica quam Judæi conservant, exceptio TOY waw ignota est: litteræ autem gutturales omnes et semper geminationem recusant.

in duas species dividuntur, aliæ enim in vocalem exeunt, quæ vocalis semper est longa (n. 15. 4), ut ܡܳܐ , ܗ̱ܘ , ܦܽ , ܟܺܝܒ ; aliæ consonanti una vel duabus terminantur, habentque vocalem semper clausam, ut ܟܰܡ , ܟܽܘܠ , ܠܶܡ , ܣܺܡ , ܠܶܟܰܟ , ܡܰܠܟܳܐ . Omnis autem syllaba in lingua Syriaca a consonanti incipere debet (1).

123 – Numerus syllabarum variat ab una ad quinque: rarissime invenies in lingua Syriaca vocem sex syllabas habentem.

Voces monosyllabæ individuæ sæpe independenter ab aliis pronunciantur; sæpius tamen pronomina et particulæ grammaticales monosyllabæ aliis connectuntur sive in fine et tunc dicuntur suffixa, sive in initio et tunc sunt præfixa, ita ut ex monosyllaba et alia cui connectitur una vox indivisibilis formetur tum pronunciatione tum orthographia.

124 – Vocabulorum igitur elementa sunt litteræ sive mobiles sive quiescentes. Litteræ autem quibus vocabula formantur sunt aut radicales aut formativæ. Radicales sunt eæ quæ radicem constituunt, quæ est quædam litterarum combinatio ad sensum determinatum reddendum efficta. In verbis et nominibus numerus radicum est ordinarie trinus, sed in verbis potest esse, at rarissime, quaternus; in nominibus datur aliquoties radix quinque litteris constans.

125 – Hujusmodi combinationes quibus radices formantur, ita factæ sunt ut eæ sine difficultate efferri possint; i. e. litteræ ad formandum vocabulum e diversis organis humanæ vocis sunt selectæ, quorum præcipua

(1) Vidimus (n. 5) hoc non esse proprium solius linguæ Syriacæ, sed omnium mundi linguarum.

sunt labia, dentes, lingua, palatum et guttur. Nulla omnino radix tres litteras ejusdem organi potest habere; imo etiam duæ litteræ ejusdem organi in eadem radice ferri nequeunt, nisi ab alia diversi organi separatæ sint, ut ܟܠܡܪ, ܫܢܪ, quod tamen rarum est. Rarissime autem inveniuntur in eadem radice duæ gutturales non separatæ, ut ܥܗܪ, item duæ linguales, ut ܟܢܙܐ. Gratiores radices sunt eæ quarum singulæ litteræ diverso organo efferuntur, quæque fere totam lexicologiæ Syriacæ seu potius Semiticæ molem formant, ut ܟܬܡ, ܦܬܚ, ܢܦܫ, ܐܟܠ.

CAPUT V

DE LITTERIS FORMATIVIS SEU SERVILIBUS

126 — Præter radicales sæpe una aut amplius litteræ extraneæ ad formanda vocabula adhibentur, quæque formativæ seu serviles dicuntur. Litteræ formativæ vel radicem præcedunt, et tunc dicuntur præformativæ, ut ܐܟܬܒ (*descripsit*), ܣܪܗܒ (*festinavit*), ܡܫܬܘܕܝܐ (*promittens*), in quorum verborum primo alaf, in secundo səmcath, in tertio mim, shin et taw sunt præformativæ; vel sequuntur, et tunc dicuntur afformativæ, ut ܩܘܪܒܢܐ (*oblatio*) ubi nun est afformativa; vel denique inter litteras radicales inseruntur, quod rarum est, ut ܐܨܛܒܝ (*dignatus est*) ubi thett formativum est pro taw.

127 — Litteræ serviles sunt fere eædem in omnibus linguis Semiticis, eæque ita sagaciter selectæ sunt ut possint cum omnibus alphabeti litteris quibuscum copulandæ sunt, concordare, i. e. sine difficultate simul pronunciari. Sunt autem in lingua Syriaca: ܐ (hamza et

littera infirma) ܗ, ܘ, ܝ, ܠ, ܡ, ܢ, ܦ, ܫ, ܬ, quarum postrema i. e. ܬ mutatur aliquoties in ܛ aut ܕ; ܐ, ܘ et ܝ serviles sunt tum ut matres lectionis, tum ut litteræ infirmæ. His omnibus addere juvat particulas grammaticales quæ vocabulis connectuntur eodem modo ac litteræ serviles, ܒ, ܕ, ܘ, ܝ, ܟܕ, ܠ, ܢ, quarumque plurimæ jam inter serviles etiam numerantur.

128 – Alia existit apud Syros ratio augendi numerum litterarum radicis, quæ est ut littera radicalis moveatur longa vocali, quod rythmice idem valet ac littera consonans, ut ܩܳܛܶܠ (*occidens*), ܩܛܺܝܠ (*occisus*). Apud Syros Orientales exstat quoque alia ratio augendi numerum litterarum radicalium, estque duplicatio seu geminatio litteræ radicalis, ut ܩܰܒܶܠ cum geminatione beth (*accepit*), ܢܰܓܳܪܳܐ cum geminatione gamal (*faber lignarius*).

CAPUT VI

DE ONOMATOPOEA

129 – Ratio formandi vocabula in lingua humana non est naturalis, sed conventionalis, secus una universo mundo haberetur lingua. Ad formanda tamen verba homines sæpe sensu naturali moventur; ex iis inquam quæ in natura percipiunt, impelluntur ad sonos illi similes edendos, quæ naturæ imitatio in vocabulis efformandis dicitur *onomatopœa*, quæ consistit in hoc quod verba imitentur res naturales quæ per illa significantur. Princeps in hac

prærogativa inter omnes mundi linguas est Arabica. Sed et ceteræ Semiticæ, inter quas est Syriaca, superant fere ceteras mundi linguas in numero vocabulorum quæ per onomatopœam formata sunt. Juvat hic hujus gratiosi feti naturæ generalia capita referre, speciminis gratia.

I – Nomen uniuscujusque organi vocis humanæ litteram habet ipso organo cujus est nomen efferendam. Hæc regula omnibus linguis Semiticis communis est, imo præcipuis etiam linguis Indoeuropæis ut ajunt necnon aliis Ex. gr. nomen *oris* semper habet litteram labialem: Syr. ܦܘܡܐ, Arab. فم, Hebraice ܦܗ, Latin. *os* (*vor*), *bucca*, German. *mund*, Græc. (sto) *mat*, Angl. *mouth*, Sanskr. *mukha*. *Labii* nomen habet litteram labialem, p, f, b, ex. gr. Syr. ܣܦܬܐ, Hebr. ܣܦܬܐ, Arabice شفة, Lat. *labr.*; Germ. *lippe*; Pers. *lip*. Angl. *lip*; Mirum quod in Græco *leich* nulla habeatur articulatio labialis; forsitan *leich* erat origine *leif* seu *leiph*. Dentis nomen habet litteram dentalem s, z, d, t, ut Syr. et Hebr. ܫܢ, Arab. سن; Lat. *dent.*; Græc. *odont*; Germ. *zahn*; Sansk. *dan*; Persice *dendan*; Anglice *teeth*. Nomen *Linguæ* habet litteram lingualem l, vel r: Syr. et Hebr. ܠܫܢ; Arab. لسان; Lat. *lingua*; Sanscr. *lola*; Græc. *glotta*. Nomen *Nasi* litteram *n* nasalem habet, Syr. ܢܚܝܪܐ; Hebr. ܐܦ; Arab. انف, منخر; Lat. *nasus*; Græc. *rin*; Germ. *nos*; Angl. *nose*; Sanscr. *nâsâ*; Lithuan. *nosis*. Denique *Gutturis* nomen habet semper articulationem gutturalem, Syr. ܓܓܪܬܐ, Hebr. ܓܪܘܢ, Arab. حلق, حلقوم, حنجرة; Lat. *guttur*, *gula*; Græc. *laryng*; Germ. *kehl*, *gurgel*; Gall. *gorge*, *gosier*; Sanscr. *gula*.

2° Alterum onomatopœæ memorandum principium in lingua Syriaca ceterisque Semiticis linguis, nec non in potioribus linguis Indo Europæis elucet in actionibus humanis quæ per peculiaria membra exercentur; horum enim actionum verba semper habent articulationem analogam membro quo actio a singulis verbis expressa exercetur. Sic ex. gr. verbum *Loqui* habet litteram *l* lingualem quia lingua est præcipuum loquendi organum: Syr. ܡܠܠ; Hebr. מלל, מלא; Arab. كلم, لغا; Græc. *lalein;* Lat. *loqui;* Itatice *parlare*; Germ. *lobe;* Sanscr. *lap*. Verbum *Glutire* habet semper *l* cum aliqua gutturali: Syr. Hebr. et Arab. ܒܠܥ (1); Græc. *lichn;* Lat. *glut.;* Germ. *schluck;* Sanscr. *gal;* Ital. *inghiott;* Angl. *swallow*. Verbum *Lingere* habet semper *l* articulationem linguæ qua hæc actio exercetur: Syr. ܠܥ, ܠܚܟ, ܠܚܡ; Hebr. לחם; Arab. لطع, لحس, لَمَ, لعق, لمث; Græc. *leich.;* Lat. *ling.;* Sanscr. *lih;* Germ. *leck;* Angl. *lick;* Ital. *leccare;* Gall. *lécher*; Hispan. *lam.;* Russice *liz;* Turcice *jalam;* Pers. *lisidan*. Verbum *Spuendi* habet semper *p*, *f*, vel *b* quæ proferuntur labiis ex quibus sonus et materia sputi exeunt: Arab. تفل, بصق; Græc. *pty.;* Lat. *spu.;* Germ. *spei.;* Ital. *sput.;* Hisp. *escup.;* Pers. *taf*. Verbum *Rhonchandi* habet *r* et gutturalem: Syr. et Hebr. ܢܚܪ; Arab. شخر, نخر; Græc. *rheng.;* Lat. *rhonch.;* Germ. *schnarch.;* Angl. *snore;* Gall. *ronfl.;* Hisp. *ronc.;* Turc. خرل. Verbum *Spirare* habet dentalem et labialem: Syr. Hebr. et Arab. ܢܦܫ;

(1) Nota hic miram dispositionem qua Semitæ, in verbo *glutiendi* ܒܠܥ, exprimunt successione naturali tria organa per quæ transit res quæ glutitur; littera enim ܒ labialis denotat labia per quæ ingreditur primo res glutienda; ܠ lingualis linguam quæ deinde illam suscipit; denique ܥ gutturalis guttur ubi desinit.

Græc. *spair.*; Lat. *spir.*; Sanscr. *sprh;* Pers. *puf;* Ital. *soff.*; Gall. *soufl.* Verbum *Clamare* habet palatalem sequente linguali : Syr. Hebr. ܨܘܚ ; Arab. قرا, صرخ ; Lat. *clam.*; Græc. *craz.*; Sanscr. *cur;* Germ. *schrei.*; Ital. *grid.*; Angl. *cry.* Verbum *Ululare* habet *l* repetitum aut cum *r*: Syr. ܐܝܠܠ ; Hebr. ܗܠܠ ; Arab. ولول ; Sansc. *hulul.*; Lat. *ulul.*; Græc. *olol.*; Germ. *heul.*; Ital. *urlare*; Franc. *hurler.* Verbum *Currere* habet radicem fere semper diversam etiam in linguis ejusdem familiæ, at semper habet litteram R: Arab. ركض; Hebr. ܪܘܨ; Syr. ܪܗܛ; Græc. *trech*, *drom.*; Germ. *ren.*; Sanscr. *ranh*; Lat. *curr.*; Angl. *run* (1).

Atque hæc speciminis ergo sufficiunt, ut aliqua notio habeatur de hoc naturali fonte, in linguis Semiticis fœcundissimo, ex quo vocabula primæ necessitatis in nobilioribus mundi idiomatibus emanant.

(1) Præter has similitudinis species inter linguas Semiticas et Indoeuropæas quæ ex onomatopœa oriuntur, est alia quæ admirationem ingerit. Multæ enim sunt res naturales et notiones grammaticales quæ iisdem vocibus exprimuntur apud populos Semiticos et gentes Indoeuropæas. Liceat hic nonnulla producere : - I Lat. *Cornu*, Gr. *Ker*, Hebr. Syr. et Arab. ܩܪܢ, Germ. et Angl. *Horn.* - II Lat. *Taurus*, Gr. *Tauros*, Arab. ثور, Syr. ܬܘܪܐ, Hebr. ܫܘܪ, *Stier.* - III Lat. *Jugum.* Gr. *Zeugos*, Arab. Syr. et Hebr, ܥܘܠ, Germ. *Joch*, Sansc. *Juga.* - IV Lat. *Cribr.* Arab. غربل, Syr. ܟܪܒܠ, ܟܪܒܠܠ, Hebr. ܟܒܪܐ. - V Lat. *Saccus.* Gr. *Saccos*, Syr. et Hebr. ܣܩܐ. - VI Lat. *misc.*, Gr. *misg.*, Arab. et Syr. ܡܙܓ, Hebr. ܡܣܟ, ܡܙܓ, Sansc. *miçr*, Pers. *amikht.*, Ger. *misch.*, Polon. *mish.*, Celt. *mesk.* - VII Lat. *tura* (inusitatum pro porta, unde *obturare*), Gr. *thyra*, Germ. *thür*, Angl. *door*, Sansc. *dvar*, Pers. *dar.* Russ. *dwer*, Arab. ثغرة, Hebr. ܫܥܪ, Syr. ܬܪܥ per metathesin. Quibus adde præcipuorum animalium nomina : - I Lat. *canis*, Gr. *kyn*, Germ. *hund*, (pro *cund*), Angl. *hound*, Arab. Syr. et Hebr. ܟܠܒ (cum *l* pro *n*), Sansc. *cucura*, Turc. *copac.* - II Lat. *corvus*, Gr. *corax*, Sansc. *carava*, Arab. غراب, Syr. ܥܘܪܒܐ, Hebr. ܥܘܪܒ, Germ. *rabe.* Angl. *crow*, Pers. *cargia.* - III Lat. et Gr. *scorpius*, Arab. Syr. et Hebr. ܥܩܪܒ, - IV Lat. *catus*, Germ. *katze*, Arab. قط, Syr. ܩܛܐ,

CAPUT VII

DE VOCABULORUM SYRIACORUM TYPIS EORUMQUE FLEXIONIBUS, ET DE DERIVATIONE

130 – Quamquam Syriaca lingua communem habeat cum omnibus mundi linguis hanc proprietatem, quod vocabula certo et determinato syllabarum et litterarum radicalium debeant constare numero, quem prætrire nequeant, tamen Syriaca lingua simul ac ceteræ linguæ Semiticæ, hanc alteram habent memorabilem, præ omnibus mundi linguis, proprietatem, quod in ipsis omnia vocabula, i. e. tum nomina, tum præsertim verba, juxta certos ac determinatos *typos* formari debeant. Typus autem constat ex quadam constanti dispositione litterarum tum radicalium tum addititiarum, earumque vocalium. Unusquisque igitur typus habet suum proprium numerum litterarum radicalium, suum numerum litterarum formativarum, proprium situm quiescentium, proprium situm motarum, determinatam speciem vocalium, i. e. longarum vel clausarum. Id exemplis clarum fit. Verbum ܦܪܩ habet typum constantem tribus litteris radicalibus tantum, cujus prima quiescens est quiescentia accidentali (i. e.

Pers. *garbe*, Angl. *cat*, Ital. *gatto*, Gall. *chat*. - V Lat. *lupus*. Græc. *lycos* (cum c pro *p*), Arab. Hebr. et Syr. ܕܐܒ (cum dh pro l), Germ. et Angl. *wolf* - VI Lat. *vulp.*, Gr. *alopec.*, Arab. ثعلب, Syr. ܬܥܠܐ, Hebr. ܫܥܠ, Germ, *fuchs* (conf. *wolf* lupus). Particula negandi constat articulatione liquida *n*, vel *m* vel *l*; nam Gr. *me*, *ne*, Lat. *non*, *ne*, Germ *nicht*, *nein*, Sansc. et Pers. *na*, Arab. *la*, *ma*, Hebr. et Syr. *la*, Turc. *ma*. Interjectio: Gr. *ua*, *uai*, Lat. *vah*, *vai*, Arab. وَيْ, Syr. ܘܝ, Sansc. *vata*, Germ. *weh*, Ital. *guai*, Gall. *ouai*. Denique adjectivum relationis seu denominativum formatur per suffixum *i* (Hebr. Pers. et Angl.), vel *ij* (Arab.), vel *ic* (Lat. et Gr.), vel *isch* (Germ.) vel *aj* (Syr.), vel *li* (Turc.). Nec præterire lubet miras quasdam similitudines quæ cernuntur inter linguam Syriacam et Latinam præ Græca; ex. gr. ܟܪܝܐ *curtus*, (Pers. *cutah*, Curd. *curta*), ܬܪܢܓܘܠܐ, *gallus*, ܡܪܝܪܐ (Semit. radix) *amarus*, ܥܡܬܐ (Arab.) *amita*, ܐܘ (Semit.) *aut* ܥܠܝ (Semit.) *altus*, ܚܠܐ (Arab.) *dulc.* (coll. Græc. *glyc.*).

mota in origine vocali brevi), secunda habet vocalem clausam, tertia quiescens est. Nomen ܠܒܫܐ habet typum litteris radicalibus tantum constantem, cujus prima habet pt^h^ah^h^am, secunda geminata est et movetur per zqafam, tertia habet zqafam status emphatici. Verbi ܐܣܬܠܡ typus incipit per alaf præformativum habens rvas^s^am , deinde prima radicalis , locum taw formativi tenens euphoniæ causa, tum taw e suo loco huc amotum et vocali pt^h^ah^h^a hujus loci ornatum, tum secunda radicalis geminata et pt^h^ah^h^am habens , tum tertia radicalis quiescens.

131 – Typi verborum ac nominum sunt fere iidem in Syriaca ac in Arabica lingua, præter vocales breves quas Syri elidunt. Alteræ duæ species vocalium, i. e. longarum et clausarum inter se non commutantur, sed in eadem specie una vocalis unius linguæ in nonnullis casibus stat pro altera alterius ; in aliis casibus et species vocalis et qualitas vocalis in utraque lingua fixa est. Ex. gr. nomen ܒܪܘܐ habet in utraque lingua eundem typum litteris radicalibus tantum constantem, cujus prima radicalis et secunda possunt in Arabica lingua ambæ mobiles esse vocalibus brevibus, vel prima mobilis vocalis clausa et secunda quiescens, in Syr. autem lingua non potest prima esse nisi mobilis vocali clausa et secunda nonnisi quiescens quiescentia naturali vel accidentali; hæc autem clausa vocalis potest esse in utraque lingua vel A , vel I , vel U. At nomen ܒܬܠܐ, ex. gr. , in utraque lingua lingua habet eundem typum quod litterarum ac vocalium dispositionem atque harum vocalium speciem et qualitatem.

132 – In *flectendis* vocabulis præsertim nomini-

bus et verbis, quod est præcipuus grammatices scopus, typus non mutat formam, i. e. ordo quiescentiæ et mobilitatis perseverat, atque vocales longæ nullam subeunt mutationem; tandummodo vocales clausæ propter finalis litteræ novam motionem possunt sive situm mutare, sive elidi, sive aliam mutationem subire juxta regulas suo loco expositas.

133 - Alterum grammatices objectum est *Derivatio*, quæ est novorum typorum sive nominum, sive verborum formatio ex noto typo. Omnis derivationis fons in Semiticis linguis est verbum et quidem præteritum. Sed et non raro e nominibus, potissimum concretis, verba nova derivantur.

Hæc omnia in sequentibus libris plene patebunt ac clarescent.

MONITUM

In posterum adhibebimus alphabetum Occidentalium eorumque systema, pro utraque dialecto, nempe Syriaca Occidentali atque Orientali quoties ab invicem non discrepant: in casu discrepantiæ in textu sequemur usum Occidentalium, et in notis referemus morem Orientalium.



LIBER III

DE NOMINE



CAPUT I

DE FORMIS NOMINIS IN GENERE ET IN SPECIE

134 – Nomen Syriace ܫܡܐ dicitur. Ante omnia sciendum nomina apud Syros non declinari pro casibus, i. e. non assumere in fine diversas terminationes pro diversis casibus quos possunt habere in constructione, secus ac res se habet in linguis Græca, Latina, Arabica (1) aliisque.

134^{II} – At, quod linguæ Syriacæ proprium est, omnia nomina in hac lingua, assumunt in fine litteram alaf præcedente zqafa, quod dicitur alaf *status emphatici.* Hoc alaf respondet *tanuino* Arabum cum fath^{h}a, quamquam illud significet sæpius determinationem, hoc indeterminationem. Etenim quemadmodum *tanuin* Arabum, ita et hoc alaf Syriacum abjicitur cum sua vocali a nomine quando construitur cum alio nomine per regimen

---

(1) Ridiculos admodum ac dixerim stultos se exhibent aliqui inter Europæos Orientalistas, nomen philologorum non merentes, qui asserunt nominum declinationem in lingua Arabica esse puram fictionem recentiorum poetarum, quia non exstat in linguis Hebraica et Aramaica. Ergo eodem jure potest dici declinationem nominum in lingua Latina esse fictionem quia non exstat in linguis Romanis! Qui scientias super factorum evidentiorum negationes aut dubitationes fundare vult, eas tandem funditus destruit.

vel quando flectitur. Unde vides cuncta nomina Syriaca sive masculina sive fœminina tum singularis, tum pluralis nominis, excepto ut plurimum plurali terminationis masculinæ (1), assumere hoc alaf, scilicet habere ultimam syllabam exeuntem in A juxta modum pronunciandi Orientalium, vel in O juxta rationem efferendi Occidentalium, ut ܥܰܒ݂ܕ݁ܳܐ *servus*, ܡܰܠܟ݁ܬ݂ܳܐ *regina*, ܡܳܪ̈ܘܳܬ݂ܳܐ *Domini*. Unde vides etiam omnes species nominum quæ apud Arabes suscipiunt *tanuin*, accipere apud Syr. hoc alaf emphaticum. Cum autem *tanuin* apud Arabes triplex sit, i. e. vel cum U vel cum A, vel cum I, Syri ex his tribus unum adoptarunt quod habet A, i. e. casus obliqui quemadmodum ex duobus terminationibus quas nomen dualis numeri et nomen pluralis sani habent in lingua Arabica, retinuerunt Syri terminationem casus obliqui quæ respondet *tanuino* A.

135 – Nominum omnium, antequam alaf emphaticum assumant, typi in lingua Arabica puri repepriuntur, sive ea taw feminini careant, sive illud habeant. Si hæc nomina cum illis typis Arabicis conferas, ea reperies, ratione assumpti alaf emphatici, aliquam modificationem subire, i. e. abjicere ultimam nominis vocalem si est brevis (conf. n. 106. 5), et tunc sæpe locum habent mutationes de quibus egimus lib. II, cap. 2.

135[II] – Exstant tamen in Syriaca lingua diversa nomina quæ alaf emphaticum non assumunt. En præcipua. – I Inter nomina appellativa seu communia omnia nomina feminina quæ in jod[h] exeunt præcedente

(1) Et hoc etiam plurale habebat antiquitus alaf emphaticum, dicebatur enim, e. . gr. ܥܒ̈ܕܝܢܐ, ܒܢ̈ܝܢܐ, ܡܠܟ̈ܝܢܐ; pro ܥܒ̈ܕܝܢ. ܒܢ̈ܝܢ, ܡܠܟ̈ܝܢ. Imo etiam hodie, i.e. in Syriasmo qui dicitur litteralis, sæpe nomen habens pluralis masculini terminationem clauditur per alaf emphaticum, ut ܟܗ̈ܢܝܐ, ܥܒ̈ܕܝܐ.

pt^h^ah^h^a, ex. gr. ܐܢܘܦ (1) *pactum*, ܛܘܥܝܝܢ *error*, ܥܘܟܒܝܫ (2) *aranea*. – II Alia paucissima nomina absque ratione apparenti, ex. gr. ܦܢܘܠ *craticula*, ܦܠܩܢܘܙ (3) *locusta alba*, ܣܡܢܣ *stamen*, ܦܦܢ *capparis*, quæ omnia feminina sunt; quibus adde ܦܠܢ et ܦܠܢܝܬ *aliquis* et *aliqua* (non nominati). – III Nonnulla nomina quæ ab origine ut adverbia posita sunt, v. g. ܥܪܛܠ *nudus*, ܡܓܢ *gratis*, ܒܓܠ *statim*, ܠܡܚܣܢ *vix*, etc. – IV Plurima nomina communia exotica, ut ܬܒܝܠ (4) *orbis terræ*, ܫܝܘܠ *Inferum*, ܐܘܪܓܢܘܢ (5) *organum*, ܕܝܬܝܩܝ (6) *testamentum*. – V Omnia nomina litterarum alphabeti (7), ex. gr. ܐܠܦ, ܒܝܬ, ܗܐ, ܣܡܟܬ, etc. – VI Fere omnia nomina propria locorum, montium, fluminum, urbium, oppidorum, mensium, stellarum, etc. ex. gr. ܩܪܕܘ *Cardu* (mons quo stetit arca Noachi), ܦܪܬ *Euphrates*, ܕܩܠܬ *Tigris*, ܥܕܢ *Eden*, ܒܒܠ *Babylonia*, ܢܝܢܘܐ *Ninive*, ܕܪܡܣܘܩ *Damascus*, ܐܬܘܪ *Assyria*, ܝܗܘܕ *Judæa*, ܐܠܩܘܫ *Alcos^h^* (patria Nahum prophetæ), ܬܫܪܝܢ *Octo-*

(1) Orientales ܚܢܘܒ cum zlama leni.

(2) Hujusmodi nomina respondent in arab. ling. nominibus femininis quæ in ألف مقصورة exeunt, ut ذكرى، بشرى; quæ cum tanuinum accipere non possint, propterea et Syriaca quæ illis similia sunt alaf emphaticum respuunt.

(3) Dalat^h^ habet pt^h^ah^h^am apud Orientales.

(4) Taw habet zlamam duram.

(5) Orient. ܐܘܪܓܢܘܢ.

(6) Orient. ܕܝܬܝܩܐ.

(7) Hæc nomina antiquitus habebant alaf emphaticum, dicebatur enim ܐܠܦܐ, ܒܝܬܐ vel ܒܝܬܐ, ܓܡܠܐ, ܕܠܬܐ, etc. ut testatur lingua Græca quæ hæc nomina a Syris accepit. Cur autem Syri postea hæc nomina per gd^h^amam quæ est ipsis familiaris, mutilaverint, eaque sic mutila i. e. alaf emphatico carentia, Hebræis tradiderunt, id nemo dicere potest.

ber vel *November*, ܢܝܣܢ *Aprilis*, ܟܐܘܢ *Saturnus*, etc.

-VII Plurima nomina propria hominum (1), ex. gr. ܒܝܠ *Bel*, ܢܥܡܢ *Naaman*, ܗܕܘܕ *Hadhadh*, ܢܒܘ *Nabu*, ܡܪܝ *Mari*, ܚܒܝܒ *Hhabibus*. Sunt tamen multa cum alaf emphatico nomina propria Syriacæ originis virorum et mulierum, ex. gr. ܒܥܠܐ *Baal*, ܐܣܬܪܬܐ *Astarte*, ܫܒܐ, ܫܘܪܝܐ, ܫܡܝܢܐ, ܡܫܡܫܢܝܬܐ.

136 - Si omnia et singula Syriaca nomina rite perpendas, videbis ea, uti nomina Arabica, sequi quasdam determinatas formas, seu typos, a quibus minime recedunt. Primo nobis agendum est de numero litterarum quibus nomina componi possunt, et postea dicemus de eorundem formis.

137 - Nomina quoad numerum litterarum quibus constant, dividuntur in *bilittera* post elisionem, *trilittera*, *quadrilittera* et *quinilittera*. Singularum harum classium nomina possunt esse vel talia simpliciter seu *nuda* i. e. quæ litteris mere radicalibus constant, vel *aucta* i. e. quæ habent præter radicales alias iis superadditas. Numerus litterarum radicalium nominis apud Syros, uti apud Arabes, imo apud omnes gentes, non potest esse major quinque. Manifestum porro debet esse nos per totum hunc tractatum inter litteras quæ componunt quodvis nomen, non computare alaf emphaticum ex eo quod illud sit velut expeditio ultimæ radicalis. Advertendum autem nos hic agentes de formis seu

(1) Nomina propria Syrorum virorum et mulierum post Christianismi ortum, pauca sunt Syriacæ originis; omnia cetera aut Hebraica, aut Græca, aut etiam Persica. In ethnicismo nomina Syrorum nobis nota sunt potissimum ex inscriptionibus lapideis Palmyræ, Haurani aliorumque locorum, ex quibus habemus, ex. gr. ܙܒܝܕܐ, ܡܩܝܡܘ, ܡܥܢܐ, ܡܠܐ, ܠܓܝܫ, ܚܝܪܢܘ; ܥܓܝܠܘ.

typis nominum, Orientalium pronunciandi systema non Occidentalium considerare, quia illud aptius est ad determinandas declarandasque formas nominum (Cf. 40).

138 - Nomina *bilittera* Syriaca sunt fere eadem ac quæ apud Arabes, scilicet: ܐܒܐ (*pater*), ܒܪܐ (*filius*), ܐܚܐ (*frater*), ܕܡܐ (*sanguis*), ܫܡܐ (*nomen*), ܐܢܐ (*modus*), ܬܕܐ (*uber*), ܚܡܐ (*socer*), ܐܝܕܐ (*manus*), ܡܐܐ(1) (*centum*), ܫܬ (2) (*sex*), ܦܘܡܐ (*os*), ܐܫܬܐ (*fundus*). Quæ quidem nomina in hoc a ceteris differunt quod duabus tantum radicalibus constent, quorum posterior tantum habet motionem. Siquidem motiones quæ afficiunt initialia nominum sequentium: ܐܒܐ, ܐܚܐ, et ܐܝܕܐ adscititiæ sunt, et euphoniæ causa appositæ, ex eo quod impossibli sit alaf et jodh initialia in statu quiescentiæ efferri: proinde pthahha quam habet littera alaf in vocibus ܐܒܐ et ܐܚܐ, est *suffurata*, minime vero *plena* (n. 103). Item nomen ܐܝܕܐ erat in origine ܝܕܐ incipiens a jodh quiescente prorsus ad typum ܒܪܐ, sed euphoniæ causa, jodh assumpsit zlamam, unde factum est ܝܕ et deinceps zlama in hhvassam quæ homogenea est litteræ jodh, mutata fuit, unde tandem ܐܝܕܐ. Item ܦܘܡܐ est pro

(1) Secundum alaf nominis ܡܐܐ non est alaf status emphatici ut est in ܐܒܐ et ܫܡܐ, sed est signum feminini pro ة Arabico et ה Hebraico ut in ܥܠܬܐ (*causa*).

(2) ܫܬ est pro ܫܬ cum duplicatione taw, hocque est pro ܫܬܬ ut res se habet etiam in Arabico sermone. Duplicatio autem taw in ܫܬܐ ex hoc apparet quod taw dure pronunciatur; secus enim leniter pronunciaretur juxta regulam.

ܦܘܡܐ cum ܦ moto vocali brevi U seu ʿsˢàsˢa, quæ a recentioribus pronunciatur longa (59. 5) ut faciunt cum ܐܒܐ, ܐܚܐ. Nomen autem ܐܫܬܐ consideratur ut sine alaf sicuti est Arabicum است, quod probatur ex composito ܫܬܐܣܝܐ (*fundamentum*) quod est sine alaf. Inter nomina bilittera recensendum est ܚܕ (*unus*) et ܬܪܝܢ (*duo*).

Adverte, nomina quæ constant duabus dumtaxat litteris, quarum tamen vel prior habeat motionem *plenam*, vel posterior sit *geminata*, non esse *bilittera*, ut ܕܪܐ (*sæculum*), ܫܘܩܐ (1) (*forum*), ܪܫܐ (2) (*caput*), ܚܠܐ (*acetum*).

139 – Inter nomina bilittera plura sunt quæ habent in fine adjectam literam taw quæ est signum feminini, eaque per hoc non cessant esse bilittera, ex. gr. ܒܪܬܐ *filia*, ܚܬܐ *soror*, ܚܪܬܐ *finis*, ܐܬܐ *signum*, ܪܐܬܐ vel ܪܝܬܐ *pulmo*, ܣܐܬܐ *mensuræ species*, ܦܐܬܐ *facies*, ܡܐܬܐ *centuria*, ܐܡܬܐ *ancilla*, ܫܢܬܐ *annus*, ܣܦܬܐ *labium*, ܐܝܬܐ *essentia*, ܡܬܐ *patria*, ܬܐܬܐ *ficus*; quibus adde nomina abstracta derivata a verbis pe-jodʰ vigentibus aut mortuis ut ܝܨܦܬܐ *cura*, ܟܢܫܬܐ *conventus*, ܫܢܬܐ *somnus*, ܚܡܬܐ *ira*, a ܝܨܦ, ܟܢܫ seu ܝܫܢ, ܝܚܡ, ܝܟܢܫ, quorum tria ultima inusitata sunt. Hæc omnia nomina feminina unam radicalem litteram perdiderunt. Specialem attentionem merentur duo nomina feminina ܡܫܬܐ *propago* et ܢܟܬܐ *dolus*, quorum unumquodque unam

(1) Hic waw est signum motionis (ܘ), non vero est littera.

(2) Apud Orientales cum zlama dura ܪܹܫܵܐ

tantum radicalem litteram conservat, quorumque etymologia incerta est.

140 – Nomina *trilittera nuda*, h. e. quæ mere tribus radicalibus constant, tres dumtaxat habent formas (forma apud Syros ܐܶܣܟܺܡܳܐ (1) *schema* dicitur vel ܟܰܝܠܳܐ *mensura*.) Hæ tres formæ in hoc inter se conveniunt quod mediam quiescentem habeant, et discrepant quoad primam radicalem, quæ in prima forma habet pt^{h}ah^{h}am, ex. gr. ܩܰܒܪܳܐ (*sepulcrum*); in secunda forma habet zlamam lenem, ex. gr. ܡܶܠܚܳܐ (*sal*); in tertia habet ʿs^{s}âs^{s}am, ex. gr. ܩܽܘܕܫܳܐ(2) (*sanctum*). Totidem formas nomina trilittera *nuda geminata*, i. e. quæ constant duabus litteris, quarum tamen secunda geminatur (apud Orientales). Exemplum 1^{æ} formæ cum pt^{h}ah^{h}a ad primam radicalem ܕܰܕܳܐ (*patruus*); exemplum 2^{æ} formæ cum zlama ad primam ܫܶܢܳܐ (*dens*); exemplum 3^{æ} formæ cum ʿs^{s}âs^{s}a ܚܽܘܒܳܐ (*dilectio*). Item dicendum de *trilitteris nudis concavis*, quæ scilicet constant duabus litteris consonantibus, quarum prior tamen habeat motionem productam quam sequitur mater lectionis vel expressa vel subintellecta, quæ quidem motio producta ad primam consonantem vel est zqafa ܳ cum qua mater lectionis latet plerumque subintellecta, ut ܠܶܒܳܐ (*cor, animus*); vel h^{h}vas^{s}a cum qua copulatur aut jod^{h}, ut ܕܺܝܢܳܐ (*judicium*), aut alaf, ut ܥܺܐܕܳܐ (*festum*), aut mater lectionis latet subintellecta, ut ܪܺܫܳܐ (*caput*); vel motio producta est ʿs^{s}âs^{s}a conjuncta constanter cum waw, ex. gr.

(1) Apud Orientales cum zlama dura.

(2) Non computatur waw quia est signum motionis (ܽ).

ܪܘܚܐ (*spiritus*). Eadem *trilittera nuda concava* possunt habere pro media radicali waw vel jod^d præcedente pt^hah^ha, i. e. diphthongus ut dicunt Europæi, ex. gr. ܨܘܡܐ (*jejunium*), ܟܝܠܐ (*mensura*). Tres quoque formas habent nomina *trilittera nuda defectiva* seu *imperfecta* lamad^h quæ scilicet pro tertia radicali aut waw, ut ܫܦܘܐ (*serenum*), ܚܙܘܐ (*adspectus*), aut jod^h habent, ut ܛܒܝܐ (*dorcas*), ܫܒܝܐ (*captivitas*), ܓܘܪܝܐ (*catulus*). Huic classi trilitterorum subjungi possunt trilittera nuda hamzata, ut ܩܪܐ (*cucurbita*), ܟܣܐ (*plerilanium*), ܣܘܓܐܐ (*multitudo*).

141 – Trilittera nuda Syriaca ob causas quas præcedenter exposuimus (n. 102 et 104), nequeunt alias præter has tres habere formas, nimirum, ex eo quod Syri supprimere soleant vocales breves, fit ut apud ipsos non habeant locum formæ trilitterorum Arabicæ quæ utramque radicalem, h. e. primam et secundam mobilem præseferant, nempe formæ sequentes فَعَل, فُعُل, فَعِل, فَعُل, فِعِل, فُعَل, et فِعَل; sed tres prædictæ formæ Syriacæ conplectuntur cunctas decem formas Arabicas. Porro notandum est non deesse in Syriaca lingua indicium quod virtualiter, ut ajunt, existant in ea formæ trilitteræ habentes duas primas radicales mobiles, nempe cum tertia radicalis est una ex litteris ܒܓܕܟܦܬ, tunc enim, si forma nominis Arabici respondentis, hujusmodi nomini Syriaco habeat secundam radicalem mobilem, tertia illa radicalis nominis Syriaci fit *lenis* per ܪܘܟܟܐ ex. gr. ܒܪܕܐ (*grando*), ܕܗܒܐ (*aurum*), quod argumentum evidens est litteram quæ præcedit illam tertiam fuisse

mobilem, secus enim tertia illa radicalis debuisset esse *dura* per ܦܘܫܩܐ, quod proprium est litteræ mobili post quiescentem.

142 – Eædem tres formæ Syriacæ nominum trilitterorum nudorum comprehendunt etiam nomina trilittera nuda *aucta* a fine cum littera taw formativa fœminini. Exempla formæ habentis pthahham ad primam radicalem, ex *nominibus sanis* ܚܪܒܬܐ (*hasta*); ex *geminatis* ܓܢܬܐ (*hortus*); ex *concavis* ܚܘܒܬܐ (*delictum*) ܣܒܬܐ (*vetula*), ܐܝܠܬܐ (*cerva*); ex *imperfectis in lamadh* ܚܕܘܬܐ (*gaudium*). Exempla formæ habentis zlamam ad primam, ex *sanis* ܚܟܡܬܐ (*sapientia*); ex *geminatis* ܥܠܬܐ (1) (*causa*); ex *concavis* ܣܝܥܬܐ (*cœtus*); ex *imperfectis in lamadh* ܦܢܝܬܐ (pro originali ܦܢܝܬܐ cum jodh quiescenti) (*latus*), ܨܒܘܬܐ (pro originali ܨܒܘܬܐ) (*negotium, res*). Exemplum tertiæ formæ habentis ssâssam ad primam, ex *sanis* ut ܢܘܫܩܬܐ (*osculum*); ex *geminatis* ܩܘܠܬܐ (*amphora*); ex *concavis* ܨܘܪܬܐ (*imago*). Idem teneto de nominibus trilitteris hamzatis ܫܐܠܬܐ (*interrogatio*).

143 - Sciendum est in nominibus trilitteris nudis assumentibus litteram taw servilem, sæpenumero elidi unam ex radicalibus ut supra (n. 139) vidimus. Interdum hujusmodi nomina derivata a radicibus diversis, nempe *geminata*, *concava* et *elisa* posse videri

---

(1) Hic geminatio tollitur, ne producat vocalem brevem, quam non fert lingua Syriaca (n. 102).

unius ejusdemque speciei, cum tamen res non ita se habeat. Sic v. g. ܟܠܬܐ (*sponsa*) ortum est a ܟܠܠ et proinde est geminatum; ܪܫܐ (*caput*) est concavum; ܒܪܬܐ (*filia*) in quo elisa fuit una ex radicalibus. Ad dignoscendam radicem plurimum juvat hæc nomina cum typis Arabicis respondentibus conferre.

144 – Præterea nomina trilittera nuda in assumendo taw feminini, subeunt quandoque modificationem quamdam, inde acquirunt novas formas præter tres supra expositas: scilicet vel transfertur motio a prima radicali ad secundam v. g. ܫܘܬܦܬܐ (*socia*), ܦܠܓܬܐ (*latus*), vel retinetur motio ad primam radicalem, sed adjicitur etiam secundæ, euphoniæ causa, aliqua motio, v. g. ܕܒܚܬܐ (1) (*sacrificium*), ܕܡܥܬܐ (1) (*lacrima*) vel servatur motio ad primam, sed insuper tertiæ radicali, quando nempe est littera infirma, additur motio ipsi affinis, v. g. ܚܕܘܬܐ (*gaudium*).

145– Hactenus de principalioribus formis trilitterorum *nudorum*. Trilittera autem *aucta* sunt ea quæ radicalibus habent unam vel plures litteras additas. Quæ additio tribus modis fit, nimirum vel per duplicationem unius ex radicalibus, vel per productionem motionis unius earum, vel denique per additionem unius vel plurium litterarum exterarum ad radicales nominis.

146 – Augetur ergo nomen per productionem motionis unius ex radicalibus, nempe unam ex vocalibus longis h. e. vel zqafam, vel h^hvas^{s}am, vel ϵs^{s}as^{s}am; augetur vero per duplicationem radicalis nempe geminando unam ex radicalibus post vocales pt^{h}ah^{h}am,

(1) Orientales tamen movent secundam radicalem per mhagjanam.

rvas^s am vel rwah^h am : inde oriuntur formæ nominum auctorum quæ differunt a formis *nudorum*, quorum præcipuæ quæ scilicet per productionem vocalis vel per geminationem formantur sunt sequentes :

I – فَعْل Addito in fine alaf emphatico, tollitur geminatio una cum pt^h ah^h a secundæ radicalis (v. n. 102), v. g. ܣܟܪܐ (*clipeus*), ܟܟܪܐ (*talentum*), quæ in origine erant ܣܟܪ et ܟܟܪ ; adde ܐܡܪܐ *agnus*, ܨܘܪܐ *collum*, quæ similiter habent mediam litteram virtualiter geminatam. Hujusmodi forma assumendo taw feminini reaquirit pristinam geminationem secundæ cum pt^h ah^h a ei adnexa, v. g. ܐܓܪܬܐ (*epistola*), ܫܫܠܬܐ (1) (*catena*).

II – فِعّل Cum geminatione lamad^h post ptah^h am vel zlamam ad ʿain, suppressa tamen notione primæ radicalis juxta dicta (n. 102), ex. gr. ܦܠܓܣܐ (*tympanum*), ܦܪܓܐ (*milium*), ܦܪܟܐ (*idolorum fanum*), ܐܦܠܐ (*tripos*), ܦܪܘܪܐ (*bacca*).

In hujus formæ nominibus habentibus in fine *taw* fœminini, tollitur geminatio (n. 102), ex. gr. ܫܩܩܬܐ (*platea*) cujus originale est ܫܩܩܬܐ.

III – فاعل In qua quiescit secunda radicalis, quando nomen assumit alaf emphaticum. Ex. gr. ܥܙܩܐ (*annulus*), ܟܘܡܪܐ (*sacerdos*), ܥܠܡܐ (*mundus*). Attamen euphoniæ causa reapparet motio secundæ radicalis in nominibus hujus formæ cum assumunt taw feminini, ex. gr. ܩܘܡܬܐ (*monumentum*), ܦܩܪܬܐ (*os dorsi*).

(1) Occidentales efferunt s^h in cum h^h vas^s a.

IV – فَعال Cujus prima semper apud Syros quiescit. Exempla: ܫܢܢܐ (*cuspis hastæ*), ܫܠܡܐ (*pax*), ܓܘܡܐ (*montis radix*), ܥܝܕܐ (*usus, mos*); nisi prima radicalis sit alaf vel jod^h, tunc assumit motionem (Conf. n. 104), ut ܐܩܕܐ (*cervical*), ܐܝܡܡܐ (*dies*). Interdum alaf initiale otiatur in pronunciatione tantum, ex. gr. ܐܢܫܐ (*homines*). Exempla hujus formæ cum taw fœminini: ܫܦܘܠܬܐ (*ima pars rei*), ܒܝܬܘܬܐ (*supellectile domus*), ܡܫܘܚܬܐ (*mensura*).

V – فَعيل In qua abjicitur vocalis primæ radicalis, (n. 102), ex. gr. ܩܛܝܠܐ (*occisus*), ܣܢܝܐ (*exosus*); in nominibus tamen quæ habent pro prima radicali alaf vel jod^h, vocalis primæ apparet, ex. gr. ܐܒܝܠܐ (*tristis*), ܝܠܝܕܐ (*natus*). Conf. n. 104. Exemplum ejusdem formæ cum taw fœminini: ܦܝܢܟܬܐ (*patina*).

VI – فَعول In qua eliditur vocalis primæ radicalis (n. 102). Ex. gr. ܙܥܘܪܐ (*parvus*), ܥܒܘܪܐ (*frumentum*). Exemplum cum taw fœminini: ܢܩܘܒܬܐ (*granum perforatum*).

VII – فَعّال Exempla ܦܕܢܐ (*aratrum*), ܡܠܚܐ (*nauta*), ܟܢܪܐ *cithara*), ܣܡܠܐ (*sinistrum*), ܒܘܨܝܐ (*perquisitio*), ܩܘܪܒܐ (*missa*).

VIII – فَعّيل Exempla ܣܟܝܢܐ (*culter*), ܩܕܝܫܐ (*sanctus*).

IX – فَعّول Exempla ܦܪܘܓܐ (*pullus*), ܚܙܘܪܐ (*malum*).

X - فِعُّول Exempla ܕܒܘܪܐ *(apis)*.

XI - فاعال Exempla ܣܛܢܐ *(satanas)*, ܕܓܠܐ *(filamenta palmæ.*

XII- فاعول Exempla ܡܒܘܥܐ *(profluvium)*, ܡܥܘܢܐ *(obolus)*.

XIII - فاعِيل Exempla ܡܗܝܡܢܐ *(eunuchus)*, ܟܢܝܓܐ *(jugum textoris)*.

XIV - فيعال Exempla ܕܝܢܪܐ *(denarius)*, ܩܝܬܪܐ *(cithara)*.

XV - فِيعُول Exempla ܫܝܦܘܪܐ *(tuba)*.

XVI - فوعِيل Exempla ܩܘܪܝܛܐ *(cucumis)*.

Singulis istis formis respondent totidem formæ fœmininæ desinentes in taw.

147- Alio modo augentur nomina trilittera nuda nempe addendo radicalibus unam vel plures ex litteris servilibus, quæ sunt : ܐ, ܗ, ܘ, ܝ, ܡ, ܢ, ܣ, ܫ, ܬ. Aliquando coincidunt in uno nomine *aucto* ambo modi explicati incrementi, v. g. ܡܫܫܘܬܐ *(tempestas maris)* in quo mim additum fuit juxta istum secundum modum, et waw juxta primum. Fit incrementum quoque per repetitionem unius ex radicalibus, v. g. ܦܬܝܬܘܬܐ *(buccella)*, ܙܗܪܝܪܐ *(radius)*. Mediantibus igitur istis litteris incrementi quarum una vel plures radicalibus superadduntur, ortum ducunt novæ formæ, quæ constant litteris quarum numerus variat a quinque usque ad decem, partim radicalibus partim superadditis.

148-Nomina autem quadrilittera, vel quinilittera pleraque ad formas trilitterorum *auctorum* reducuntur, quin imo pleraque quadrilittera nuda a trilitteris nudis

deducta sunt, addita una littera servili sine certa lege ad sensum quemdam particularem exprimendum. Supervacaneum esset hic plenius de hisce agere, aut singulas formas adducere quadrilitterorum, ac quinilitterorum sive *nudorum* sive *auctorum*, vel trilitterorum *auctorum* sive per alterutrum modum incrementi sive per utrumque simul. Barhebræus in sua grammatica dicta ܨܡ̈ܚܐ recenset omnium nominum Syriacorum diversas formas, incipiens a nominibus bilitteris et finem faciens ad nomina quæ constant undecim litteris, et a monosyllabis ad nomina quinque syllabas habentia, nullam distinctionem faciens inter radicales et additas litteras, imo reputans inter nominis litteras alaf, waw et jodh, quæ reapse non inserviunt nisi ad vocalem producendam, et promiscue inter radicales computans taw feminini nec non alaf emphaticum (1), quo numerus variarum formarum nominum attingit centum et duas formas ab invicem distinctas quoad numerum syllabarum et litterarum earumdemque ordinem, quarum brevior est ܕܡܐ *(sanguis)*, longior vero est ܡܬܓܠܝܢܘܬܐ *(apparitio)*.



(1) Facile patet Barhebræum hoc modo violasse principia grammaticalia ling. Semit. et cum eis Syr. communia: nemo enim ex omnibus qui naturam linguarum Semit. omnino non ignorant, non videt clare, v. g. ܫܢܬܐ non esse ejusdem formæ ac ܫܡܝܐ, nec ܟܠܬܐ ac ܟܐܦܐ, nec ܡܫܡܫܢܐ (a ܫܡܫ) ac ܫܒܪܐ, nec ܡܫܬܡܫܢܐ ac ܫܡܫܢܐ.

CAPUT II

DE GENERE NOMINIS

149 – Nomen apud Syros est vel masculinum vel femininum. Feminini signum est littera servilis nomini suffixa seu adhærens in fine; sive taw, ex. gr. ܩܪܝܬܐ *pagus*, ܨܠܘܬܐ *oratio* (ad Deum), ܛܠܝܬܐ *puella*; sive jod[h] quiescens post pt[h]ah[h]am, respondens TΩ alaf Arabum ut in دنيا, طغوى, ذكرى; id tamen non habet locum in Syriaca lingua nisi in paucissimis nominibus, quorum hæc sunt præcipua: ܛܥܝܝ *error*, ܥܟܘܒܝ *aranea*, ܛܘܫܝ *occultum*, ܬܘܝ (1) *pactum*, ܐܠܘܝ (2) *aloe*. Littera hæc servilis taw vel jod[h] quæ femininum significat, debet esse non radicalis, nam radicalis non efficit nomen femininum, ex. gr. ܒܝܬܐ *domus*, ܩܠܐ *echo*, ܨܒܬܐ *ornatus*, ܪܬܝܬܐ (3) *tremor*, ܕܘܥܬܐ *sudor*, ܫܘܚܬܐ *rubigo*, ܦܚܬܐ *forea*, item ܫܘܚܠܝ *abjectus*, quæ omnia masculina sunt. Aliquando in Syriaca lingua nomen masculinum assumit taw in fine non ut signum fœminini sed ad emphasin seu vehementiam significandam, ut ܡܘܕܥܬܐ *familiaris*, ܡܘܪܘܬܐ *cognatus hæres*. Multa tamen nomina nullum signum habentia feminina sunt. Hujusmodi sunt – I Omnia nomina litterarum alphabeti, ut ܐܠܦ *alfa* ܒܝܬ *beth*, etc. – II Omnia nomina

(1) Orientales ܬܘܼܝ cum zlama.

(2) Orientales ܐܠܘܼܝ cum zlama.

(3) Apud Orientales zlama fortis pro h[h]vas[s]a; minus recte, nam in dialecto Chaldaica dicitur ܪܬܝܬܐ cum i: aliunde non apparet ratio probabilis zlamæ fortis in nomine hujusmodi formæ.

urbium et regionum, ut ܐܘܪܗܝ *Edessa*, ܨܗܝܘܢ *Sion*, ܐܬܘܪ *Assyria*, ܒܒܠ *Babylonia*, ܣܘܪܝܐ *Syria*. — III Quædam nomina communia, quæ hic ordine alphabetico digesta exhibemus, quibus addimus nomina quæ in jodh de quo supra, terminantur, ad memoriæ adjumentum.

ܐܓܢܐ lagena, hydria	ܐܣܛܠܐ pallium
ܐܕܢܐ auris	ܐܣܦܘܓܐ (1) spongia
ܐܘܪܕܥܐ rana	ܐܣܦܝܪ (2) cohors
ܐܘܪܚܐ via	ܐܣܛܪ stater
ܐܝܕ manus	ܐܦܬܪ (3) indigestio stomachi
ܐܚܢ olla	ܐܪܢܒܐ lepus
ܐܟܕܢܐ vipera	ܐܪܥܐ terra
ܐܣܛܘܐ porticus	ܐܫܟܐ testiculus
ܐܠܥܐ costa	ܐܫܬ (4) profunditas
ܐܠܦܐ navis	ܐܬܢܐ asina
ܐܣܛܐ tapetum	ܒܐܪ (5) puteus
ܐܢܦܘܪ oblatio	ܒܘܪܟܐ genu
ܐܦܥܐ hyæna	ܒܥܝܪ quadrupes

(1) Cum gamal geminata.

(2) Cum zlama dura ad pe.

(3) Nonnulli Occidentalium movent taw per zqafam quod correctius videtur, nam nomen est Græcum ΦΘΟΡΑ quod habet Ο post Θ; et cum fœmininum sit, ideo Syriacum est etiam fœmininum.

(4) Taw hic est littera radicalis.

(5) Cum zlama forti et sine alaf.

ܒܩܐ culex

ܒܩܪܐ boum grex

ܓܗܢܐ (1) Gehenna

ܓܘܓܒ aranea

ܓܘܕܐ chorus

ܓܘܢܝܐ angulus

ܓܘܙܠܐ conceptaculum

ܓܘܠܩܐ saccus

ܓܠܓܠܐ carrus

ܓܪܒܝܐ auster

ܕܒܘܪܐ (2) apis

ܕܒܐ ursa, musca

ܕܘܢܒܐ cauda

ܕܝܬܐ milvus

ܕܦܢܐ latus

ܗܘܠܐ substantia

ܗܝܘܠܐ elementum

ܗܘܡ abyssus

ܘܐܠܐ velum

ܙܩܐ uter

ܚܒܠܒܠܐ nomen plantæ

ܚܘܪܟܐ ciconia

ܚܢܟܐ mandibula

ܚܨܪܐ digitus minimus

ܚܩܠܐ ager

ܛܘܥܝܝ error

ܛܘܫܝܝ occultatio

ܛܝܡܐ pretium

ܛܝܪܐ volatilia

ܛܦܪܐ unguis

ܝܘܢܐ columba

ܝܡܝܢܐ dextera

ܝܪܘܪܐ hylax

ܟܘܐܠܐ arca

ܟܐܦܐ lapis

ܟܒܕܐ jecur

(1) Cnm zlama forti ad Gamal.

(2) Cum rwahha.

ܩܘܕܒ nycticorax

ܩܘܛܝܢܐ tunica

ܟܝܡܐ pleiades stellæ

ܟܟܪܐ talentum

ܟܢܦܐ ala

ܟܢܦ ܚܫܝܫܒ struthio camelorum genus

ܟܦܐ manus

ܟܪܛܝܣܐ charta

ܟܪܣܐ venter

ܟܬܦܐ humerus

ܠܓܝܘܢܐ (1) legio

ܠܘܚܐ tabula

ܠܓܢܐ lagena

ܡܓܠܐ falx

ܡܘܒܠܐ onus

ܡܘܫܬܐ vacca

ܡܠܚܐ sal

ܡܢܐ nummus

ܡܒܥܐ fons, scaturigo aquarum

ܢܘܪܐ ignis

ܢܦܫܐ anima

ܢܩܝܐ ovis

ܣܐܬܐ mensura

ܣܫܪܘܢ stamen

ܣܟܝܢܐ cultrum

ܣܟܪܐ clypeus

ܣܠܘܝ coturnix

ܣܡܠܐ sinistra

ܣܦܣܪܐ (2) gladius

ܣܦܪܐ (3) epistola

ܟܘܫܐ crinis tortus

ܟܘܪܐ atomus

(1) Cum rwah[h]a et zlama forti ad secundum semcat[h].

(2) Cum ܦ leni.

(3) Frequenter ܣܦܪܐ in codicibus Syrorum Orientalium generis masc. occurrit.

ܥܰܝܢܳܐ oculus, fons aquarum

ܥܰܛܡܬܳܐ femoris superior extremitas

ܥܰܠܥܠܳܐ ventus vehemens

ܥܰܠܘܰܝ (1) aloes

ܥܳܢܳܐ pecus

ܥܢܳܢܳܐ nubes

ܥܢܽܘܬܳܐ juba equi

ܥܢܳܦܳܐ germen

ܥܶܩܒܳܐ calx pedis

ܥܰܪܣܳܐ solium

ܥܰܪܦܶܠܳܐ nebula

ܦܕܳܢܳܐ aratrum

ܦܠܓܳܐ tympanum

ܦܣܳܐ sors

ܦܕܢܬܳܐ idolorum fanum

ܦܬܓܡܳܐ epistola

ܨܶܦܪܳܐ passer

ܨܽܘܪܳܐ olla ferrea

ܩܽܘܦܕܳܐ herinaceus

ܩܛܪܬܳܐ pharetra

ܩܰܠܡܬܳܐ pediculus

ܩܰܠܦܶܢܘܙ locusta alba alis destituta

ܩܰܣܛܳܐ urceus

ܩܦܰܪ capparis

ܩܰܪܢܳܐ cornu, tuba

ܩܰܪܩܽܘܪܳܐ navis parva

ܩܰܪܩܶܠ harpago

ܪܶܓܠܳܐ pes

ܪܽܘܡܚܳܐ hasta

ܪܽܘܟܢܳܐ malva

ܪܽܘܥܬܳܐ (2) spuma

ܪܚܳܝܳܐ mola

ܪܶܟܫܳܐ equorum multitudo

ܪܶܡܟܳܐ grex, armentum

ܫܽܘܚܬܳܐ rubigo

ܫܽܘܫܦܳܐ sudarium

ܫܶܢܝܳܐ grex suum

ܫܝܘܠ inferum

(1) Orientales ܥܰܠܘܳܝ cum zlama.

(2) Taw consideratur ut radicale.

ܫܠܕܐ cadaver — ܬܘܠܥܐ vermis
ܫܢܐ dens — ܬܝܡܢܐ auster
ܫܪܐ umbilicus — ܬܘܒ pactum
ܬܐܒܝܠ mundus, orbis terræ — —

150 – Insuper feminina sunt omnia nomina originis Græcæ, quæ habent terminationem in alaf præcedente pt^h^ah^h^a, vel alaf aut jod^h^ præcedente hvas^s^a (h. e. zlama dura apud Syros Orientales), ex. gr. ܟܐܡܐ (1) (pulpitum), ܐܘܣܝܐ (1) (essentia), ܕܝܐܬܝܩܝ (2) (fœdus), ܐܢܢܩܝ (3) (necessitas); item nomina quæ terminantur in ܝܣ, ex. gr. ܐܦܘܦܐܣܝܣ (sententia), ܒܐܣܝܣ (basis). Nonnunquam nun est pro semcat^h^, ut ܣܝܪܝܢ (Syren). Notandum nomen ܚܡܬܐ (ira) femininum esse quamvis videatur ipsius taw radicale esse, cum reapse originem habeat a ܚܡܐ vel ܝܚܡ inusitato (quod tamen exstat in dialecto Babylonica dicta Chaldaica), quemadmodum ܪܘܚܬܐ est a ܪܘܚ. Taw igitur in ܚܡܬܐ est signum feminini. Deinceps Syri considerarunt taw in ܚܡܬܐ ut radicale, et inde formarunt verbum ܚܡܬ et cetera derivata. Item in nomine ܩܫܬܐ (arcus), taw est signum feminini quanquam videatur esse radicale. Est enim pro ܩܘܫܬܐ, cujus diphthongus soluta est in rwâh^h^am et inde nomen evasit ܩܘܫܬܐ cujus rwah^h^a postea muta-

(1) Mim habet zqafam.
(2) ܕܝܐܬܝܩܝ.
(3) Qof habet zlamam duram.

ta est in zlamam lenem vel forsitan principio in zlamam duram et deinceps in zlamam lenem.

151 — Exstant nomina communia scilicet quæ possunt vel ut masculina, vel ut feminina adhiberi; quorum hæc sunt præcipua:

ܐܐܪ aer	ܢܘܢܐ piscis
ܐܝܠܐ cervus	ܣܗܪܐ luna
ܐܦܕܢܐ palatium	ܣܣܐ tinea
ܐܫܛܪܐ syngrapha	ܥܪܕܐ onager
ܓܡܠܐ camelus	ܦܠܓܐ phalanx
ܕܘܥܬܐ sudor	ܨܒܥܐ (1) digitus
ܕܝܪܐ (1) monasterium	ܨܚܚܐ exemplar
ܕܫܢܐ (2) donum	ܡܢܪܬܐ lucerna
ܚܡܪܐ asinus	ܪܘܚܐ spiritus
ܩܪܒܐ (1) lancea, bellum	ܪܩܝܥܐ firmamentum (cœli)
ܛܘܡܣܐ tomus, epistola	ܪܬܝܬܐ tremor
ܓܘܕܐ agmen, turba	ܫܒܝܠܐ semita
ܝܬܐ (1) essentia	ܫܡܝܐ cœlum
ܠܡܦܐܕܐ lampas	ܫܡܫܐ sol
ܛܝܢܐ lutum	ܫܓܘܪܐ ossum mortui
ܡܕܢܚܐ (1) Oriens	ܬܡܪܐ palpebra
ܡܥܪܒܐ (1) Occidens	ܬܩܐ vagina

(1) Hoc nomen reguraliter est femininum. (2) Orientales pthah ham pro zqafa.

Notandum vocabulum ܡܠܬܐ (verbum) si dicatur de 2ª persona Sanctissimæ Trinitatis esse masculinum, secus femininum esse. Item vocabulum ܬܫܡܫܝ cum terminatione in jod[h] præmissa h[h]vas[s]a esse fem. sing., cum terminatione vero in alaf prævia zlama et præfixo signo *siame*, esse mascul. plural. Porro in usu prævalet quoad omnia hæc ambigua nomina genus masculinum feminino, h. e. regulariter et generaliter adhibentur tanquam masculina, raro autem et per exceptionem usurpantur uti feminina.

CAPUT III

DE DUALI ET PLURALI

152 – Dualis qui in primitiva lingua Semitica (1) certe existebat, quemque Arabes servarunt, a Syrorum lingua excidit(2), si excipias perpauca nomina quæ vere dualia sunt et habent desinentiam dualis *nasbati* Arabum, h. e. desinunt in jod[h] et nun præcedente zlama dura (ܝܢ), quæque sunt hæc : ܬܪܝܢ *(duo)*, ܬܪܬܝܢ *(duæ)*, ܡܐܬܝܢ *(ducenti)*, ܡܨܪܝܢ *(Ægyptus)*. Præter hæc nomina, dualis ordinarie per pluralem præmisso numerali ܬܪܝܢ *(duo)* masculino generi, et ܬܪܬܝܢ *(duæ)* fœminino, exprimitur, ex. gr. ܬܪܝܢ ܓܒܪܝܢ *(duo viri)*, ܬܪܬܝܢ ܢܫܐ

(1) Mirum est, novos philologos quorum maximum programma est omnia vetusta negare vel saltem de iis dubitare, negare linguam Semiticam archetypum habuisse dualem, cum tamen de linguis Indo-Europæis id denegare non audeant quamquam in paucis linguis illius familiæ existat dualis.

(2) Dualis in nulla dialecto Aramaica regularis existit nisi in Chaldaismo, ut dicitur, biblico; ejusque forma est ut terminetur nomen littera nun præcedente zlama dura.

(duæ mulieres). Hebræi autem dualem in nominibus non vero in verbis retinuerunt, etsi raro extra casum exprimendi membra animalis gemella eum adhibeant. Videtur nihilominus dualis in usu extitisse apud Syros tempore quo elaborata fuit versio S. Scripturæ Syriaca dicta *simplex* (ܦܫܝܛܬܐ). Testis est locus IV Reg. caput VII. v. 1, ubi sermo est de uno modio, deinde de duobus modiis per hæc verba: ܘܬܪܬܝܢ ܣܐܬܝܢ ܣܥܪܐ ܒܡܬܩܠܐ «et duo modii hordei statere uno»; sed videtur amanuenses lapsu temporis pro ܬܪܬܝܢ cum zlama perperam legisse ܬܪܬܝܢ cum hʰvasˢa, uti habetur hodie.

153 – Pluralis designatur orthographice per duo puncta quæ a Syris *siame* (ܣܝܡܐ) dicuntur, de quo supra. Formatur autem nomen plurale a singulari ad alterutrum typum pluralis; quorum prior est proprius masculini generis et habet terminationem in alaf præcedente zlama, ex. gr. ܪܝܫܐ *(caput)*, plur. ܪ̈ܝܫܐ *(capita)*. Posterior est proprius generis feminini, et desinit in taw, quam præcedit A longum quæ quidem forma respondet formæ Arabicæ plur. feminini dicti sani ut in حيات, hac tamen differentia quod Syri loco alaf Arabici substituant vzqafam, quam quidem Hebræi et Syri Occidentales veluti O efferunt dicendo v. g. ܒܢ̈ܬܐ *(filiæ) bnotʰ*, non *bnatʰ*.

154[I] – Igitur a nominibus desinentibus in alaf non præcedente littera taw feminini, sive sint masculina, sive feminina, formatur pluralis regulariter per conversionem zqafæ quæ præcedit alaf, in rvâsˢam. Ex. gr. ܟܬܒܐ *(liber)*, pl. ܟܬ̈ܒܐ *(libri)*; ܥܝܢܐ *(oculus)*, pl. ܥܝ̈ܢܐ

(oculi) (1). A nominibus vero femininis desinentibus in taw quam sequitur alaf, formatur pluralis regulariter movendo tantum litteram quæ præcedit taw per zqafam, ceteris intactis relictis, ex. gr. ܣܳܒ݂ܬܳܐ *(vetula)*, ܣܳܒ݂ܳܬ݂ܳܐ *(vetulæ)*.

154[II] – Sunt tamen nomina quæ in lingua Syriaca non formant numerum pluralem, suntque: – I° Omnia nomina propria masculina et feminina. – II° Omnia nomina quæ alaf emphaticum non possunt habere, ut ܬܒܝܠ *orbis terræ*, ܫܝܘܠ *inferum*, ܐܘܟܝܢ *absconditum*. Excipe Græca, de quibus postea, et nonnulla litterarum alphabeticarum nomina quæ juxta regulam per zlamam

(1) Ita formatur pluralis nominum taw feminini carentium in dialectis Assyriæ et Tur-Abdin. In dialectis autem Chaldaica, Mandaitica, Ma'lulana et Samaritana, hæc nomina pluralia fiunt affigendo nomini singulari jodh duplicatum, motum per zqafam præcedente pthahha, ex. gr. ܟܬܒ̈ܝܢ, ܡܠܟ̈ܝܢ. Attamen in dialecto Chaldaica, non raro horum nominum pluralis formatur ut in lingua litterali, sed pro alaf scribitur jodh, ܟܬܒܝܢ, ܡܠܟܝܢ, pro ܟܬ̈ܒܐ, ܡܠ̈ܟܐ. In Matlula autem duplicatio omittitur, et pthahha convertitur in zqafam, pronunciant enim ex. gr. ܟܬܒ̈ܝܢ, ܡܠܟ̈ܝܢ, aut per truncationem ܟܬܳܒ݂ܳܐ, ܡܠܟ̈ܐ cum productione duplici quæ arabice dicitur مدّ الألف, quod idem est ac accentus Italorum, ex. gr. in *bontà, andò.*

Huc referendum nomen Matlulanum *khuppo spinæ* non *spina*, quod Syriologus R. Duval in *Journal Asiatique* (an. 1879, n. 3) putavit nomen singulare esse et inde perperam concludit nomina in illa dialecto in singulari exire vel in a vel in o. Nomen *khuppo* vel *khuppoja* ܟܘܒܝܢ est purum Syriacum ܟܘ̈ܒܐ in quo caf pronunciatur cum ruccakh et b ut p juxta morem illius gentis (v. quæ diximus de hac dialecto in Prolegomenis cap. II).

pluralem formant, ut ܐܘܪܐ , ܚܘܪܐ . – III° Nomina abstracta quæ rationem pluralis non possunt habere, ex. gr. ܫܬܩܐ *silentium*, ܓܘܚܟܐ *risus*, ܡܣܟܢܘܬܐ *paupertas*. – IV° Alia nomina appellativa masculina vel feminina, de quibus postea.

155 – Nomina autem Syriaca in formatione pluralis sæpe aliquam mutationem patiuntur, et primo quidem nomina taw feminini non habentia. Quapropter hic pro pluralis numeri formatione a nominibus taw fem. carentibus, sequentes præcipuos canones tradimus:

I° – Quodvis nomen non habens taw feminini (et sic in reliquis sequentibus canonibus) trilitterum *nudum* terminatum in jod^h ante alaf emphaticum et habens ad primam radicalem vocalem pt^hah^ham, et secundam quiescentem, fit plurale per solam transpositionem pt^hah^hæ a prima ad mediam litteram, ex. gr. ܓܕܝܐ (*hædus*), pl. ܓܕܝܐ ; ܓܒܝܐ (*electus*), pl. ܓܒܝܐ ; ܕܟܝܐ (*purus*), pl. ܕܟܝܐ ; ܦܐܝܐ (*venustus*), pl. ܦܐܝܐ cum pt^hah^ha ad alaf, et sic ܥܐܝܐ (*augustus*), pl. ܥܐܝܐ. Excipiuntur tamen sequentia nomina : ܐܘܝܐ (*concors*), pl. ܐܘܝܐ; ܐܪܝܐ (*leo*), pl. ܐܪܘܬܐ ; ܛܠܝܐ (*puer*), pl. ܛܠܝܐ ; ܩܨܝܐ (*fragmentum*), pl. ܩܨܝܐ; ܚܕܝܐ (*pectus*), pl. ܚܕܝܐ et ܚܕܘܬܐ; ܩܪܝܐ (*frigus*), pl. ܩܪܝܐ ; ܩܢܝܐ (*canna*) pl. ܩܢܝܐ et ܩܢܘܬܐ ; ܡܚܛܝܐ (*acus grossior*), pl. ܡܚܛܝܐ ; ܪܚܝܐ (*mola*), pl. ܪܚܘܬܐ. Nomen ܟܪܝܐ quando accipitur tanquam substantivum significans *area* format pluralem ܟܪܘܬܐ ; quando vero accipitur ut adjectivum significans *brevis* format pluralem ܟܪܝܐ.

II° – Quando nomen trilitterum desinens in ـܝܐ, habet ad litteram initialem zqafam et secundam quiescentem, in plurali hæc secunda quiescens adsciscit ptʰahʰam et aliquando finale jodʰ insuper mutatur in ܘܬܐ. Ex. gr. ܐܣܝܐ (*medicus*), pl. ܐܣܘ̈ܬܐ ; ܪܕܝܐ (*rivulus*), pl. ܪ̈ܕܝܐ; ܛܥܝܐ (*errans*), pl. ܛ̈ܥܝܐ ; ܫܘܝܐ (*dignus*), pl. ܫ̈ܘܝܐ ; ܡܪܝܐ (*dominus*), pl. ܡܪ̈ܝܐ et ܡܪܘ̈ܬܐ ; ܪܥܝܐ (*pastor*), pl. ܪ̈ܥܝܐ et ܪܥܘ̈ܬܐ ; ܫܩܝܐ (*pincerna*), pl. ܫܩܘ̈ܬܐ.

III° – Quodvis nomen trilitterum desinens in jodʰ et habens ad primam litteram ʿsʿasʿsam et litteram mediam quiescentem, assumit in plur. ptʰahʰam ad litteram mediam quiescentem, et desinentiæ in jodʰ substituitur terminatio in ܘܬܐ. Ex. gr. ܐܘܪܝܐ cum rwahʰa (*stabulum*), pl. ܐܘܪܘ̈ܬܐ (1); ܣܘܣܝܐ (*equus*), pl. ܣܘܣܘ̈ܬܐ (1); ܟܘܪܟܝܐ (*grus*), pl. ܟܘܪܟܘ̈ܬܐ (1); ܟܘܒܝܐ (*canalis*), pl. ܟܘܒܘ̈ܬܐ (1) ; quibus adde quadralitterum ܟܘܪܣܝܐ (*sedes*), pl. ܟܘܪܣܘ̈ܬܐ (1). Excipe ܙܘܝܬܐ (*angulus*), ܙܘܝܘ̈ܬܐ (1) (pro angulo oculi: secus pluralis est ܙܘܝ̈ܬܐ, semper cum rwahʰa) ; ܓܘܪܝܐ (*catulus*), pl. ܓܘܪ̈ܝܐ ; ܥܘܒܝܐ (*tenebræ atræ*), pl. ܥܘ̈ܒܝܐ ; ܟܘܪܝܐ (*genus storeæ*), pl. ܟܘܪܘ̈ܬܐ (1) et ܟܘܪ̈ܝܐ ; ܡܘܕܝܐ (*mensura quædam aridorum*), pl. ܡܘܕ̈ܝܐ et ܡܘܕܘ̈ܬܐ (1).

IV° – Quodvis participium activum quadriliterum ortum ex verbis imperfectis in lamadʰ, h. e. quodvis adjectivum habens initio præformativam litteram ܡ et terminatum in jodʰ fit plurale per simplicem adjectionem

(1) Ante waw Orientales zqafam efferunt.

pthahhæ ad litteram quæ præcedit jodh finale. Ex. gr. ܡܣܟܠܐ (*abjectus*), pl. ܡܣܟܠܐ ; ܡܥܠܝܐ (*elevatus*), pl. ܡܥܠܝܐ ; ܡܫܡܠܝܐ (*perfectus*), pl. ܡܫܡܠܝܐ (1). Excipe ܡܩܫܬܐ pro originali ܡܩܫܝܐ, Arab. مقثاة (*locus cucumeres proferens*), pl. ܡܩܫܘܬܐ ; ܡܪܘܚܐ (*ventilabrum*) ܡܪܘܚܘܬܐ : nihilominus hæc duo vocabula quæ exceptionem patiuntur non possunt dici proprie anomala, quia non sunt adjectiva sed mere substantiva.

156 — V° — Plura nomina taw fem. non habentia recedunt a traditis canonibus in formatione pluralis, quorum potiora sunt sequentia :

ܐܐܪ aer ܐܐܪܘܣ — ܐܠܦܐ mille ܐܠܦܐ et ܐܠܦܝܐ

ܐܒܐ fructus ܐܒܒܐ (2) — ܐܡܐ mater ܐܡܗܬܐ

ܐܒܐ pater naturalis ܐܒܗܐ — ܐܡܬܐ ancilla ܐܡܗܬܐ

ܐܒܐ pater major seu avus ܐܒܗܬܐ — ܐܡܬܐ cubitum ܐܡܐ

ܐܣܛܕܝܘܢ stadium ܐܣܛܕܘܬܐ

ܐܘܪܚܐ via ܐܘܪܚܬܐ — ܐܚܪܢܐ alius ܐܚܪܢܐ

ܐܝܕܐ manus ܐܝܕܬܐ et ܐܝܕܝܐ — ܐܪܥܐ terra ܐܪܥܬܐ

(1) Vidimus supra in dialecto Maclulæ et aliis omnia nomina masculina hanc formam in plurali habuisse. Hanc autem formam pluralem in tota Syria olim usurpatam fuisse in lingua Syriaca liquido patet vel ex tot nominibus propriis servatis usque ad nostram diem in illa regione præsertim in monte Libano, ex. gr. *Réshàjja* ܪܫܝܐ (ܪܝܫܝܐ vel ܪܫܝܐ pro ܪܫܐ) *Bécfàjja* (ܒܝܬܟܦܝܐ pro ܒܝܬܟܦܐ) et *Hassbaya Hásbàjja* ܚܨܒܝܐ pro ܚܨܒܐ, *Dârajja* ܕܪܝܐ pro ܕܪܐ.

(2) Orientales legunt ܐܒܒܐ cum pthahha ad alaf, Occidentales autem scribunt etiam in plur. duo beth sic ܐܒܒܐ.

ܐܬܪܐ locus ܐܬܪ̈ܘܬܐ

ܒܝܬܐ domus ܒ̈ܬܐ

ܒܣܡܐ aroma ܒܣ̈ܡܐ et ܒܣ̈ܡܢܐ

ܒܪܐ filius ܒܢ̈ܝܐ

ܒܪܢܫܐ homo ܒܢ̈ܝܢܫܐ

ܓܦܐ ala ܓܦ̈ܢܐ et ܓܦ̈ܐ

ܕܝܪܐ monasterium ܕܝ̈ܪܐ et ܕܝܪ̈ܘܬܐ

ܙܘܓܐ columba silvestris ܙܘ̈ܓܐ et ܙܘ̈ܓܢܐ

ܙܢܐ species ܙܢ̈ܝܐ

ܚܘܝܐ serpens ܚܘ̈ܘܬܐ

ܚܙܘܐ visio ܚܙ̈ܘܢܐ et ܚܙ̈ܘܐ

ܚܝܠܐ virtus et exercitus ܚܝ̈ܠܘܬܐ et ܚܝ̈ܠܐ

ܚܡܐ socer ܚܡ̈ܘܬܐ

ܚܡܪܐ vinum ܚܡ̈ܪܐ

ܚܡܪܐ asinus ܚܡ̈ܪܐ cum zlama ܚܡ̈ܪܐ cum zqafa

ܚܩܠܐ ager ܚܩ̈ܠܐ et ܚܩ̈ܠܬܐ

ܛܝܦܐ macula alba in oculo ܛܝ̈ܦܐ et ܛܝ̈ܦܢܐ

et ܛܝ̈ܡܝܢ f. pretium ܛܝ̈ܡܐ m.

ܝܘܡܐ dies ܝܘ̈ܡܐ et ܝܘܡ̈ܬܐ

ܝܡܐ mare ܝܡ̈ܡܐ (Occident. unum tantum ܡ efferunt.)

ܝܪܩܐ olus ܝܪ̈ܩܘܢܐ

ܟܒܕܐ jecur ܟܒ̈ܕܬܐ

ܟܘܬܝܢܐ tunica ܟܘܬܝ̈ܢܬܐ

ܟܢܦܐ ala ܟܢ̈ܦܐ et ܟܢܦ̈ܬܐ

ܟܢܬܐ socius ܟܢ̈ܘܬܐ

ܟܪܣܐ venter ܟܪ̈ܣܬܐ

ܟܬܦܐ humerus ܟܬܦ̈ܬܐ

ܠܒܐ cor ܠܒ̈ܐ et ܠܒ̈ܘܬܐ

ܠܠܝܐ nox ܠܠܝ̈ܘܬܐ

ܡܪܐ dominus ܡܪ̈ܘܬܐ

ܢܗܪܐ flumen ܢܗܪ̈ܘܬܐ

ܢܘܪܐ ignis ܢܘܪ̈ܘܬܐ

ܢܦܫܐ anima ܢܦܫ̈ܬܐ

ܣܡܐ medicamen ܣܡ̈ܡܢܐ

ܥܝܢܐ oculus, fons aquarum

ܥܰܝܢ̈ܶܐ oculi ; ܥܰܝܢ̈ܳܬܳܐ fontes aquarum ; ܩܶܫܬܳܐ arcus ܩܶܫ̈ܬܳܬܳܐ

ܪܰܒܳܐ magnus ܪܰܘܪ̈ܒܶܐ et ܪܰ̈ܘܪܒܶܐ

ܫܰܩܳܐ femur ܫܰܩ̈ܳܬܳܐ ; ܪܰܒܳܐ magister ܪܰܒ̈ܳܢܶܐ

ܥܰܡܳܐ populus ܥܰܡ̈ܡܶܐ ; ܪܽܘܚܳܐ spiritus ܪ̈ܽܘܚܳܬܳܐ

ܟܶܠܫܳܐ calx ܟܶܠܫ̈ܶܐ et ܟܶܠܫ̈ܳܬܳܐ ; ܪܽܘܚܳܐ ventus ܪ̈ܽܘܚܶܐ

ܥܰܪܣܳܐ lectus ܥܰܪ̈ܣܳܬܳܐ ; ܪܶܝܚܳܐ (1) odor ܪ̈ܶܝܚܶܐ

ܨܶܒܥܳܐ digitus ܨܶܒ̈ܥܶܐ ; ܨܶܒ̈ܥܳܬܳܐ ; ܫܡܳܐ nomen ܫܡ̈ܳܗܶܐ et ܫܡ̈ܳܗܳܬܳܐ

ܗܰܕܳܡܳܐ membrum ܗܰܕ̈ܳܡܶܐ et ܗܰܕ̈ܳܡܳܬܳܐ

ܬܰܕܳܝܳܐ uber ܬܰܕ̈ܝܶܐ

ܩܰܪܢܳܐ cornu ܩܰܪ̈ܢܶܐ et ܩܰܪ̈ܢܳܬܳܐ ; ܐܰܬܦܳܝܳܐ tripos ܐܰܬܦܳ̈ܝܳܬܳܐ

157 — Hactenus de formatione pluralis nominum carentium littera taw fœminini. Nomina autem quæ taw feminini habent, fiunt pluralia per solam adjectionem zqafæ litteræ quæ immediate præcedit taw, ut supra diximus, ex. gr. ܦܠܽܘܓܬܳܐ (*dissidium*) ܦܠܽܘܓܝܳܬܳܐ ; ܡܰܪܬܳܐ (*fel*) ܡܰܪ̈ܳܬܳܐ ; ܨܽܘܪܬܳܐ (*imago*) ܨܽܘܪ̈ܳܬܳܐ ; ܚܶܟܡܬܳܐ (*sapientia*) ܚܶܟ̈ܡܳܬܳܐ ; ܫܰܢܬܳܐ (*sana*) ܫܰܢ̈ܳܬܳܐ ; ܒܺܝܪܬܳܐ (*arx*) ܒܺܝܪ̈ܳܬܳܐ ; ܩܪܳܝܬܳܐ (*vocatio*) ܩܪ̈ܳܝܳܬܳܐ ; ܫܘܕܳܥܬܳܐ (*alba*) ܫܘܕ̈ܳܥܳܬܳܐ ; ܫܽܐܶܠܬܳܐ (*quæstio*) ܫܽܐ̈ܶܠܳܬܳܐ ; ܦܶܠܐܬܳܐ (*parabola*) ܦܶܠ̈ܐܳܬܳܐ ; ܚܰܕܽܘܬܳܐ (*gaudium*) ܚܰܕ̈ܽܘܬܳܐ ; ܪܽܘܚܳܢܳܝܬܳܐ (*spiritualis* f.) ܪܽܘܚܳܢ̈ܳܝܳܬܳܐ cum nun et jod[h] motis per zqafam. Porro littera quæ *otiabatur* in singulari, pronunciatur in plurali, v. g. ܡܕܺܝܢ݇ܬܳܐ (*urbs*) ܡܕ̈ܺܝܢܳܬܳܐ ; ܥܺܕܬܳܐ (*ecclesia*) ܥܺܕ̈ܳܬܳܐ ;

(1) Cum zlama forti.

ܡܣܟܢܬܐ (1) *(egena)* ܡܣܟܢ̈ܝܬܐ.

158 – Præter hanc regulam generalem plurima nomina habentia taw femini peculiares sequuntur regulas in formatione pluralis; quæ singillatim exponendæ sunt:

I – Nomina quæ ante taw habent immediate waw præcedente ʿsˢasˢa, vel jodʰ præcedente hʰvasˢa, post aliam vocalem, in formatione pluralis abjiciunt illam ʿsˢasˢam vel hʰvasˢam, ex. gr. ܣܟܠܘܬܐ *(ignorantia)* ܣܟܠܘ̈ܬܐ; ܚܘܝܬܐ *(demonstratio)* ܚܘ̈ܝܬܐ; ܡܪܚܡܢܝܬܐ *(misericors f.)* ܡܪܚܡܢ̈ܝܬܐ; ܡܠܟܘܬܐ *(regnum)* ܡܠܟܘ̈ܬܐ; ܢܡܘܣܝܘܬܐ *(legitimitas)* ܢܡܘܣܝܘ̈ܬܐ.

II – Quodlibet adjectivum trilitterum fœm. quod in sua derivatione a masculino subiit modificationes quasdam quoad vocales, quando fit plurale restituendum e st ad primitivam formam masculinam, v. g. ܛܠܝܬܐ *(puella)*, ܚܠܝܬܐ *(dulcis)*, ܒܪܝܬܐ *(creata)*, ܥܩܪܬܐ *(sterilis)*, ܚܒܪܬܐ *(socia)*, fiunt plur. ܛܠܝ̈ܬܐ, ܚܠܝ̈ܬܐ, ܒܪܝ̈ܬܐ, ܥܩܪ̈ܬܐ, ܚܒܪ̈ܬܐ, quia earum singularia masculina sunt: ܛܠܝܐ, ܚܠܝܐ, ܒܪܝܐ, ܥܩܪܐ, ܚܒܪܐ.

III – Quodvis substantivum trilitterum habens zlamam ad primam vel secundam, et tertiam quiescentem, in plur. ad pri mam radicalem adsciscit zlamam, secunda manente omnino in quiescentia, ex. gr. ܚܠܝܬܐ *(ornamentum confectum ex auro vel argento)* ܚܠ̈ܝܬܐ; ܓܒܠܬܐ *(stagnum)* ܓܒܠ̈ܬܐ; ܡܨܥܬܐ *(medium)* ܡܨܥ̈ܬܐ;

(1) Jam alibi monuimus Orientales pronunciare litteram nun in hac voce.

ܬܢܚܬܐ (*suspirium*) ܬܢܚ̈ܬܐ: similiter ܦܐܬܐ (*latus*), ܒܪܝܬܐ (*creatura*), fiunt in plur. ܦܐܬ̈ܐ et ܒܪܝ̈ܬܐ quia eorum singularia sunt pro ܦܐܬܐ et ܒܪܝܬܐ.

IV – Quodvis trilitterum defectivum in 3ª radicali et ad secundam litteram habens zqafam, in plur. hæc secunda radicalis adsciscit ptʰahʰam, et insuper taw femin. transit in ܘܬܐ: v. g. ܡܢܬܐ (*pars*) ܡܢܘ̈ܬܐ; ܕܒܚܬܐ (*victima*) ܕܒܚܘ̈ܬܐ. Excipe ܚܙܬܐ (*adspectus*) ܚܙ̈ܬܐ; ܩܥܬܐ (*vociferatio*) ܩܥ̈ܬܐ; ܒܨܬܐ (*investigatio*) ܒܨ̈ܬܐ; ܒܥܬܐ (*inquisitio* vel *disputatio*) ܒܥ̈ܬܐ; ܟܐܬܐ (*increpatio*) ܟܐ̈ܬܐ; ܪܡܬܐ (*abjectio*) ܪܡ̈ܬܐ; ܚܡܬܐ (*socera*) ܚܡ̈ܬܐ; ܫܥܬܐ (*ludus*) ܫܥ̈ܬܐ.

V – Quodlibet nomen habens secundam litteram mobilem, et litteram initialem jodʰ quæ, euphoniæ causa, adsciverit vocalem, in plur. rejicit hanc vocalem adscitam, et sequitur canonem II, v. g. ܝܒܡܬܐ (*fratria*) ܒܡ̈ܬܐ; ܝܙܦܬܐ (*res data mutuo*) ܙܦ̈ܬܐ.

VI – Omne nomen quod ante taw habet litteram quiescentem post ʿsᵉasᵉam, in formatione pluralis assumit plerumque jodʰ ante taw, ex. gr. ܦܫܘܛܬܐ (*simplex*) ܦܫܘܛܝ̈ܬܐ; ܐܘܪܘܣܬܐ (*præsepe*) ܐܘܪܘܣܝ̈ܬܐ. Ita regulariter nomina feminina diminutiva terminata in semcatʰ, formant sua pluralia, v. g. ܐܕܢܘܣܬܐ (*oricula*) ܐܕܢܘܣܝ̈ܬܐ. Ita etiam adjectiva quæ habent typum فاعولة possunt formare sua pluralia, v. g. ܥܒܘܪܬܐ (*transiens* f.) ܥܒܘܪܝ̈ܬܐ; ܥܪܘܩܬܐ (*fugitiva*) ܥܪܘܩܝ̈ܬܐ.

VII – Quodvis nomen habens ante taw fem. vocalem clausam, origine brevem, præcedente una vel pluribus vocalibus, rejicit in plurali illam vocalem clausam, quia in plurali ea redit brevis, quæ proinde elidi debet juxta naturam linguæ Syriacæ (Conf. n. 104) ex. gr. ܕܒܚܬܐ (*sacrificium*) ܕܒܚ̈ܬܐ; ܦܪܚܬܐ (*avis*) ܦܪ̈ܚܬܐ; ܡܩܪܬܐ (*holocaustum*) ܡܩܪ̈ܬܐ; ܡܦܘܠܬܐ (*lapsus*) ܡܦܘ̈ܠܬܐ; ܫܘܫܪܬܐ (*placenta*) ܫܘܫܪ̈ܬܐ; ܡܩܒܠܬܐ (*accepta*) ܡܩܒ̈ܠܬܐ; ܡܥܒܕܬܐ (*afflicta*) ܡܥܒ̈ܕܬܐ (cum mhagjana apud Orientales, et cum rvas^s^a apud Occidentales), ܐܒܥܘܬܐ (1) (*deprecatio*) ܐܒܥ̈ܘܬܐ; ܡܘܗܒܬܐ (*donum*) ܡܘܗ̈ܒܬܐ; ܐܓܪܬܐ (*epistola*) ܐܓ̈ܪܬܐ; ܬܪܢܓܘܠܬܐ (*gallina*) ܬܪܢܓܘ̈ܠܬܐ; ܡܐܟܘܠܬܐ (*manducatio*) ܡܐܟ̈ܠܬܐ; ܥܙܩܬܐ (*annulus*) ܥܙ̈ܩܬܐ; ܬܕܡܘܪܬܐ (*miraculum*) ܬܕܡܪ̈ܬܐ. Excipe adjectiva quæ habent formas فَعِيلَة vel فَعُولَة vel فَعَّالَة aut فَاعُولَة, hæc enim retinent in plurali vocalem quæ taw præcedit: ex. gr. ܩܕܝܫܬܐ (*sancta*) ܩܕܝ̈ܫܬܐ; ܚܛܘܝܬܐ (*criminosa*) ܚܛܘ̈ܝܬܐ; ܡܩܛܘܠܬܐ (*occidens* fœm.) ܡܩܛܘ̈ܠܬܐ; ܢܗܘܪܬܐ (*splendida*) ܢܗܘܪ̈ܬܐ. Ratio autem evidens est, quod scilicet hæ vocales longæ sunt, proindeque in flexione nullam subeunt mutationem.

Denique nota diligenter discrimen inter adjectivum femininum habens ante taw nun servile motum per h^h^vas^s^am et illud cujus nun servile habet zqafam

(1) Orientales movent s^h^in per pt^h^ah^h^am.

sequente jodh; primum enim ut ܪܘܚܢܝܬܐ (a ܪܘܚܢܐ) in plurali fit ܪ̈ܘܚܢܝܬܐ cum nun quiescenti. Alterum ut ܪܘܚܢܝܬܐ (a ܪܘܚܢܐ) cujus pluralis est ܪ̈ܘܚܢܝܬܐ cum nun mobili per zqafam. Eodem modo ܬܘܒܢܝܬܐ in plur. fit ܬܘܒ̈ܢܝܬܐ cum tribus zqafis; at ܬܘܒܢܝܬܐ fit ܬܘܒ̈ܢܝܬܐ cum quatuor zqafis (V. n. 157).

159 — Plura nomina taw feminini habentia pluralem formant contra regulas hactenus expositas. Quorum præcipua hic ordine alphabetico digesta exhibemus:

ܐܘܡܬܐ natio ܐܘ̈ܡܘܬܐ
ܐܕܪܘܡܬܐ panni particula qua vestis reparatur ܕܪܘ̈ܡܟܐ
ܐܚܪܬܐ alia ܐܚܪ̈ܢܝܬܐ
ܐܟܬܐ odium ܐ̈ܟܬܐ
ܐܢܬܬܐ mulier ܢ̈ܫܐ
ܐܣܝܘܬܐ sanatio ܐܣ̈ܘܬܐ et ܐܣܝ̈ܘܬܐ
ܐܫܬܐ murus ܐ̈ܫܐ
ܐܫܟܬܐ testiculus ܐ̈ܫܟܐ

ܐܫܟܪܬܐ ager ܐܫܟ̈ܪܐ
ܐܫܬܐ (1) fundus ܐ̈ܫܬܐ et ܐ̈ܫܬܐ
ܐܫܬܐ febris ܐܫ̈ܬܘܬܐ
ܐܬܐ signum ܐܬ̈ܘܬܐ
ܒܙܬܐ præda ܒ̈ܙܐ
ܒܛܡܬܐ terebinthus arbor ܒܛ̈ܡܐ
ܒܝܥܬܐ (2) ovum ܒ̈ܝܥܐ
ܒܝܥܬܐ galea ܒ̈ܝܥܬܐ

(1) Taw est radicale et non signum feminini.

(2) Hoc nomen est Arabicum بيضة , cujus ض Syri converterunt in ʿain et Hebræi in ssade, singuli juxta morem suum. Est igitur radix *concava*; unde patet errare Syros Orientales cum hoc nomen scribunt בֵּעָה sine jodh, quod tamen non unicum est exemplum eorum erroris.

ܒܣܪܬܐ fructus vitis tamdiu acerbus ܒܣܪ̈ܐ

ܒܘܪܕܥܬܐ clitella ܒܘܪ̈ܕܥܐ

ܒܪܬܐ filia ܒܢ̈ܬܐ

ܓܐܝܘܬܐ majestas ܓܐܝܘ̈ܬܐ

ܓܒܬܐ caseus ܓܒܢ̈ܐ

ܓܘܒܬܐ fistula ܓܘܒܐ

ܓܙܬܐ vellus ܓܙ̈ܐ

ܓܘܠܬܐ cucullus ܓܘ̈ܠܐ

ܓܘܥܬܐ vindemia ܓܘ̈ܥܬܐ

ܓܘܡܙܬܐ pruna ܓܘܡ̈ܙܐ

ܓܢܬܐ hortus ܓܢ̈ܐ

ܓܢܘܒܬܐ furtum ܓܢ̈ܘܒܐ

ܓܦܬܐ vitis ܓܘܦ̈ܢܐ

ܓܫܬܐ tactus ܓܫ̈ܬܐ

ܕܒܘܪܬܐ apis ܕܒ̈ܘܪܝܬܐ

ܕܒܠܬܐ cista fructuum ܕܒ̈ܠܐ

ܕܘܟܬܐ locus ܕܘܟ̈ܝܬܐ

ܕܘܢܒܬܐ cauda ܕܘܢܒ̈ܝܬܐ

ܕܘܥܬܐ (1) sudor ܕܘ̈ܥܬܐ

ܕܡܘܬܐ similitudo ܕܡ̈ܘܬܐ

ܕܡܥܬܐ lacryma ܕܡܥ̈ܐ

ܕܪܬܐ atrium ܕܪ̈ܐ et ܕܪ̈ܬܐ

ܗܘܬܐ abyssus ܗܘ̈ܐ et ܗܘ̈ܬܐ

ܗܢܝܐܝܬܐ jucunditas ܗܢܝܐܘ̈ܬܐ

ܙܒܢܬܐ vices ܙܒܢ̈ܐ et ܙܒܢ̈ܬܐ

ܙܥܘܪܬܐ parva ܙܥܘܪ̈ܝܬܐ

ܙܦܬܐ capillus ܙܦ̈ܐ

ܙܩܬܐ (1) stimulus ܙܩ̈ܬܐ

ܙܘܦܓܬܐ strigilis ܙܘܦܓ̈ܝܬܐ

ܙܪܬܐ spithama ܙܪ̈ܬܐ

ܚܓܬܐ idoleum ܚܓ̈ܐ

ܚܓܬܐ aculeus ܚܓ̈ܐ

ܚܕܬܐ nova ܚܕ̈ܬܬܐ

ܚܘܓܬܐ circulus ܚܘܓ̈ܝܬܐ

ܚܠܬܐ theca ܚܠ̈ܐ

ܚܘܡܪܬܐ gemma ܚܘܡ̈ܪܐ

ܚܛܬܐ frumentum ܚܛ̈ܐ

ܚܨܬܐ coxa ܚܨ̈ܘܬܐ

ܚܬܐ soror ܐܚ̈ܘܬܐ

(1) Taw est radicale et non signum feminini.

ܫܡܫܬܐ opus ܫܡܫܬܐ — ܡܐܬܐ centuria ܡܐܘܬܐ

ܛܘܦܬܐ gutta ܛܘܦܐ — ܡܓܠܬܐ volumen ܡܓܠܐ

ܝܬܐ essentia ܝܬܐ — ܡܓܠܬܐ falx messoria ܡܓܠܐ

ܟܘܬܐ fenestra ܟܘܐ — ܡܕܐܬܐ tributum ܡܕܐܬܐ

ܟܠܬܐ sponsa ܟܠܠܐ et ܟܠܠܬܐ — ܡܘܕܥܬܐ (2) familiaris ܡܘܕܥܬܐ

ܟܠܬܐ operimentum ܟܠܠܐ — ܡܘܡܬܐ juramentum ܡܘܡܬܐ

ܟܠܘܪܬܐ tarsus ܟܠܘܒܬܐ — ܡܙܪܬܐ cicinnus ܡܙܪܐ

ܟܣܣܬܐ calceus ܟܣܣܐ — ܡܚܘܠܬܐ cribrum ܡܚܘܠܐ

ܟܣܬܐ pabulum ܟܣܐ — ܡܚܘܬܐ plaga ܡܚܘܬܐ

ܟܢܪܬܐ (1) pollex ܟܢܘܪܬܐ — ܡܫܕܘܬܐ (3) connatus hæres ܡܫܕܘܬܐ

ܟܬܐ frumentum silvestre ܟܬܐ — ܡܛܠܬܐ tentorium ܡܛܠܠܐ

ܠܒܢܬܐ later ܠܒܢܐ — ܡܛܡܪܬܐ thesaurus ܡܛܡܪܬܐ

ܠܓܢܬܐ patina ܠܓܢܐ — ܡܫܬܘܪܬܐ virtus ܡܫܬܪܬܐ

ܠܐܬܐ molestia ܠܐܐ

ܡܐܣܪܬܐ ligamen ܡܐܣܘܪܬܐ

(1) At ܟܢܪܬܐ non idem significat ac ܟܢܪܬܐ ut nonnulli autumarunt, sed significat *viriditatem*.

(2) Taw non est hic signum feminini, sed vehementiæ ut in Arabica lingua تاء المبالغة v. g. in راوية.

(3) Hoc nomen masculinum est quamvis habeat taw, in eo enim taw est signum vehementiæ.

ܡܟܪܘܟܝܬܐ instrumentum involvendi ܡܟܪ̈ܘܟܝܬܐ

ܡܠܬܐ verbum ܡ̈ܠܐ

ܡܢܬܐ capillus ܡ̈ܢܐ

ܡܣܐܬܐ statera ܡܣ̈ܐܬܐ

ܡܣܢܬܐ cophinus ܡܣ̈ܢܐ

ܡܥܪܬܐ caverna ܡܥ̈ܪܐ

ܡܫܘܚܬܐ mensura ܡܫ̈ܘܚܐ et ܡܫ̈ܘܚܬܐ

ܡܫܠܬܐ acus grossior ܡܫ̈ܠܐ

ܡܬܩܠܬܐ statera ܡܬܩ̈ܠܬܐ

ܡܪܕܝܬܐ colum ܡܪ̈ܕܝܐ

ܡܬܐ patria ܡ̈ܬܐ et ܡ̈ܬܘܬܐ

ܢܒܝܘܬܐ prophetia ܢܒ̈ܝܘܬܐ

ܢܘܠܬܐ spurcitia ܢ̈ܘܠܐ

ܢܫܡܬܐ spiraculum ܢܫ̈ܡܬܐ

ܣܐܬܐ modius ܣ̈ܐܬܐ

ܣܥܕܬܐ cyperus ܣ̈ܥܕܐ

ܣܘܬܐ nidor ܣ̈ܘܬܐ

ܣܘܟܬܐ ramus ܣܘ̈ܟܐ et ܣܘ̈ܟܬܐ

ܣܘܣܝܬܐ equa ܣܘܣ̈ܝܬܐ et ܣܘܣ̈ܘܬܐ

ܣܟܘܬܐ scopa ܣܟ̈ܘܬܐ

ܫܘܩܬܐ platea ܫܘ̈ܩܐ

ܣܟܬܐ vomer ܣ̈ܟܐ

ܣܥܪܬܐ granum hordei ܣܥ̈ܪܐ

ܣܦܝܢܬܐ navis ܣܦ̈ܝܢܐ et ܣܦ̈ܝܢܬܐ

ܣܦܬܐ labium ܣܦ̈ܘܬܐ

ܣܬܐ vitis ܣ̈ܬܐ

ܥܠܠܬܐ proventus agri ܥܠ̈ܠܬܐ

ܥܠܘܩܬܐ sanguisuga ܥܠ̈ܘܩܐ

ܥܠܬܐ causa ܥܠ̈ܠܬܐ

ܥܢܒܬܐ uva ܥܢ̈ܒܐ

ܥܪܩܬܐ corrigia ܥܪ̈ܩܐ

ܥܠܬܐ deceptio ܥ̈ܠܐ

ܦܐܬܐ gena ܦܐ̈ܬܐ

ܦܛܪܝܬܐ fungus ܦܛܪ̈ܝܬܐ

ܦܣܬܐ sors ܦܣ̈ܐ

ܦܣܬܐ palma manus ܦܣܬܐ

ܦܣܬܐ sors ܦܣܐ

ܦܪܕܬܐ bacca ܦܪܕܐ

ܦܘܪܝܬܐ thronus ܦܘܪܡܝܐ

ܦܪܣܬܐ ungula bisulca ܦܪܣܬܐ et ܦܪܣܐ

ܦܪܬܐ furfures ܦܪܐ

ܦܬܬܐ mica ܦܬܐ

ܨܒܘܬܐ negotium ܨܒܘܬܐ

ܨܠܘܬܐ oratio ܨܠܘܬܐ

ܨܦܬܐ cura ܨܦܬܐ

ܨܒܪܬܐ dens caninus ܨܒܪܢܐ et ܨܒܪܢܝܬܐ

ܩܒܝܬܐ receptaculum in quo colligitur aqua ܩܒܝܬܐ

ܩܘܠܬܐ hydria ܩܘܠܐ

ܩܘܡܬܐ statura ܩܘܡܬܐ et ܩܘܡܬܐ

ܩܘܩܬܐ hydria ܩܘܩܝܬܐ

ܩܛܪܬܐ nodus ܩܛܪܐ

ܩܠܘܦܬܐ cortex ܩܠܦܐ

ܩܘܪܝܬܐ pagus ܩܘܪܝܐ

ܩܪܬܐ frigus ܩܪܬܐ

ܪܐܬܐ pulmo ܪܐܬܐ

ܪܒܬܐ magna ܪܘܪܒܬܐ

ܪܓܬܐ cupido ܪܓܝܓܬܐ

ܫܒܠܬܐ spica ܫܒܠܐ

ܫܒܫܬܐ palmes ܫܒܫܬܐ

ܫܒܬܐ hebdomas, sabbati dies ܫܒܬܐ

ܫܓܕܬܐ amygdalum amarum ܫܓܕܐ

ܫܘܫܠܬܐ lumbricus ventris ܫܘܫܐ

ܫܘܫܢܬܐ lilium ܫܘܫܢܐ

ܫܠܬܐ sanguis concretus ܫܠܬܐ et ܫܠܐ

ܫܚܬܐ axilla ܫܚܬܐ

ܫܦܝܦܬܐ ampulla ܫܦܝܦܬܐ

ܫܢܬܐ annus ܫܢܬܐ

ܫܥܬܐ hora ܫܥ̈ܐ

ܫܦܬܐ pinnula naris ܫܦ̈ܐ

ܫܠܝܬܐ lapsus ܫܠܝ̈ܬܐ

ܫܬܐܣܬܐ fundamentum ܫܬܐܣ̈ܐ

ܬܘܪܬܐ vacca ܬܘܪ̈ܬܐ

ܬܐܢܬܐ ficus ܬܐ̈ܢܐ et ܬܐܢ̈ܬܐ

ܬܒܥܬܐ ultio ܬܒ̈ܥܬܐ

ܬܦܠܬܐ phylacterium ܬܦܠ̈ܬܐ et ܬܦ̈ܠܐ

ܬܪܢܓܘܠܬܐ gallina ܬܪܢܓܘܠ̈ܬܐ et ܬܪܢܓ̈ܠܐ

Hæc sunt præcipua nomina fœminina quæ non sequuntur certam legem in suis pluralibus. Reliquorum anomalorum nominum fœmininorum pluralia formantur vel ad normam præcedentium, vel eorumdem pluralia petenda sunt ex lexicis.

160 – Ex dictis liquet plurima nomina masculina habere in suis pluralibus formam fœmininam. Hinc ad dignoscendum genus nominis inspiciendum est nomen prouti jacet in singulari, non ut est in plurali. Sic v. g. ܫܡܗ̈ܬܐ, ܢܗܪ̈ܘܬܐ, ܡܢܪ̈ܘܬܐ sunt masculina quia talia sunt eorumdem singularia, non autem sunt fœminina. Et e contra ܐܡ̈ܐ, ܟܠ̈ܠܐ, ܐܬ̈ܐ sunt fœminina quia talia sunt eorum singularia. Præterea supra observare potuisti nomina habentia duplicem sensum, et duplicem formam pluralem pro diversitate sensus habere. Hujusmodi est nomen ܪܫܐ quod significat vel *caput corporis* animalis et tunc fit in plur. ܪ̈ܫܐ vel significat *caput* seu *superior societatis*, et fit in plur. ܪ̈ܝܫܢܐ ·

161 – Quædam nomina non fiunt pluralia, hujusmodi sunt ܚܛܝܬܐ *(peccatum)*, ܦܘܫܬܐ *(rectitudo)*,

ܫܪܪܐ (1) (*veritas*), ܚܢܢܐ (*miseratio*), ܕܘܝܬܐ (*atramentarium*), ܨܘܪܬܐ (*effigies*), ܚܠܝܘܬܐ (*dulcedo*), ܫܘܦܐ (*lardum*), ܫܥܘܬܐ (2) (*cera*), ܥܒܘܪܐ (*frumentum*). Item omnia nomina quæ non desinunt in alaf, v. g. ܐܪܒܥܬܐ (*orbs*), ܩܝܡ (3) (*pactum*).

E contra exstant quædam nomina in numero plurali quæ non habent singularem numerum, hujusmodi sunt præcipue : ܚܝ̈ܐ (*vita*), ܡܝ̈ܐ (*aqua*), ܪ̈ܚܡܐ (*misericordia*), ܓ̈ܠܠܐ (*undæ, fluctus*), ܕ̈ܡܝܐ (*pretium*), ܐ̈ܦܐ (*facies*), ܚܕ̈ܕܐ (*invicem*), ܪ̈ܘܪܒܬܐ (*magnalia*), ܫ̈ܘܩܐ (*plateæ*), ܛ̈ܠܦܚܐ (*lentes*). Hujusmodi est nomen ܒܪ ܚܐܪ̈ܐ (4) (*liber*) compositum ex ܒܪ et ܚܐܪ̈ܐ in numero plurali. ܒܢܝ̈ quidem fit plurale, ܚܐܪ̈ܐ vero prouti hic jacet non habet singularem numerum.

162 – Dantur nomina quorum pluralia a singularibus non differunt nisi signo pluralis dicto siame. Ejusmodi sunt v. g. ܫܡܝܐ (*cælum* et *cæli*), ܐܢܫܐ (5) (*homo* et *homines*). Quædam nomina collectiva quæ significant multitudinem usurpantur promiscue pro singulari et plurali. Ex. gr. ܒܥܝܪܐ (*quadrupedes*), ܪ̈ܚܫܐ (*reptilia*), ܥܢܐ (*grex*), ܪ̈ܟܫܐ (*agmen equorum*), ܪ̈ܡܟܐ (*armentum*), ܦܪܚܐ (*aves*).

(1) Nomen ܫܪܪܐ occurrit plurale ܫܪ̈ܪܐ in operibus S. Ephræmi.

(2) Cum rwahha.

(3) Taw habet zlamam lenem.

(4) Cum zlama forti.

(5) Occidentales notant nomen ܐܢܫܐ signo siame quando significat pluralem i. e. *homines*, minime tamen Orientales.

163 – Vidimus plura nomina habere duo vel amplius pluralia, quapropter sciendum est Syros grammaticos solere unum ex duobus pluralibus unius ejusdemque singularis usurpare pro plurali dicto *multorum*, alterum pro plurali dicto *pauciorum*, qui quidem pluralis pauciorum complectitur numerum inter 2 et 10, ille autem multitorum comprehendit a 10 usque ad indefinitum. Ita ex. gr. dicitur; ܐܪܒܥܐ ܝܘܡܝܢ (*quatuor dies*), ܐܪܒܥܝܢ ܝܘܡܬ̈ܐ (*quadraginta dies*): item pluralis ܚܡܪ̈ܐ (*asini*) adhibetur pro paucioribus, et ܚ̈ܡܪܐ pro multis; ܐ̈ܝܕܐ (*manus*) pro paucioribus, ܐ̈ܝܕܝܐ pro multis.

164 – Hactenus de pluralibus nominum origine Syriacorum. Nomina vero exotica derivata a Græca lingua vel Persica, si habent terminationem nominum Syriacorum fiunt pluralia tamquam nomina Syriaca v. g. ܢܝܙܟܐ (*jaculum*) ܢܝܙܟ̈ܐ, ܐܣܛܠܐ (*pallium*) ܐܣܛܠ̈ܐ, ܐܦܝܣܩܘܦܐ (1) (*Episcopus*) ܐܦܝܣܩܘܦ̈ܐ, ܠܘܟܝܬܐ (*lancea*) ܠܘܟ̈ܝܬܐ. Si vero formam pristinam Græcam vel Persicam habent, tunc:

I – Si nomen habet terminationem in H Græcorum i. e. si habet ad ultimam syllabam hʰvasˢam apud Occidentales et zlamam apud Orientales, tunc in plurali assumit loco H terminationem ܐܣ v. g. ܕܝܐܬܝܩܝ (2) (*testamentum*) ܕܝܐܬܝܩܐܣ, ܐܢܢܩܝ (3) (*necessitas*) ܐܢܢܩܐܣ. Usus prævaluit scribendi ܗܣ loco ܐܣ v. g. ܐܢܢܩܗܣ.

(1) Apud Orientales ܐܦܣܩܘܦܐ.

(2) Apud Orientales ܕܝܬܩܐ.

(3) Apud Orientales ܐܢܢܩܐ.

(Athenæ). Similiter formantur pluralia nominum fœminini generis quæ terminantur apud Græcos in alpha et apud Syros in ܐ v. g. ܐܘܣܝܐ *(essentia)* ܐܘܣܝܐܣ.

II – Si nomen terminetur in ܘܣ convertitur hoc ܘܣ in ܘ, v. g. ܣܘܢܗܘܕܘܣ (1) *(synodus)* ܣܘܢܗܘܕܘ, ܐܪܝܢܘܣ *(arianus)* ܐܪܝܢܘ, ܢܣܛܘܪܝܢܘܣ *(nestorianus)* ܢܣܛܘܪܝܢܘ : attamen Orientales pro hac ʿsˢâsˢa habent rwâhʰam, scribunt enim v. g. ܣܘܢܗ̈ܘܕܘ, quod quidem erroneum est, cum pluralia præfatorum nominum Græca desinant in Græco in OY, minime vero in O.

III – Nomina terminata in ܘܢ, fiunt pluralia substituendo terminationi ܘܢ litteram alaf præcedente ptʰahʰa, v. g. ܐܘܢܓܠܝܘܢ (2) *(Evangelium)* ܐܘܢܓܠܝܐ. Orientales vero pro ptʰahʰa ante alaf ponunt zqafam.

IV – Plura nomina masculina origine Græca terminata in alaf, assumunt in plur. terminationem ܛܐ adjectam singulari, v. g. ܕܘܓܡܐ *(dogma)* ܕܘܓܡܛܐ (3).

V – Nomina terminata in sing. in ܝܣ, non differunt in suis pluralibus a singularibus nisi signo pluralis dicto *siame*, v. g. ܦܪܘܛܐܣܝܣ *(protasis)* ܦܪܘܛ̈ܐܣܝܣ.

VI – Denique ipsis nominibus Syriacæ seu potius Semiticæ originis non raro more Græco pluralem formam dant Syri, ex. gr. ܓܗܢܐ *(gehenna)* ܓܗܢܐܣ, ܟܦܪܐ *(pagus)*, ܟܘܪ̈ܝܐܣ quod sane mirum est.

(1) Apud Orientales ܣܘܢܗ̈ܘܕܘܣ.

(2) Orientales habent ܐܘܢܓܠܝܘܢ.

(3) Orientales scribunt ܕܘܓܡ̈ܛܐ.

CAPUT IV

DE GDHAMA SEU CONTRACTIONE NOMINUM

165 – Plerumque aut fere semper ut vidimus, nomina Syriaca clauduntur alaf emphatico; hoc tamen alaf non remanet constanter, sed aliquando eliditur, unde nomen redit ad primitivum statum in quo erat priusquam assumeret illud alaf emphaticum. Ista elisio alaf dicitur a Syris Gdhama ܓܕܗܡܐ h. e. *apocope* seu *contractio*. Porro causa propter quam apocopatur seu contrahitur nomen duplex est, altera ut indicetur status *indeterminationis*, altera ad designandum statum constructum. Quoad primum, notandum est Syros carere articulo determinante seu demonstrante personam vel rem individuam seu definitam quam significat nomen, qualis est articulus ال Arabum; quapropter quando volunt significare personam vel rem indefinitam seu indeterminatam, solent nomen contrahere. Ex. gr. ܓܒܪܐ (*vir*) est est nomen uti ajunt in statu emphatico, quod quamvis careat articulo per se tamen cum sit in forma emphatica, seu non contractum, significat virum individuum determinatum, vel genus virorum vel essentiam viri; si vero vis indeterminationis sensum exprimere dices ܓܒܪ cum contractione. Unde vides, nomen cum alaf emphaticum habet, posse esse et determinatum et indeterminatum; contractum autem non posse esse nisi indeterminatum. Hic autem animadvertendum est contractionem nominum esse anteriorem non contractioni tum tempore tum re, at propter usum fere constantem nominum cum alaf emphatico (quod philologi Europæi considerant ut signum determinationis seu ut articulum) grammaticos

Syros considerasse nominum contractionem ut statum secundarium et habitum alaf emphatici ut primarium, et proinde posuisse regulas ad derivanda nomina contracta ex non contractis cum res deberet esse sensu contrario i. e. nomen cum alaf deberet e nomine hac littera carente derivari.

166 — Causa autem secunda i. e. status constructus exigit contractionem quia alaf status emphatici respondet tanuino Arabum ut diximus; ergo sicut tanuinum Arabum in statu constructo eliditur, ita nomina Syriaca in hoc statu debent contrahi.

Distincte (1) ergo de utraque contractione agendum est et primo sermo sit:

I — DE CONTRAHENDIS NOMINIBUS CARENTIBUS TAW FOEMININI

167 — Nomen singularis numeri contrahitur *indeterminationis* causa per abjectionem suæ ultimæ vocalis seu motionis, unde fit ut nomen desinat in consonantem quinscentem, v. g. ܟܐܢܐ (2) *(justus)* fit ܟܐܢ, ܟܬܒܐ *(liber)* ܟܬܒ, ܝܡܐ *(mare)* ܝܡ, ܪܫܐ *(caput)* ܪܫ, ܛܘܪܐ *(mons)* ܛܘܪ, ܒܝܫܐ *(malus)* ܒܝܫ, ܦܘܠܚܢܐ *(labor)* ܦܘܠܚܢ, ܐܝܩܪܐ *(decus)* ܐܝܩܪ (3), ܦܪܘܩܐ *(salvator)* ܦܪܘܩ, ܓܢܘܢܐ *(thalamus)* ܓܢܘܢ, ܡܠܦܢܐ *(doctor)* ܡܠܦܢ, ܣܓܝܐܐ *(multus)* ܣܓܝ pro ܣܓܝܐ,

(1) Mirum est quod hactenus Syri grammatici non excepto Barhebræo egerint de contractione nominum confuse, nulla distinctione facta inter contractionem indeterminationis seu absolutam et contractionem constructionis; hæ enim duæ contractiones non subjiciuntur eisdem regulis.

(2) Cum zlama forti ad primam radicalem.

(3) Per exceptionem dicitur quoque ܐܝܩܪ.

ܗܰܢܺܝܳܐ (*jucundus*) ܗܰܢܝ pro ܗܰܢܺܝܳܐ. Plurima tamen nomina recedunt ab ista regula generali in contractione, et subeunt modificationes.

Videlicet :

A – Quodvis nomen trilitterum nudum habens primam mobilem per pthahham vel zlamam, et secundam quiescentem, rejicit in contractione motionem primæ radicalis, et assumit zlamam ad secundam, v. g. ܡܰܠܟܳܐ (*rex*) ܡܠܶܟ, ܢܰܦܫܳܐ (*anima*) ܢܦܶܫ, ܪܶܓܠܳܐ (*pes*) ܪܓܶܠ, ܟܰܠܒܳܐ (*canis*) ܟܠܶܒ, ܟܰܪܣܳܐ (*venter*) ܟܪܶܣ, ܦܰܠܓܳܐ (*dimidium*) ܦܠܶܓ, ܗܶܒܠܳܐ (*vanitas*) ܗܒܶܠ, ܓܰܪܡܳܐ (*os*) *ossi* ܓܪܶܡ, ܚܶܠܡܳܐ (*somnium*) ܚܠܶܡ. Item ܓܶܢܒܳܐ (*latus*) ܓܢܶܒ cum littera nun quæ *otiatur* seu non legitur, pro ܓܢܶܒ a ܓܶܢܒܳܐ originali. Exceptiones mox videbis.

B – Quod si præfata nomina habeant loco ultimæ radicalis litteram gutturalem, vel litteram ܪ, tunc pro zlama secunda radicalis accipit pthahham (v.n.118). Ex.gr. ܦܶܩܥܳܐ (1) (*flos*) ܦܩܰܥ, ܦܰܓܪܳܐ (*corpus*) ܦܓܰܪ, ܢܶܒܥܳܐ (*scaturigo*) ܢܒܰܥ. Per modum exceptionis sequentia nomina contracta habent pthahham pro zlama, quantumvis eorum tertia radicalis non sit gutturalis neque ܪ, et sunt : ܙܰܒܢܳܐ (*tempus*) ܙܒܰܢ, ܟܰܪܡܳܐ (*vinea*) ܟܪܰܡ, ܚܰܩܠܳܐ (*ager*) ܚܩܰܠ, ܕܰܩܢܳܐ (*barba*) ܕܩܰܢ, ܣܰܟܠܳܐ (*stultus*) ܣܟܰܠ, ܫܰܦܠܳܐ (*vilis*) ܫܦܰܠ, ܕܰܪܓܳܐ (*gradus*) ܕܪܰܓ. Nomen

(1) Cum zlama ad *pe* penes Orientales.

ܨܦܪܐ (*passer*) contrahitur in ܨܦܪ per conservationem zlamæ ad primam ut sic distinguatur a ܨܦܪܐ (*mane*) cujus contractum est ܨܦܪ juxta regulam, vel potius quia revera illius secunda radicalis est in origine geminata cum ejus typus sit ܦܥܠ, ܨܦܪܐ cum *pe* geminato et habente pt^h^ah^h^am brevem. Ab hac regula excipienda sunt etiam nomina in quibus una ex radicalibus elisa fuit, de quibus postea agemus. Ex anomalis est ܠܠܝܐ (*nox*) pro ܠܝܠܝܐ, quod in contractione absoluta fit ܠܠܐ. Perperam nonnulli hoc nomen contractum pro plurali habuerunt nominis ܠܠܝܐ.

C – Quodvis nomen trilitterum nudum cujus prima radicalis est alaf vel jod^h^ mota per pt^h^ah^h^am vel zlamam et secunda est quiescens, in contractione subeunda, præter vocalem quam assumit secunda radicalis, tunc alaf et jod^h^ exposcunt, euphoniæ causa, vocalem, alaf quidem zlamam, jod^h^ auten h^h^vâs^s^am (Conf. n. 103) ex. gr. ܐܕܪܐ (*area*) ܐܕܪ, ܐܡܪܐ (*agnus*) ܐܡܪ (1), ܐܒܠܐ (*mæror*) ܐܒܠ (1), cum pt^h^ah^h^a ad bet^h^ per exceptionem; item ܐܠܦܐ (*navis*) ܐܠܦ (1), ܝܠܕܐ (*infans*) ܝܠܕ (2), ܝܪܚܐ (*mensis*) ܝܪܚ (2), ܝܬܪܐ (*chorda*) ܝܬܪ (2). Anomala sunt: ܐܠܦܐ (*mille*) ܐܠܦ, ܐܪܥܐ (*terra*) ܐܪܥ, (Conf. n. 118); ܐܬܪܐ (*locus*) ܐܬܪ (n. 118). Nomina habentia initio waw non contrahuntur, v. g. ܘܪܕܐ (*rosa*), ܘܥܕܐ (*conventus*).

(1) Cum zlama dura ad alaf. Ceterum priora duo exempla contracta habent alaf motum non euphoniæ causa, sed quia alaf est natura motum vocali geminante.

(2) Orientales inscribunt alaf minusculum super jod^h^.

D – Quodvis nomen trilitt. concavum, habens nempe medium jod^h vel waw, si habeat primam radicalem mobilem per pt^hah^ham, transit hæc pt^hah^ha ante jod^h quidem in h^hvâs^sam apud Occidentales et in zlamam duram apud Orientales ; ante waw vero transit pt^hah^ha in ˁs^sas^sam apud Occidentales, et in rwâh^ham apud Orientales. Ex. gr. ܚܰܝܠܳܐ *(virtus)* ܚܰܝܠ ܚܶܝܠ ; ܥܰܝܢܳܐ *(oculus)* ܥܶܝܢ ܥܺܝܢ ; ܣܰܘܦܳܐ *(finis)* ܣܽܘܦ ܣܳܘܦ ; ܝܰܘܡܳܐ *(dies)* ܝܽܘܡ ܝܳܘܡ. Excipe ܒܰܝܬܳܐ *(domus)* ܒܶܝܬ. Quædam tamen, eaque plurima', nomina quæ habent jod^h vel waw pro media non solent contrahi ex. gr. ܩܰܝܛܳܐ *(æstas)*, ܐܰܝܠܳܐ *(cervus)*, ܓܰܘܣܳܐ *(conventus)*, ܪܰܘܫܳܐ *(tumultus)*, ܡܰܘܬܳܐ *(mors)*, etc. Duo nomina quæ sequuntur, ܗܰܘܢܳܐ *(intellectus)*, et ܓܰܘܢܳܐ *(color)* contrahuntur apud Orientales in ܗܽܘܢ et ܓܽܘܢ uti ܝܽܘܡ, apud Occidentales vero in ܗܰܘܢ et ܓܰܘܢ. Nomen ܨܰܘܪܳܐ *(collum)* deberet in contractione esse ܨܽܘܪ ut ܢܽܘܪ cum geminatione ; sed recens poeta Orientalis dixit ܨܽܘܪ.

E – Trilittera nuda quorum prima est mobilis per zqafam, et secunda quiescens, contrahuntur assumendo zlamam ad secundam, v. g. ܣܳܗܕܳܐ *(martyr)* ܣܳܗܶܕ, ܡܳܪܝܳܐ (1) *(dominus)* ܡܳܪܳܐ, ܪܳܚܡܳܐ *(amicus)* ܪܳܚܶܡ, ܫܳܗܪܳܐ *(vigil)* ܫܳܗܶܪ (n. 118), ܕܳܘܝܳܐ *(miser)* ܕܳܘܶܐ. Excipe ܟܳܠܬܳܐ

(1) Nomen ܡܳܪܝܳܐ non dicitur nisi de Deo. Nomen autem ܡܳܪܳܐ dicitur de Deo et de ceteris dominis. Item contractum ܡܳܪܳܐ dicitur de Deo et de aliis. ܡܳܪܐ autem non contrahitur.

ܠܥܠܰܡ cum pt^h^ah^h^a ad lamad^h^ loco zlamæ, et ratio est quia in origine lamad^h^ hujus nominis habebat pt^h^ah^h^am, ut evidens est ex voce respondenti in Arabica lingua nempe عالَم. Ex quo obiter observa regulas Syriacæ linguæ non posse rite determinari sine instituta collatione cum lingua Arabica et sine ejusdem linguæ adminiculo.

F – Quodlibet nomen trilitterum deficiens in tertia radicali, cujusque prima est mobilis secunda autem quiescens, plerumque non contrahitur si sit substantivum, v. g. ܐܽܘܪܝܳܐ (*præsepe*), ܓܽܘܪܝܳܐ (*catulus*), ܚܶܘܝܳܐ (*serpens*), ܐܰܪܝܳܐ (*leo*), ܚܶܙܘܳܐ (*visio*): anomala sunt ܐܶܠܝܳܐ (*complanctus*) quod contrahitur in ܐܶܠܝ, ܫܶܠܝܳܐ (*quies*) in ܫܶܠܝ; in utraque jod^h^ non legitur. Si vero nomen sit adjectivum, contrahitur rejiciendo vocalem suæ primæ et assumendo zlamam ad secundam, et proinde tertia radicalis quæ est jod^h^ fit alaf, v. g. ܕܰܟܝܳܐ (*purus*) ܕܟܹܐ, ܚܰܣܝܳܐ (*sanctus*) ܚܣܹܐ, ܟܰܪܝܳܐ (*brevis*) ܟܪܹܐ, ܦܰܐܝܳܐ (*decens*) ܦܐܹܐ, ܠܰܐܝܳܐ (*defessus*) ܠܐܹܐ.

G – Quodvis nomen trilitterum cujus prima habeat ʿs^s^as^s^am et secunda quiescat, contrahitur trahendo vocalem primæ ad secundam ita tamen ut ʿs^s^as^s^a tunc fiat rwah^h^a apud Orientales, v. g. ܓܽܘܫܡܳܐ (*corpus*) ܓܫܘܡ ܠܓܫܘܡ, ܒܽܘܪܟܳܐ (*genu*) ܒܪܘܟ ܒܪܘܟ, ܩܽܘܕܫܳܐ (*sanctum*) ܩܕܘܫ ܩܕܘܫ, ܢܽܘܗܪܳܐ (*lumen*) ܢܗܘܪ ܢܗܘܪ, ܫܽܘܒܚܳܐ (*gloria*) ܫܒܘܚ ܫܒܘܚ. Excipe ܐܽܘܪܚܳܐ (*via*) ܐܽܘܪܚ, ܐܽܘܪܥܳܐ (*occursus*) ܐܽܘܪܥ, ܐܽܘܪܟܳܐ (*longitudo*) ܐܽܘܪܟ.

H – Quodlibet nomen cujus litteræ sunt plus quam tres et penultima quiescens est, adsciscit ad penultimam ptʰahʰam in contractione, v. g. ܗܝܟܠܐ (*templum*) ܗܝܟܠ, ܟܘܪܣܝܐ (*sedes*) ܟܘܪܣܝ, ܡܕܒܚܐ (*altare*) ܡܕܒܚ, ܐܣܛܠܐ (*pallium*) ܐܣܛܠ, ܐܘܠܨܢܐ (*oppressio*) ܐܘܠܨܢ. Item agendum cum nominibus origine quadrilitteris in quibus abjecta fuit una ex litteris radicalibus, v. g. ܡܓܠܐ (*falx*) ܡܓܠ, ܡܣܒܐ (*acceptio*) ܡܣܒ, ܡܕܥܐ (*intellectus*) ܡܕܥ, ܡܦܩܐ (*exitus*) ܡܦܩ: quia sunt pro ܡܓܙܠ, ܡܢܣܒ, ܡܝܕܥ, ܡܢܦܩ. Notandum ܡܡܠܠܐ (*sermo*) et ܡܛܠܠܐ (*tabernaculum*) contrahi ab Occidentalibus in ܡܡܠܠ et ܡܛܠܠ et ab Orientalibus in ܡܡܠܠ et ܡܛܠܠ.

J – Nomina bilittera quorum prima quiescit assumunt in contractione zlamam ad primam, v. g. ܫܡܐ (*nomen*) ܫܡ, ܕܡܐ (*sanguis*) ܕܡ, ܒܪܐ (*filius*) ܒܪ (Conf. n. 118). Ita ܐܝܐ contrahitur in ܐܝ vel ܐܝ quia in origine erat ܐܝܐ cum jodʰ quiescenti, hinc in contractione jodʰ assumere debuisset zlamam, sed euphoniæ causa zlama mutatur in hʰvasˢam. Nota quod ܐܒܐ (*pater*) et ܐܚܐ (*frater*) non contrahuntur (1).

K – Ex dictis hactenus liquet non contrahi nisi nomina mere Syriaca, vel exotica sed habentia formam nominum Syriacorum. Hinc nomina quæ desinunt in

(1) Orientales tamen habent juxta regulam ܐܒ et ܐܚ.

ܐ apud Occidentales ut ܐܘܣܝܐ (*essentia*) non contrahuntur: excipe ܒܐܡܐ (*tribunal*) quod contrahitur in ܒܝܡ.

L — Nomina pluralia quæ desinunt in zlamam contrahuntur substituendo ܝܢ præcedente h^{h}vas^{s}a loco ܐ̈ quæ est forma originalis plural. in Arabica lingua e. g. ܡܠܟ̈ܐ (*reges*) ܡܠܟܝܢ, ܐܝ̈ܕܝܐ (*manus*) ܐܝܕܝܢ, ܫܡܗ̈ܐ (*nomina*) ܫܡܗܝܢ (1). Excipe ܛܠܝ̈ܐ (*pueri*) ܛܠܝܢ. Item contrahuntur substantiva pluralia trilittera, quæ desinunt in ܝܐ, scilicet mutando ܝܐ in ܝܢ v. g. ܒܢ̈ܝܐ (*filii*) ܒܢܝܢ, ܙܢ̈ܝܐ (*modi*) ܙܢܝܢ, ܫܢ̈ܝܐ (*anni*) ܫܢܝܢ. Eodem modo contrahuntur nomina pluralia quæ retinent in plurali zqafam desinentiæ numeri singularis, v. g. ܐܢܫ̈ܐ (*homines*) ܐܢܫܝܢ, ܬܘܪ̈ܐ (*armentum*) ܬܘܪܝܢ, ܡ̈ܝܐ (*aqua*) ܡܝܢ.

M — Adjectiva pluralia terminata in ܝܐ contrahuntur assumendo terminationem in ܝܢ loco ܝܐ, v. g. ܟܣ̈ܝܐ (*occulti*) ܟܣܝܢ, ܕܟ̈ܝܐ (*puri*) ܕܟܝܢ. Et tunc abjiciunt hujusmodi adjectiva sic contracta signum numeri pluralis i. e. siame (1).

---

(1) Nemo ex Syris Grammaticis ob oculos habuit tanquam nos post grammaticos Europæos quod plurale desinens in ܝܢ, sit plurale nominum contractorum, minime vero nominum emphaticorum, sic v. g. ܟܘܟܒܝܢ est plur. quidem singularis apocopati ܟܘܟܒ non vero singularis ܟܘܟܒܐ. Hoc autem probatur — I. Ex eo quod quemadmodum in singulari indeterminato dicitur v. g. ܟܘܟܒ sic in duali item indeterminato dicitur ܬܪܝܢ ܟܘܟܒܝܢ non vero ܬܪܝܢ

Agamus modo de contractione indeterminationis nominum quæ habent terminationem femininam.

DE CONTRACTIONE NOMINUM QUÆ DESINUNT IN TAW FEMININI.

168- Nomina quæ desinunt in taw feminini abjiciunt in contractione indeterminationis hanc terminationem una cum vocali ei adnexa, et si nomen sit substantivum et abjecta terminatione feminina modo dicto desinat in ܝ vel ܘ quiescentia, tunc nulla alia mutatio facienda est, v. g. ܛܝܒܘܬܐ (*gratia*) ܛܝܒܘ, ܣܒܥܘܬܐ (*satietas*) ܣܒܥܘ (1), ܬܘܕܝܬܐ (*gratiarum actio*) ܬܘܕܝ,

ܬܫܒܚܬܐ. — II. Quoties adjectivum occurrit in phrasi tamquam attributum, toties in singulari adhibenda forma apocopata, et in plurali forma pluralis masculini desinens in ܝܢ vel forma pluralis feminini terminata in ܢ ; sic v. g. ܐܠܗܐ ܩܕܝܫ (*Deus est sanctus*), ܣܗܕܘܗܝ ܩܕܝܫܝܢ (*martyres ejus sancti sunt*), ܡܪܝܡ ܩܕܝܫܐ ܗܝ (*Maria sancta est*), ܗܠܝܢ ܩܕܝܫܢ (*istæ sanctæ sunt*). Ergo pluralis masculinus in ܝܢ et femininus in ܢ revera exhibent formam apocopatam, ex eo quod respondent singularibus apocopatis, Non defuere inter grammaticos Syros veteres qui hanc veritatem perceperint, inter quos recensendus est Elias patriarcha Nestorianorum nuncupatus Tirhanensis, qui in sua brevi grammatica diserte docet nomen plurale habens in fine rvâs^s am apocopari convertendo rvâs^s am in h^h wâs^s am et *nun*, nomenque plur. fem. habens ܬܐ in fine apocopari mutando hanc syllabam in *nun* quiescens.

(1) Nonnulli excipiunt ܪܒܘܬܐ (*magnitudo*), quasi ejus contractio esset ܪܒܘ (quod ipsi male pronunciant ܪܒܘ), sed perperam; nam contractio ܪܒܘܬܐ in statu quidem absoluto est ܪܒܘ quod fere est inusitatum; in statu autem constructo est: ܪܒܘܬ. Nomen autem adverbiale ܪܒܘ non est a ܪܒܘܬܐ

ܥܒܕܘܬܐ (servitus) ܥܒܕܘ, ܦܠܓܬܐ (latus, pars) ܦܠܓ. Si nomen post rejectionem terminationis femininæ modo indicato non desinat in ܘ vel ܝ quiescentia, vel si ܘ et ܝ non sint quiescentia originaliter sed tantummodo per accidens, vel si nomen non sit substantivum sed adjectivum, tunc zqafa quæ erat ad taw terminationis femininæ retrahenda est ad litteram præcedentem, et præterea tunc nomen contrahendum subit alias modificationis infra explicandas. Porro litteræ ܘ vel ܝ quiescere *per accidens* censentur quando nomen est ad normam typi qui non habet ʿsˢasˢam neque hʰvâsˢam, ex gr. ܚܕܘܬܐ (*gaudium*), ܨܘܚܝܬܐ (*convicium*), ܚܝܘܬܐ (*animal*), ܛܠܝܬܐ (*puella*): primum enim exemplum ܚܕܘܬܐ est in origine ܚܕܘܬ ad typum ܡܠܟܬܐ sine ʿsˢasˢa; secundum ܨܘܚܝܬܐ est in origine cum littera ܝ quiescenti; tertium ܚܝܘܬܐ est in origine pariter cum jodʰ quiescenti; quartum tandem ܛܠܝܬܐ est in origine ܛܠܝܬܐ cum ܝ similiter quiescenti.

169 – Omnia nomina feminina cum taw, quæ ante hoc taw non habent matrem lectionis johʰ vel waw, subeunt contractionem indeterminationis hac generali regula: Sume plurale nominis quod vis contrahere, et si in taw feminini desinit, abscinde hoc taw, et quod inde resultat est nomen contractum quod desideras; si desinit plurale in zlamam, muta hanc zlamam in

---

sed a ܪܒܬܐ (*magna*), sicut ܡܩܕܡܬܐ est a ܡܩܕܡܬܐ et ܐܚܪܝܬܐ a ܐܚܪܝܬܐ.

zqafam, et habebis contractum quod quæris. En prioris exempla: ܒܬܘܠܬܐ (*virgo*) pl. ܒܬܘ̈ܠܬܐ, contr. ܒܬܘܠܐ; ܟܠܬܐ (*sponsa*), ܟܠܠܬܐ, ܟܠܐ; ܥܠܬܐ (*causa*), ܥܠܠܬܐ, ܥܠܐ; ܪܓܬܐ (*cupido*), ܪܓܬܐ (*suppositum*), ܪܓܐ. En autem alterius exempla: ܫܥܬܐ (*hora*), ܫܥܐ, ܫܥܐ; ܡܠܬܐ (*verbum*), ܡܠܐ, ܡܠܐ.

Hujusmodi autem alaf nominum femininæ terminationis est pro littera h, cum qua clauduntur nomina feminina in lingua Arabica in وقف seu pausa ut in ساعة, حكمة, امرأة, item in Hebraica; et proinde vides ex. gr. ܟܠܐ et ܒܬܘܠܐ fuisse in origine ܟܠܗ et ܒܬܘܠܗ uti sunt in Hebraica et Arabica linguis, unde Syri mutarunt litteram *he* in alaf propter causam indicatam (Conf. n. 10) quia scilicet Syri amant occultare litteram he in pronunciatione. Inde patet quoque nomina contracta ܛܝܒܘ (*gratia*) et ܬܘܕܝ (*confessio*) præseferre normam typorum Arabicorum تَرْقُوَةٌ et تَعْزِيَةٌ, qui reperiuntur quoque apud Hebræos. Ex quibus omnibus pro certo confirmatur quod supra diximus, nimirum alaf emphaticum apud Syros respondere Arabum *tanuino*, quia apud Arabes quoque quando *tanuin* supprimitur a nominibus desinentibus in ة fœminini, apparet littera he, ex. gr. suppresso *tanuino* in كَلِمَةٌ habetur كَلِمَهْ.

170 — Juxta regulam præcedentem sic contrahes sequentia exempla: ܦܪܚܬܐ (*avis*) ܦܪܚܬܐ, ܦܪܚܐ;

ܡܥܝܪܬܐ (*vigilia*) ܡܥܝܪ̈ܬܐ, ܡܥܝܪܐ ; ܐܫܬܒܚܘܬܐ (*laudatio*) ܐܫܬܒܚ̈ܘܬܐ, ܐܫܬܒܚܘܐ ; ܐܪܡܠܬܐ (*vidua*) ܐܪܡܠ̈ܬܐ, ܐܪܡܠܐ ; ܐܬܟܫܦܬܐ (*præcatio*) ܐܬܟܫ̈ܦܬܐ, ܐܬܟܫܦܐ ; ܐܬܦܪܥܬܐ (*ultio*) ܐܬܦܪ̈ܥܬܐ, ܐܬܦܪܥܐ ; ܡܫܘܚܬܐ (*mensura*) ܡܫܘ̈ܚܬܐ, ܡܫܘܚܐ ; ܙܥܘܪܬܐ (*minima*) ܙܥܘܪ̈ܬܐ, ܙܥܘܪܐ ; ܕܟܝܬܐ (*pura*) ܕܟܝ̈ܬܐ, ܕܟܝܐ ; ܬܡܝܗܬܐ (*admiranda*) ܬܡܝ̈ܗܬܐ, ܬܡܝܗܐ ; ܡܚܘܬܐ (*percussio*) ܡܚ̈ܘܬܐ, ܡܚܘܐ ; ܚܕܘܬܐ (*gaudium*) ܚܕ̈ܘܬܐ, ܚܕܘܐ ; ܚܝܘܬܐ (*animal*) ܚܝ̈ܘܬܐ, ܚܝܘܐ ; ܨܘܚܝܬܐ (*contumelia*) ܨܘܚܝ̈ܬܐ, ܨܘܚܝܐ ; ܫܒܬܐ (*sabbatum*) ܫܒ̈ܬܐ, ܫܒܐ ; ܐܚܪܢܝܬܐ (*alia*) ܐܚܪ̈ܢܝܬܐ, ܐܚܪܢܝܐ ; ܣܦܝܢܬܐ (*navis*) ܣܦܝ̈ܢܬܐ, ܣܦܝܢܐ ; ܙܒܢܬܐ (*vices*) ܙܒ̈ܢܬܐ, ܙܒܢܐ ; ܡܕܝܢܬܐ (*urbs*) ܡܕܝ̈ܢܬܐ, ܡܕܝܢܐ ; ܚܝܠܬܢܝܬܐ (*robusta*) ܚܝܠܬܢ̈ܝܬܐ, ܚܝܠܬܢܝܐ ; ܫܡܝܢܝܬܐ (*cœlestis*) ܫܡܝܢ̈ܝܬܐ, ܫܡܝܢܝܐ (1). Excipe ܕܘܟܬܐ (*locus*) contract. ܕܘܟܐ et ܕܘܟ ; ܩܪܝܬܐ (*pagus*) ܩܘܪܐ ; ܫܥܬܐ (*hora*) ܫܥܐ et ܫܥ ; ܫܢܬܐ (*annus*) pl. ܫܢ̈ܝܐ, ܫܢܐ cum suppressione jodh. Notandum porro non deesse nomina in taw feminini desinentia quæ contractionem

(1) Consulto exempla hujus regulæ multiplicavimus quia non satis miramur eam tam facilem, tam evidentem ac tam certam a nullo adhuc grammatico non dicam Orientalium sed ne Europæorum quidem, memoratam aut cognitam fuisse. Imo notatu dignum est viam contractionis nominum femininorum tam ignotam fuisse clarissimis Hoffman et Duval ut ne per verbum quidem aliquam illi regulam assignare tentaverint in suis grammaticis.

indeterminationis seu status absoluti non patiuntur, ex. gr. ܒܪܬܐ (*filia*), ܫܢܬܐ (*somnus*), ܚܬܐ (*soror*), ܫܪܬܐ (*finis*), etc.

170 II – Denique sciendum bene est nomina contracta sive masculina sive feminina rarissime usurpari, proindeque in nominum contractorum usu praxi tibi consulendum est.

171 – Nomina pluralia sive masculina sive fœminina habentia terminationem in ܬܐ subeunt contractionem *indeterminationis* substituendo simpliciter litteram nun quiescentem terminationi ܬܐ. Ex. ܒܬܘܠܬܐ (*virgines*) ܒܬܘܠܢ, ܡܕܝܢܬܐ (*urbes*) ܡܕܝܢܢ, ܝܘܡܬܐ (*dies*) ܝܘܡܢ, ܪܥܘܬܐ (*pastores*) ܪܥܘܢ.

III– DE CONTRACTIONE NOMINUM TAW FEM. CARENTIUM IN STATU CONSTRUCTO

172 – Status constructus apud Syros fit per adnexionem unius nominis alteri, quæ quidem adnexio importat quamdam mutationem in primo duorum nominum, quod dicitur *regimen*; hanc mutationem vocant Syri grammatici ܦܣܘܩܐ (*apocopen*) ex eo quod plerumque hæc mutatio consistat in demenda terminatione nominis. Causa itaque hujus alterius modi *apocopes* seu contractionis est regimen quod regit vel nomen substantivum, v. g. ܒܪ ܐܠܗܐ (*filius Dei*), ܫܥܬ ܡܘܬܐ (*hora mortis*), vel regit aliquid quod supplet locum nominis, v. gr. ܩܕܝܫ ܒܟܠ (*sanctus in omnibus*) i.e. *sanctissimus*. Hæc apocopes frequenter adhibetur in adverbiis, ubi nullum regimen apparet. Ex. : ܡܘܗܒܬ (*gratis*) a ܡܘܗܒܬܐ (*do-

num), ܩܕܡܝܬ *(primo)* a ܩܕܡܝܬܐ.

173 – Hisce præmissis dicimus nomen singulare carens taw fœminini quando subit contractionem regiminis eodem prorsus modo contrahi ac nomen quod subit contractionem *indeterminationis*. Ex. gr. ܡܠܟܐ *(rex)* ܡܠܟ, ܥܝܢܐ *(oculus)* ܥܝܢ. Unde v. g. hæc duo nomina contracta ܡܠܟ et ܥܝܢ inserviunt indicandæ tum indeterminationis tum regiminis contractioni.

174 – Excipiuntur quoque pauca nomina, quorum potiora sunt ܡܪܝܐ *(dominus)*, ܒܝܬܐ *(domus)*, quæ per contractionem indeterminationis fiunt ܡܪܐ et ܒܝܬ, per contractionem vero regiminis fiunt ܡܪܐ et ܒܝܬ. Nota nomen ܡܪܝܐ cum regimine nominis nunquam usurpari; unde non dicitur ܡܪܝܐ ܕܫܡܝܐ *(Dominus cæli)*, sed ܡܪܐ ܕܫܡܝܐ. Denique nomen ܣܘܓܐܐ *(multitudo)* non habet contractionem indeterminationis, et in statu constructo dicitur ܣܘܓܐܬ per exceptionem. Præterea nomen ܠܠܝܐ *(nox)* cum contrahitur in statu constructo, dicitur ܠܠܝ quod non adhibetur nisi in adverbio ܠܠܝ ܐܝܡܡ *(noctu et diu)*.

175 – Dantur quædam nomina quæ non usurpantur nisi contracta in statu regiminis, suntque nomina loci vel temporis formæ ܡܩܛܠ. En notiora: ܡܣܡܐ ܥܝܢܐ *(quantum risus protenditur)*, ܡܬܟܠ ܐܦܐ *(fiducia)*, ܡܫܡܠܝ ܕܓܒܬܐ *(fruitio desiderati)*, ܡܫܕܐ ܓܐܪܐ *(jactus*

sagittæ), ܡܫܕܝ ܟܐܦܐ (*jactus lapidis*), ܡܩܪܐ ܬܪܢܓܠܐ (*hora qua canit gallus*), ܡܪܕܝ ܝܘܡܐ (*iter unius diei*), ܡܛܪ ܢܦܫ (*vitæ conservatio*), ܡܣܡܪ ܫܢܬܐ (*terminus anni*). Quibus adde ܡܐܟܠ ܥܝܢܐ (*oculorum fascinator*).

176 – Nomina autem pluralia quæ littera taw fem. carent, contrahuntur per mutationem ܐ finalis in litteram ܝ præmissa motione pt^h^ah^h^a : quod si istud nomen plurale, post rejectionem illius alaf finalis, desinat in jod^h^, contrahitur per simplicem suppressionem motionis jod^h^. Exempla ܪܫܐ (*capita*) ܪܫܝ, ܥܝܢܐ (*oculi*) ܥܝܢܝ, ܒܬܐ (*domus*) ܒܬܝ, ܢܫܐ (*mulieres*) ܢܫܝ, ܡܪܘܬܐ (*domini*) ܡܪܘܬܝ, ܫܢܐ (*anni*) ܫܢܝ, ܒܢܝܐ (*filii*) ܒܢܝ, ܐܢܫܐ (*homines*) ܐܢܫܝ, ܡܝܐ (*aqua*) ܡܝ. Excipiuntur adjectiva derivata ex radice imperfecta in lamad^h^, quæ in contractione adsciscunt duplex jod^h^ : ex. gr. ܡܫܡܠܝܐ (*perfecti*) ܡܫܡܠܝܝ etc. Item ܕܟܝܐ (*puri*) contrahitur in ܕܟܝܝ videlicet restituendo nomen ad formam primitivam singularis ; item ܫܘܝܐ (*æquales*) in ܫܘܝܝ, ܩܕܝܫܐ (*sancti*) in ܩܕܝܫܝ.

IV – DE CONTRACTIONE NOMINUM TAW FEMININI HABENTIUM IN STATU CONSTRUCTO

177 – Regula pro contractione status constructi nominis singularis desinentis in litteram taw feminini, est ut assumatur nomen contractum indeterminationis et addatur ei in fine littera taw lenis quiescens ; et si in alaf desinit supprimatur hoc alaf et mutetur insuper zqafa quæ illud præcedit in pt^h^ah^h^am. Quod si in aliam

vocalem desinit, conservanda est. Ex. gr. ܒܬܘܠܬܐ (*virgo*) ܒܬܘܠܬ, ܟܠܬܐ (*sponsa*) ܟܠܬ, ܐܪܡܠܬܐ (*vidua*) ܐܪܡܠܬ, ܩܕܝܫܬܐ (*sancta*) ܩܕܝܫܬ, ܚܕܘܬܐ (*gaudium*) ܚܕܘܬ, ܫܐܘܠܬܐ (*mutuum*) ܫܐܘܠܬ, ܚܝܘܬܐ (*animal*) ܚܝܘܬ, ܡܕܝܢܬܐ (*urbs*) ܡܕܝܢܬ, ܛܝܒܘܬܐ (*gratia*) ܛܝܒܘܬ, ܡܠܟܘܬܐ (*regnum*) ܡܠܟܘܬ, ܬܘܕܝܬܐ (*confessio*) ܬܘܕܝܬ, ܫܢܬܐ (*annus*) ܫܢܬ, ܫܥܬܐ (*hora*) ܫܥܬ, ܡܨܥܬܐ (*medium*) ܡܨܥܬ; ex absolutis: ܒܬܘܠܐ, ܟܠܐ, ܐܪܡܠܐ, ܩܕܝܫܐ, ܚܕܘ, ܫܐܘܠܐ, ܡܕܝܢܐ, ܛܝܒܘ, ܡܠܟܘ, ܬܘܕܝܐ, ܫܢܐ, ܫܥܐ, ܡܨܥܐ. Anomala sunt sequentia nomina: ܩܪܝܬܐ (*pagus*) ܩܘܪܝܬ, ܚܝܘܬܐ (*vita*) ܚܝܬ, ܒܪܬܐ (*filia*) ܒܪܬ cum reticentia litteræ ܪ, ܢܩܥܐ (*lacus*) ܢܩܥܬ.

178 – Nomina vero sive masculina sive feminina habentia formam pluralem cum servili ܬܐ contrahuntur in statu regiminis simpliciter per suppressionem zqafæ litteræ taw. Ex. gr. ܡܠܟܘܬܐ (*regna*) ܡܠܟܘܬ, ܐܪܥܬܐ (*terræ*) ܐܪܥܬ, ܕܟܝܬܐ (*puræ*) ܕܟܝܬ, ܝܘܡܬܐ (*dies*) ܝܘܡܬ, ܪܥܘܬܐ (*pastores*) ܪܥܘܬ.

178[II] – Non desunt nomina feminina quæ in statu constructo quidem contrahuntur, non autem in statu absoluto; eorum contractio formatur a contractis fictitiis status absoluti nota regula, ut ܚܪܬܐ (*finis*), ܚܪܬܐ, (ܚܪܐ), ܚܪܬ. Per exceptionem dicitur ܦܐܬܐ et

ܦܬܐ, a ܡܬܬܐ (*mensura*) et ܦܬܬܐ (*gena*). Hujusmodi nomina contracta, in locutionibus adverbialibus potissimum adhibentur, ex. gr. ܒܪܫܝܬ (*principio*), ܚܝܝܬ (*durante vita*), ܩܕܡܝܬ (*primo*), ܐܚܪܝܬ (*postremo*), ܠܚܘܕܬܐ (*denuo*).

Sunt etiam nomina masculina quæ cum contractione adverbialiter tantum adhibentur quin habeant statum emphaticum, i. e. quin in alaf exeant, ex. gr. ܒܥܪܛܠܐ (*nude*), ܒܥܓܠ (*cito*), ܛܘܬ (*jejune*), ܠܡܚܣܢ (*vix*).

Denique nomina feminina ܐܚܪܝܬܐ (*alia*), ܚܛܝܬܐ (*peccatum*) et alia, nullam contractionem patiuntur.

179 – Sequente in pagina exhibemus in tabula exempla nominum tum generis masculini, tum feminini desinentis in taw in statu emphatico, in statu absoluto et in statu constructo, tum in singulari tum in plurali.



TABELLA

STATUS EMPHATIC. SING.	PLUR. EMPHAT.	NOM. CONTRACT. INDETERMIN. CAUSA
ܟܬܒܐ	ܟܬ̈ܒܐ	ܟܬܒ
ܣܘܪܐ	ܣܘ̈ܪܐ	ܣܘܪ
ܚܣܝܐ	ܚܣ̈ܝܐ	ܚܣܝܐ
ܡܪܝܐ	ܡܪܘ̈ܬܐ ܡܪ̈ܝܐ	ܡܪܐ
ܒܪܐ	ܒܢ̈ܝܐ	ܒܪ
ܢܦܫܐ	ܢܦ̈ܫܬܐ	ܢܦܫ
ܡܠܟܐ	ܡܠ̈ܟܐ	ܡܠܟ
ܐܪܥܐ	ܐܪ̈ܥܐ	ܐܪܥ
ܪܓܬܐ	ܪ̈ܓܘܬܐ	ܪܓܐ
ܟܠܬܐ	ܟܠ̈ܠܬܐ	ܟܠܐ
ܟܢܘܬܐ	ܟܢܘ̈ܬܐ	ܟܢܘܐ
ܚܒܪܬܐ	ܚܒ̈ܪܬܐ	ܚܒܪܐ
ܡܠܟܘܬܐ	ܡܠܟܘ̈ܬܐ	ܡܠܟܘ
ܡܫܚܬܐ	ܡܫܚ̈ܬܐ	ܡܫܚܐ
ܥܘܩܒܬܐ	ܥܘܩ̈ܒܬܐ	ܥܘܩܒ
ܡܘܟܬܐ	ܡܘ̈ܟܬܐ	ܡܘܟܐ
ܚܣܝܘܬܐ	ܚܣܝܘ̈ܬܐ	ܚܣܝܘ
ܡܠܬܐ	ܡ̈ܠܐ	ܡܠܐ
ܫܢܬܐ	ܫ̈ܢܝܐ	ܫܢܐ

NOMINUM

PL. CONTR. INDET. CAUSA	NOM. CONTR. IN STATU REGIM.	PL. CONTR. IN ST. REG.
ܟܬ̈ܒܝܢ	ܟܬܒ	ܟܬ̈ܒܝ
ܫܘ̈ܪܝܢ	ܫܘܪ	ܫܘ̈ܪܝ
ܣܦ̈ܝܢ	ܣܦܝܢܬܐ	ܣܦ̈ܝܢܝ
ܡ̈ܢܘܢ	ܡܢܬ	ܡ̈ܢܘܬ
ܟܠ̈ܝܢ	ܟܠ	ܟܠ̈ܝ
ܢܩ̈ܦܢ	ܢܩܦ	ܢܩ̈ܦܬ
ܡܠ̈ܟܝܢ	ܡܠܟ	ܡܠ̈ܟܝ
ܐܚ̈ܝܢ	ܐܚ	ܐܚ̈ܝ
ܪ̈ܕܘܢ	ܪܕܐ	ܪ̈ܕܘܬܐ
ܡ̈ܠܠܢ	ܡܠܬ	ܡ̈ܠܠܬ
ܡܬܘ̈ܠܢ	ܡܬܘܠܬ	ܡܬܘ̈ܠܬ
ܣܒ̈ܝܢܢ	ܣܒܝܢܬܐ	ܣܒ̈ܝܢܬܐ
ܡܠܟ̈ܘܢ	ܡܠܟܘܬܐ	ܡܠܟ̈ܘܬܐ
ܣܦ̈ܣܢ	ܣܦܣܬ	ܣܦ̈ܣܬ
ܐܘ̈ܪܚܢ	ܐܘܪܚܬ	ܐܘ̈ܪܚܬ
ܚܘ̈ܒܢ	ܚܘܒܬ	ܚܘ̈ܒܬ
ܣܣ̈ܘܢ	ܣܣܘܬܐ	ܣܣ̈ܘܬܐ
ܢܟ̈ܠܝܢ	ܡܠܬ	ܡ̈ܠܝ
ܫ̈ܠܝܢ	ܫܠܬ	ܫ̈ܠܝ

CAPUT V

DE APHÆRESI NOMINIS VOCATIVI

180 — Aphæresis nominis vocativi similitudinem quamdam habet cum gd^{h}ama, de quo hactenus. Ea autem est truncatio partis extremæ vocabuli ad indicandum loquentis animi motum.

Homines communiter solent aphæresin amare in nomine vocativo; Arabes quidem id faciunt expungendo nun tanuini, ut يا رَجُلُ *(o homo)* ex رَجُلٌ, aut ultimam nominis litteram, ut يا عائِشَ, يا حارِ, ex عائشة et حارث. In Græca autem lingua (item in Latina) aphæresis vocativi in nominibus quæ in *s* exeunt, fit per suppressionem hujus *s* et conversionem præcedentis *o* aut *u* in *e*, ut notum est. Nonnunquam syllabam integram finalem truncant Græci.

In Syriaca autem lingua vocativi aphæresis non exstat nisi in nominibus Græcis aut Latinis quæ Syri usurparunt. Hæc autem aphæresis eodem modo ac in linguis Græca et Latina fit; id est: Si nomen exit in *os*, in vocativo ponitur *e* pro *os*, ut ܬܐܘܦܝܠܐ *(Theophile)* ex ܬܐܘܦܝܠܘܣ, ܦܝܠܝܦܐ *(Philippe)* ex ܦܝܠܝܦܘܣ; et sic ܦܘܠܐ, ܩܘܪܢܠܝܐ, ex ܦܘܠܘܣ et ܩܘܪܢܠܝܘܣ. Verumtamen Syri Orientales pro *e* pronumciant *a*, quod non satis mirandum, at, quod magis mirandum hoc *a* per pth^{h}ah^{h}am non per zqafam exprimunt contra morem suum; dicunt igitur et scribunt ܬܐܘܦܝܠܐ, ܦܝܠܝܦܐ, ܦܘܠܐ, ܩܘܪܢܝܠܐ.

181 – Nomen autem desinens in *as*, in vocativo perdit *s* tantum, ut ܐܢܝܐ (*Ænea*) ܐܩܘܠܐ (*Aquila*) in vocatione ܐܢܝܐܣ, ܐܩܘܠܐܣ: in quo Orientales cum Occidentalibus concordant.

182 – Ex his aliisque quæ antea vidimus colligit linguæ Græcæ peritus Syros non assumpsisse nomina Græca nisi in casu nominativo et vocativo, neglectis ceteris casibus, i.e. genitivo, dativo et accusativo; nomina tantum feminina pluralia in casu accusativo eos accepisse.



CAPUT VI

DE FORMATIONE ADJECTIVORUM FŒMININORUM

183 – Nomen vel est substantivum (ܫܡܐ ܩܢܘܡܝܐ) vel adjectivum (ܫܘܡܗܐ). Itaque adjectivum apud Syros ut apud Arabes cum substantivo tum quoad genus tum quoad numerum concordare debet. Cum autem capitibus præcedentibus regulas pro formatione pluralium in genere tum substantivorum tum adjectivorum tradiderimus, restant nobis explicandæ leges pro formatione fœmininorum adjectivorum.

184 – Quodlibet adjectivum masculinum habens alaf emphaticum fit fœmininum intercalando litteram taw ante ultimam zqafam, v. g. ܫܦܝܪܐ (*pulcher*) ܫܦܝܪܬܐ (*pulcra*), ܪܒܐ (*magnus*) ܪܒܬܐ (*magna*), ܐܟܒܘܪܐ

(*parvus*) ܙܥܘܪܬܐ (*parva*). Quæ quidem regula applicatur etiam substantivis quæ similia sunt adjectivis in eo quod sexum exprimunt, v. g. ܥܠܝܡܐ (*adolescens vir*), ܥܠܝܡܬܐ (*puella*). Quod si adjectivum habeat pro tertia radicali (nempe pro littera quæ antecedit alaf emphaticum) hamzam, hæc hamza conservatur in formatione fœminini v. g. ܣܓܝܐܐ (*multus*) ܣܓܝܐܬܐ, ܗܢܝܐܐ (*jucundus*) ܗܢܝܐܬܐ, ܣܢܝܐܐ (*odibilis*) ܣܢܝܐܬܐ.

185 — Nihilominus plura adjectiva præter istam regulam generalem formant sua fœminina, quorum principaliora ad quasdam classes reducimus:

(1) Quodlibet adjectivum trilitter. præter adjectiva defectiva in lamad[h] habens primam radicalem mobilem per pt[h]ah[h]am, et secundam quiescentem, fit fœmininum vel per transpositionem pt[h]ah[h]æ a prima ad secundam radicalem, v. g. ܛܠܝܐ (*puer*) ܛܠܝܬܐ (*puella*), ܚܒܪܐ (*socius*) ܚܒܪܬܐ (*socia*), ܚܕܬܐ (*novus*) ܚܕܬܐ (*nova*) pro ܚܕܬܬܐ, ܥܣܩܐ (*difficilis*) ܥܣܩܬܐ; vel per conservationem pt[h]ah[h]æ ad primam radicalem, v. g. ܛܢܦܐ (*impurus*) ܛܢܦܬܐ, ܢܟܦܐ (*pudicus*) ܢܟܦܬܐ, ܚܪܫܐ (*mutus*) ܚܪܫܬܐ, ܚܢܦܐ (*ethnicus*) ܚܢܦܬܐ, ܚܪܒܐ (*dirutus*) ܚܪܒܬܐ, ܓܪܒܐ (*leprosus*) ܓܪܒܬܐ, ܡܟܝܟܐ (*dejectus*) ܡܟܝܟܬܐ, ܨܐܐ (*sordidus*) ܨܐܬܐ, ܨܚܢܐ (*impurus*) ܨܚܢܬܐ, ܦܚܙܐ (*obscœnus*) ܦܚܙܬܐ, ܛܡܐܐ

(impurus) ܛܡܐܬܐ cum mim quiescenti, vel mobili cum pt^h^ah^h^a, Orientales autem ponunt notam mhagjana ad mim (n. 46). Item a ܝܰܬܡܳܐ *(orphanus)* ܝܰܬܡܬܳܐ vel ܝܰܬܺܡܬܳܐ (n. 103). Istam quoque regulam sequuntur substantiva quæ significant sexum, v. g. ܟܰܠܒܳܐ *(canis)* ܟܰܠܒܬܳܐ, ܡܰܠܟܳܐ *(rex)* ܡܰܠܟܬܳܐ.

(2) Quodvis adjectivum trilitterum defectivum in tertia radicali habens primam radicalem motam per pt^h^ah^h^am et secundam quiescentem, in feminino quiescentem habet primam radicalem et secundam motam per h^h^vas^s^am, v. g. ܚܰܣܝܳܐ *(sanctus)* ܚܣܺܝܬܳܐ, ܒܰܪܝܳܐ *(creatus)* ܒܪܺܝܬܳܐ, ܟܰܪܝܳܐ *(brevis)* ܟܪܺܝܬܳܐ, ܛܰܠܝܳܐ *(puer)* ܛܠܺܝܬܳܐ, ܦܰܐܝܳܐ *(splendidus)* ܦܐܺܝܬܳܐ.

(3) Quodlibet adjectivum trilitterum cujus prima radicalis mota est per zqafam, et cujus secunda est quiescens, habet in secunda radicali zlamam in feminini formatione, v. g. ܪܳܚܡܳܐ *(amicus)* ܪܳܚܶܡܬܳܐ, ܦܳܪܘܿܩܳܐ *(salvator)* ܦܳܪܘܿܩܬܳܐ: attamen v. g. ܦܳܪܥܳܐ *(retribuens)* fit in fem. ܦܳܪܰܥܬܳܐ, ܥܳܒܪܳܐ *(transiens)* ܥܳܒܰܪܬܳܐ, cum pt^h^ah^h^a loco zlamæ, juxta dicta n. 118.

(4) Quodlibet adject. trilitt. cujus prima movetur per zqafam, et secunda quiescit, si sit defectivum in lamad^h^, scilicet si habeat jod^h^ loco tertiæ radicalis, tunc in fæm. pro zlama secunda radicalis assumit h^h^vas^s^am, v. g. ܪܳܥܝܳܐ *(pastor)* ܪܳܥܺܝܬܳܐ, ܕܳܘܝܳܐ *(infelix)* ܕܳܘܺܝܬܳܐ, ܐܳܣܝܳܐ *(medicus)* ܐܳܣܺܝܬܳܐ. Excipitur ܡܳܪܝܳܐ *(dominus)* cujus

fœm. est ܡܪܬܐ (*domina*), cœteroquin ܡܪܝܐ non est adjectivum sed substantivum.

(5) Quodvis adjectivum cujus forma primitiva respondet typis Arabicis مفعّل, vel مفعل (hujus mim apud Syros habet pthahham, illius est quiescens) adsciscit in fem. pthahham ad secundam. Exempla prioris typi ܡܫܒܚܐ (*gloriosus*) ܡܫܒܚܬܐ, ܡܒܪܟܐ (*benedictus*) ܡܒܪܟܬܐ, ܡܥܠܝܐ (*exaltatus*) ܡܥܠܝܬܐ. Exempla posterioris: ܡܚܪܡܐ (*anathematizatus*) ܡܚܪܡܬܐ, ܡܦܪܫܐ (*semotus*) ܡܦܪܫܬܐ.

(6) Quodvis adjectivum desinens in nun servile assumit in fem. hhvassam ad nun ante taw feminini, v. g. ܡܠܦܢܐ (*magister*) ܡܠܦܢܝܬܐ, ܪܚܡܢܐ (*misericors*) ܪܚܡܢܝܬܐ, ܡܫܬܪܝܢܐ (*resolvibilis*) ܡܫܬܪܝܢܝܬܐ, ܡܣܬܟܠܢܐ (*intelligens*) ܡܣܬܟܠܢܝܬܐ, ܬܪܓܡܢܐ (*interpres*) ܬܪܓܡܢܝܬܐ, ܫܡܝܢܐ (*cœlestis*) ܫܡܝܢܝܬܐ. Hic nota diligenter discrimen ex. gr. inter ܫܡܝܢܝܬܐ cum zqafa ad nun quod est fem. ܫܡܝܢܝܐ, et ܫܡܝܢܝܬܐ cum hhvassa quod est a ܫܡܝܢܐ; item ܓܘܢܝܬܐ a ܓܘܢܝܐ, et ܓܘܢܝܬܐ a ܓܘܢܐ.

(7) Excipiuntur tamen ܐܚܪܢܐ (1) (*alius*) ܐܚܪܬܐ pro ܐܚܪܢܝܬܐ (*alia*), et apud solos Occidentales ܡܣܟܢܐ (1) (*egenus*) ܡܣܟܢܬܐ (1), ܙܒܝܢܐ (*emptus*) ܙܒܝܢܬܐ. Item

(1) Cum zlama dura.

plurima substantiva sexum significantia, v. g. ܓܒܪܐ (*vir*) ܐܢܬܬܐ (*mulier*), ܐܒܐ (*pater*) ܐܡܐ (*mater*), ܐܚܐ (*frater*) ܚܬܐ (*soror*), ܒܪܐ (*filius*) ܒܪܬܐ (*filia*), ܚܡܝܐ (*socer*) ܚܡܬܐ (*socera*), ܥܒܕܐ (*servus*) ܐܡܬܐ (*ancilla*), ܚܡܪܐ (*asinus*) ܐܬܢܐ (*asina*), ܣܘܣܝܐ (*equus*) ܣܘܣܝܬܐ (*equa*), ܟܘܕܢܝܐ (*mulus*) ܟܘܕܢܝܬܐ (*mula*).

186 – Observandum tandem adjectivum fœmininum apocopatum per gdhamam *indeterminationis* confundi cum adjectivo masculino desinenti in alaf emphaticum, uti facile liquet ex cap. IV, v. g. ܕܟܝܐ (*purus*) est adject. masc. desinens in alaf emphaticum et in contractione fit ܕܟܐ ; et simul ܕܟܝܐ est adjectiv. fœm. contractum ad significandam indeterminationem ab adject. primitivo fœm. ܕܟܝܬܐ (*pura*). Item ܙܕܝܩܐ (*justus*) si consideretur uti adject. primitivum masculinum habet suum contractum ܙܕܝܩ , et si habeatur veluti femininum, est adject. fœm. contractum a ܙܕܝܩܬܐ ; item ܡܒܪܟܐ (*benedictus*) tamquam adjectiv. masc. contrahitur in ܡܒܪܟ , et tamquam fœmininum est adjectiv. contract. fœm. a ܡܒܪܟܬܐ . etc. etc. Sed alaf in ܕܟܝܐ v. g. feminino, est pro he ut alibi explicavimus.



CAPUT VII

DE NOMINIBUS COMPOSITIS

187 – Semiticæ gentes nomina composita ex duabus vel pluribus vocibus in genere non multum amant. Apud Syros tamen, propter eorum cum Persis et Græcis commixtionem, plura reperiuntur nomina composita.

188 – Habent Syri plura vocabula quæ in componendis nominibus frequentissime occurrunt, primamque eorum partem formant, quorum hæc sunt præcipua: ܒܥܠ *(dominus)*, ܒܪ *(filius)*, ܒܝܬ *(domus)*, ܪܒ *(magnus)*. Porro nomen compositum ut unum vocabulum pronunciatur; scribitur quoque sæpissime orthographice ut unum. En notiora nomina composita: ܒܥܠܫܡܐ *(homonymus)*, ܐܡܙܘܪܐ *(nanus)* (ex ܐܡܬܐ et ܙܘܪܐ), ܚܕܒܫܒܐ *(dies Solis)*, ܡܣܡ ܒܪܫܐ *(pœna)*, ܦܘܢܝ ܦܬܓܡܐ *(responsum)*, ܒܥܠܕܒܒܐ (1) *(inimicus)*, ܡܦܩ ܒܪܘܚܐ *(apologia)*, ܒܪܐܢܫܐ (compositum ex ܒܪ *filius* et ܐܢܫܐ *homo*) vel ܒܪܢܫܐ *(homo)*, ܒܥܠܕܝܢܐ *(adversarius)*, ܒܥܠܕܪܐ *(inimicus in bello)*, ܒܪܚܐܪܐ (2) *(liber)*, ܒܪܩܠܐ *(vox, vocabulum)*, ܐܟܠܩܪܨܐ *(accusator)*, ܒܪܡܦܩܢܐ

(1) Compositum ex ܒܥܠ et ܕܒܒܐ, quæ secunda vox ex lingua Syriaca litterali extra hoc compositum perdita est, remansit tamen in dialecto Babylonica quæ dicitur Chaldaica et in idiomate Mandaitarum. Unde vides dialectum istam litteralem non semper esse optimam.

(2) Apud Orientales cum zlama dura.

(ebur), ܫܬܐܣܐ (1) *(fundamentum)*, ܬܪܓܠܐ *(hirco-cervus)*, ܥܡܪܓܘܦܢܐ *(gossypium)*, ܣܡܣܓܘܢܐ *(color cæruleus)*, ܡܘܕܝܬܛܝܒܘܬܐ *(gratiarum actio)*, ܣܝܡܝܕܐ *(chirotonia)*, ܥܡܠܛܒܐ *(labor)*, ܪܒܒܝܬܐ *(œconomus)*. Non raro unum ex elementis nominis compositi exoticum est Græcum ex. gr. ܒܡܢܐ ܐܝܕܝ *(chirographum)*. Hæc nomina itaque quamvis composita sint ex duobus nominibus considerantur tamen tamquam nomina simplicia, proindeque fiunt pluralia per flexionem secundæ vocis juxta regulas traditas, v. g.: ܒܥܠܕܒܒܐ, ܣܝܡܝܕܐ, ܟܢܫܦܫܐ, ܥܡܠܛܒܐ, ܒܪܢܫܐ ܣܘܣܩ. At ܐܒܠ ܩܢܘ, ܒܪ ܚܐܪܐ et ܒܪܢܫܐ primam partem tantum flectunt in plurali, dicitur enim ܐܒܠܝ ܩܢܘ, ܒܢܝ ܚܐܪܐ, ܒܢܝܢܫܐ; item in fem. dicitur ܐܒܠܬ ܩܢܘ, ܒܪܬ ܚܐܪܐ, ܒܪܬ ܐܢܫܐ, plur. ܐܒܠܬ ܩܢܘ, etc. Cetera utramque partem fere semper flectunt, ܒܪܬ ܩܠܐ, ܒܢܬ ܩܠܐ, ܪܒܒܝܬܐ, ܪܒܝ ܒܬܐ.

Derivatio autem in nominibus compositis eadem ratione habet locum ac in nominibus simplicibus, ut ܪܒܒܝܬܘܬܐ, ܪܫ ܟܘܡܪܘܬܐ, ܒܥܠܕܒܒܘܬܐ.

Compositio sæpe habet locum in nominibus propriis oppidorum et urbium, quæ per vocem ܒܝܬ *(domus)*, ܟܦܪ *(pagus)*, vel ܬܠ *(collis)* formantur; ex. gr. ܒܝܬ ܡܪܩܫܐ nomen oppidi in Libano, ܒܝܬ ܠܗܝܐ pro ܒܝܬ ܙܠܗܝܐ nomen oppidi in Antilibano, ܟܦܪ ܥܩܒܪ

(1) Apud Orientales cum ptʰaḥʰa ad sʰin.

nomen oppidi in Libano, ܟܦܪ ܣܘܣ oppidum in Antilibano, ܬܠ ܓܘܙܐ oppidum in Assyria, ܬܠ ܡܢܝܢ oppidum in Damascena ditione.

CAPUT VIII

DE ADJECTIVO POSSESSIVO SEU RELATIONIS

189 — Nomen possessivum, cujus appellatio apud Syros est ܩܢܝܢܘܬܐ, formatur pari modo a Syris ac ab Arabibus, nempe per adjectionem litteræ jodh (ܝ) ultimæ litteræ nominis, etiamsi sit taw feminini abjecto prius alaf emphatico: in hoc tamen differunt Syri ab Arabibus, quod Syri ante jodh apponunt zqafam, cum Arabes nec non Hebræi habent vocalem *i* (1) v. g. ex ܐܠܗܐ (*Deus*) dices ܐܠܗܝܐ (*divinus*), ex ܣܘܪܘܣ (*pater Syrorum*) formatur nomen patronymicum ܣܘܪܝܝܐ (*Syrus*), ex ܐܘܪܫܠܡ (2) (*Hierosolyma*) ܐܘܪܫܠܡܝܐ, (*Hierosolymitanus*), ex ܡܫܝܚܐ (*Christus*) ܡܫܝܚܝܐ (*Christianus*). Pro nominibus habentibus taw feminini sæpe derivatur adjectivum ab eorum apocopatis, ut ܢܩܒܝܐ *femininus*, ܡܕܝܢܝܐ *civilis* ex ܢܩܒܐ et ܡܕܝܢܐ pro ܢܩܒܬܐ *femina* et ܡܕܝܢܬܐ *civitas*.

(1) Conveniunt cum Arabibus et Hebræis in hoc fere omnes gentes Indo-Europææ.

(2) Cum rwahha ad alaf et zlama leni ad resh.

190 – Quædam tamen gentilia subeunt modificationes præter terminationem in jodh quam assumunt, v. g. ܡܨܪܝܢ (*Ægyptus*) ܡܨܪܝܐ (*Ægyptius*), ܪܗܘܡܝ (1) (*Roma*) ܪܗܘܡܝܐ (*Romanus*), ܐܝܣܪܝܠ (*Israel*) ܐܝܣܪܝܠܝܐ (*Israelita*), ܐܘܪܗܝ (2) (*Edessa*) ܐܘܪܗܝܐ (*Edessenus*), ܒܒܠ (*Babylonia*) ܒܒܠܝܐ (*Babylonensis*), ܢܝܢܘܐ (*Ninives*) ܢܝܢܘܝܐ (*Ninivita*), ܕܪܡܣܘܩ (*Damascus*) ܕܪܡܣܘܩܝܐ (*Damascenus*), ܥܡܠܝܩ (*Amalec*) ܥܡܠܝܩܝܐ (*Amalecita*), ܩܦܕܘܩܣ (*Cappadocia*) ܩܦܕܘܩܝܐ (*Cappadox*), ܢܨܝܒܝܢ (*Nisibis*) ܢܨܝܒܢܝܐ (*Nisibenus*), ܒܝܬ ܢܗܪܝܢ (*Mesopotamia*) ܒܝܬ ܢܗܪܝܐ (*Mesopotamenus*).

191 – Pro formatione adjectivorum denominativorum seu possessivorum ex nominibus communibus tantum, habent Syri aliam terminationem quæ consistit in suffigenda littera nun, eodem modo ac jodh, v. g. ܪܘܚܢܐ (*spiritualis*), ܐܪܥܢܐ (*terrestris*), ܦܓܪܢܐ (*corporeus*), ܒܣܪܢܐ (*carnalis*), ܫܡܝܢܐ (*cælestis*), ܥܕܬܢܐ (*ecclesiasticus*), ex substantivis ܪܘܚܐ, ܐܪܥܐ, ܦܓܪܐ, ܒܣܪܐ, ܫܡܝܐ, ܥܕܬܐ.

192 — Habent Syri et aliam methodum ad exprimendam relationem de qua agimus; quæ est per vocem ܕܒܝܬ (ex ܕ et ܒܝܬ) copulatam nomini cujus desideratur exprimi relatio, semper autem sensum pluralem

(1) ܪܗܘܡܝ.
(2) Apud Orientales cum rwahha.

fert; ex. gr. ܕܒܝܬ ܐܦܠܛܘܢ *Platonici* seu *sequaces Platonis*, ܕܒܝܬ ܗܪܘܕܝܣ *Herodiani*, ܕܒܝܬ ܐܗܪܘܢ *gens Aaronis*.

193 — Imo solent Syri aliquando post prædictum nun litteram jod[h] relationis adjicere, maxime quando volunt exprimere relativum relativi, sic v. g. dicunt ܦܓܪܢܝܐ, ܐܪܥܢܝܐ, ܪܘܚܢܝܐ ex ܦܓܪܢܐ, ܐܪܥܢܐ, ܪܘܚܢܐ etc. ܡܠܟܘܬܢܝܐ (*ad regnum pertinens*), ܢܩܒܬܢܝܐ (*femininus*), ex ܡܠܟܘܬܐ (*regnum*) et ܢܩܒܬܐ (*femina*). Videtur discrimen ex. gr. inter ܪܘܚܢܐ et ܪܘܚܢܝܐ in hoc reponendum, quod ܪܘܚܢܐ indicet adjectivum quod dicit relationem ad spiritum, et ܪܘܚܢܝܐ exprimat adjectivum quod dicit relationem ad spiritualem : et sic de ceteris exemplis.

194 — Solent Syri quoad nomina exotica, eorumdem adjectiva relativa exotica plerumque adhibere; proindeque pro istis nulla regula fixa assignari potest. Ex. gr. ܠܘܓܝܩܝ (1) (*logica*) ܠܘܓܝܩܘܣ vel ܠܘܓܝܩܝܐ (*logicus*), ܢܣܛܘܪܝܘܣ (*Nestorius*), ܢܣܛܘܪܝܢܘܣ (*Nestorianus*), ܝܥܩܘܒ (*Jacob*) ܝܥܩܘܒܝܐ vel ܝܥܩܘܒܝܬܐ (2) (*Jacobita*), ܐܪܝܘܣ (*Arius*) ܐܪܝܢܘܣ (*Arianus*), ܐܣܟܘܠܝ (3) (*Schola*) ܐܣܟܘܠܣܛܝܩܝܐ (*Scholasticus*),

(1) ܠܘܓܝܩܝ.

(2) ܝܥܩܘܒ est nomen Hebraicum, sed ejus denominativum est ex lingua Græca desumptum!!

(3) ܐܣܟܘܠܝ.

ܐܘܢܓܠܝܘܢ (1) (*Evangelium*) ܐܘܢܓܠܣܛܐ (*Evangelista*), ܗܪܣܝܣ (*Hæresis*) ܗܪܛܝܩܐ (2) (*Hæreticus*), ܐܓܘܢܐ (3) (*agon*) ܐܓܘܢܣܛܐ (*certator*).

Attamen nomina propria locorum vel personarum Græca, quæ desinunt in ܘܣ formant patronymica et gentilitia plerumque per substitutionem litteræ jodh loco ܘܣ, ex. gr. ܩܘܪܢܬܘܣ (*Corinthus*) ܩܘܪܢܬܝܐ (*Corinthius*), ܐܦܣܘܣ (*Ephesus*) ܐܦܣܝܐ (*Ephesinus*) ܦܘܠܘܣ (*Paullus*) ܦܘܠܝܐ (*Paulluinus*).

195 - Nihilominus existunt apud Syros quædam nomina possessiva vere Syriaca vel adhibita ab ipsis uti Syriaca, quæ formantur præter regulas hactenus traditas, quorum potiora sunt: ܓܙܒܪܐ (4) vel ܓܝܙܒܪܐ vel ܓܙܘܪܐ (5) (*custos gazæ*) a ܓܙܐ (*gaza*), ܐܣܛܘܢܝܐ vel ܐܣܛܘܢܝܐ (*stylita*) ab ܐܣܛܘܢܐ (*columna*), ܐܠܦܢܐ (*nauta*) ab ܐܠܦܐ (*navis*), ܡܘܣܝܩܝܐ (*musicus*) a ܡܘܣܝܩܝ (*musica*), ܩܝܬܪܘܕܐ (*citharista*) a ܩܝܬܪܐ (*cithara*), ܩܝܛܘܢܝܐ (*thalami custos*) a ܩܝܛܘܢܐ (*thalamus*), ܦܘܪܕܝܣܢܐ (*hortulanus*) a ܦܘܪܕܝܣܐ (*hortus*), ܐܪܡܝܐ

(1) ܐܘܢܓܠܝܘܢ.

(2) ܗܪܛܝܩܐ.

(3) ܐܓܘܢܐ.

(4) Cum zlama forti ad gamal.

(5) Apud Mandæos ܓܝܙܒܪܐ.

(4 zqafæ) *(Syrus)* vel ܐܪܡܝܐ (1 ptʰalʰa et 2 zqafæ) *(ethnicus)* utrumque ab ܐܪܡ *(Aram)*, ܩܘܪܝܝܐ *(rusticus)* a ܩܪܝܬܐ *(pagus)*, ܐܡܗܝܐ *(maternus)* ab ܐܡܐ, ܫܡܗܝܐ *(nominalis)* a ܫܡܐ, ܐܒܗܝܐ *(paternus)* ab ܐܒܐ, ܦܘܬܩܝܐ *(caupo)* a ܦܘܬܩܐ *(caupona)*, ܣܦܢܝܐ *(nauta)* a ܣܦܝܢܬܐ *(navis)*, ܪܝܚܢܝܐ *(aromaticus)* a ܪܝܚܐ (1) *(odor, aroma)*, ܚܝܘܬܢܝܐ *(belluinus)* a ܚܝܘܬܐ *(bellua)*, ܫܒܘܝܐ *(reducens in captivitatem)* a ܫܒܝܬܐ *(captivitas)*, ܙܘܝܝܐ *(angularis)* a ܙܘܝܬܐ *(angulus)*.

Nota etiam ܐܚܪܝܐ *(ultimus)*, ܐܟܣܢܝܐ *(peregrinus)*, ܩܕܡܝܐ *(primus)*, ܬܚܬܝܐ *(inferior)*, ܫܘܪܝܝܐ *(præcox)*, a ܚܪܬܐ *(finis)*, ܐܟܣܢܝܘܬܐ *(peregrinatio)*, ܩܕܡ *(antiquus)*, ܬܚܬ *(infra)*, ܫܘܪܝܐ *(principium)*; et multa adjectiva simplicia formam adjectivi relativi habentia, ut ܢܘܟܪܝܐ *(alienigena)*, ܚܪܝܝܢܐ *(litigiosus)*, ܕܚܠܝܐ *(religiosus)*, ܡܨܥܝܐ *(medius)*, omnia cum jodʰ; et ut ܚܪܡܢܐ *(immanis)*, ܥܠܝܠܢܐ *(effectus, causatus)*, ܫܠܝܛܢܐ *(potentatus)*, omnia cum nun.



(1) Cum zlama dura.

CAPUT IX

DE NOMINE DIMINUTIVO

196 – Nomen diminutivum formatur addendo terminationem (1) ܘܢܐ vel (1) ܘܣܐ in fine nominis, dempto littera alaf emphatico. Exempla nominum diminutivorum cum terminatione ܘܢܐ: ex ܒܪܐ *(filius)* ܒܪܘܢܐ *(filiolus)*, ܐܚܐ *(frater)* ܐܚܘܢܐ, ܟܬܒܐ *(liber)* ܟܬܒܘܢܐ, et ita dices ܓܒܪܘܢܐ ex ܓܒܪܐ *(vir)*, ܛܠܝܘܢܐ *(puerulus)* a ܛܠܝܐ *(puer)*; item ܒܪܢܫܘܢܐ *(homuncio)* a ܒܪܢܫܐ *(homo)*, ܒܪܬܩܠܘܢܐ *(vocula)* a ܒܪܬܩܠܐ *(vox)*. Porro nun (ܢ) hujus terminationis diminutivæ assumit hhvassam in nominibus femininis ante terminationem ܬܐ, ex. gr. ܐܢܬܬܘܢܝܬܐ *(muliercula)* ܒܪܬܘܢܝܬܐ *(filiola)*, ܐܠܦܘܢܝܬܐ *(navicula)* ܛܠܝܬܘܢܝܬܐ.

197 – Exempla diminutivorum cum terminatione in ܘܣܐ: ex ܢܘܢܐ *(piscis)* ܢܘܢܘܣܐ *(pisciculus)* item ܐܡܪܘܣܐ *(agnellus)*, ܓܒܪܘܣܐ *(minimus vir)*, ܥܠܝܡܘܣܐ *(infantulus)*, ܟܠܒܘܣܐ *(catellus)*.

198 – Quandoque unum idemque nomen adsciscit utramque terminationem diminutivi, vel repetitur nun, v. g., ܓܒܪܘܣܘܢܐ *(valde minimus vir)*, ܐܢܫܘܣܘܢܐ

(1) Cum rwalhha.

(*minimus fraterculus*), ܛܠܝܡܘܣܢܐ (*parvus infantulus*), ܐܢܬܬܘܢܝܬܘܢܝܬܐ (*minima muliercula*), ܒܪܬܘܢܝܬܘܢܝܬܐ (*filiola minima*), ܡܒܘܥܘܢܘܢܐ (*minimus fonticulus*).

199 – Anomala sunt sequentia: ܬܘܟܠܐ (*esca*) ܬܘܟܠܬܐ, ܙܓܐ (*tintinnabulum*) ܙܓܘܓܐ, ܥܓܐ (*balbus*) fit ܥܓܘܠܓܐ.

CAPUT X

DE NOMINIBUS NUMERALIBUS

200 – Numerale (quod dicitur Syriace ܡܢܝܢܐ) incipit a ܚܕ *unus* pro masc., et ܚܕܐ *una* pro fœm., et conjungitur substantivo sive sequens, ut ܛܠܝܐ ܚܕ (*puer unus*), ܚܕܐ ܛܠܝܬܐ (*puella una*), sive præcedens, ut ܚܕ ܓܒܪܐ (*unus vir*) ܚܕܐ ܐܢܬܬܐ (*una mulier*). Sequitur ܬܪܝܢ (*duo*) pro masculino, et ܬܪܬܝܢ (*duæ*) pro feminino; post venit substantivum in numero pl. post cum terminatione nun (ܝܢ) v. g. ܬܪܝܢ ܝܘܡܝܢ (*duo dies*), ܬܪܬܝܢ ܐܚܘܢ (*duæ sorores*).

201 – Cætera nomina numeralia usque ad *decem* inclusive sunt in Syriaca lingua uti in Arabica pro nominibus masculinis cum alaf quod est pro he Arabico,

et pro femininis sine alaf (1). Sunt autem sequentia :

Masc.	Fem.		Masc.	Fem.	
ܬܠܬܐ	ܬܠܬ	tres	ܫܒܥܐ	ܫܒܥ	septem
ܐܪܒܥܐ	ܐܪܒܥ	quatuor	ܬܡܢܝܐ	ܬܡܢܐ	octo
ܚܡܫܐ	ܚܡܫ	quinque	ܬܫܥܐ	ܬܫܥ	novem
ܫܬܐ	ܫܬ	sex	ܥܣܪܐ	ܥܣܪ	decem

202 – Hæc immediate sequuntur numeralia composita uti in arabica lingua usque ad 19; sunt autem : (2)

Masc.	Fem.	
ܚܕܥܣܪ	ܚܕܥܣܪܐ	11
ܬܪܥܣܪ	ܬܪܬܥܣܪܐ	12
ܬܠܬܥܣܪ	ܬܠܬܥܣܪܐ	13

(1) Hæc distinctio in nominibus numeralibus inter masculinum et femininum viget usque ad hunc diem in dialecto Maʿlulæ præ ceteris dialectis vulgaribus Syriacis, imo Arabes ipsi lingua vulgari hanc distinctionem ubique perdidere. Habent Maʿlulani Syri et aliam præstantiam super Arabes hodiernos, quod scilicet in verbis distinguunt pluralem femininum a plurali masculino, sicut exigit regula universalis linguarum Semiticarum.

(2) Vox ܬܪܥܣܪ composita est ܬܪܝܢ et ܥܣܪ; elisum est nun ex ܬܪܝܢ propter compositionem quæ similis est regimini relationis, quemadmodum et in lingua Arabica eliditur. Eadem ratione cetera nomina composita sunt ex ܬܠܬ, ܐܪܒܥ, ܚܡܫ, ܫܬ, etc. et ex ܥܣܪ; scilicet nomina numeralia simplicia ܬܠܬܐ, ܐܪܒܥܐ, ܚܡܫܐ, etc. acceperunt formam quam accipit nomen habens taw fœminini in statu constructo, id autem propter compositionem quæ simillima est statui constructo; deinde hæc nomina aliquam mutationem subierunt euphoniæ gratia quemadmodum evenit in lingua vulgari Arabica. Simili ratione nomina fœminina formata sunt, sed in iis ܥܣܪܐ est pro ܥܣܪܐ.

Masc.	Fœm.	
ܐܪܒܥܬܥܣܪ vel ܐܪܒܥܣܪ (1)	ܐܪܒܥܬܥܣܪܐ vel ܐܪܒܥܣܪܐ (2)	14
ܚܡܫܬܥܣܪ vel ܚܡܫܥܣܪ	ܚܡܫܥܣܪܐ	15
ܫܬܬܥܣܪ vel ܫܬܥܣܪ	ܫܬܥܣܪܐ vel ܫܬܬܥܣܪܐ, vel ܫܬܬܥܣܪܐ	16
ܫܒܥܬܥܣܪ vel ܫܒܥܣܪ	ܫܒܥܣܪܐ	17
ܬܡܢܬܥܣܪ vel ܬܡܢܥܣܪ	ܬܡܢܥܣܪܐ	18
ܬܫܥܬܥܣܪ vel ܬܫܥܣܪ	ܬܫܥܣܪܐ	19

Animadvertere debes :

A – Numeralia composita quæ propria sunt substantivis fœmininis assumere siame, non ita vero quæ sunt masculinis .

B – Primam partem singulorum compositorum , exceptis primo et secundo , esse cum taw pro masculinis , et sine taw pro fœmininis .

C – Et e contra secundam partem destitutam esse alaf finali pro masculinis , et terminatam in alaf quod est pro he pro fœmininis , omnia uti in Arabica lingua.

203 — Decades autem sunt invariabiles uti apud Arabes communes scilicet masculinis et fœmininis , suntque :

(1) Orientales dicunt ܐܪܒܥܬܥܣܪ pthahha brevi ad beth.

(2) Pthahha quam habet beth non geminat sequentem 'ain (ܥ) apud Orientales.

ܥܣܪܝܢ	20	ܫܬܝܢ	60
ܬܠܬܝܢ	30	ܫܒܥܝܢ	70
ܐܪܒܥܝܢ	40	ܬܡܢܐܝܢ cum alaf post nun	80
ܚܡܫܝܢ	50	ܬܫܥܝܢ	90

Numeralia vero decadum compositarum, quæ conjuncta dicuntur, ex eo quod prima pars cum secunda per conjunctionem ܘ *(et)* colligatur, habent primam quæ est una ex decadibus invariabilem, et secundam variabilem modo quo diximus n. 201 de numeralibus cardinalibus a 3 usque ad 9. Adverte numerale majus semper præponi minori, uti clare videbis in subjecto hic schemate:

Mascul.	Fœmin.	
ܥܣܪܝܢ ܘܚܕ	ܥܣܪܝܢ ܘܚܕܐ	21
ܥܣܪܝܢ ܘܬܪܝܢ	ܥܣܪܝܢ ܘܬܪܬܝܢ	22
ܥܣܪܝܢ ܘܬܠܬܐ	ܥܣܪܝܢ ܘܬܠܬ	23
ܥܣܪܝܢ ܘܐܪܒܥܐ	ܥܣܪܝܢ ܘܐܪܒܥ	24
ܥܣܪܝܢ ܘܚܡܫܐ	ܥܣܪܝܢ ܘܚܡܫ	25
ܥܣܪܝܢ ܘܫܬܐ	ܥܣܪܝܢ ܘܫܬ	26
ܥܣܪܝܢ ܘܫܒܥܐ	ܥܣܪܝܢ ܘܫܒܥ	27
ܥܣܪܝܢ ܘܬܡܢܝܐ	ܥܣܪܝܢ ܘܬܡܢܐ	28
ܥܣܪܝܢ ܘܬܫܥܐ	ܥܣܪܝܢ ܘܬܫܥ	29

204 — Reliqua. i.e. *centum* ܡܐܐ, et *mille* ܐܠܦ communia sunt nominibus masculinis et fœmininis: ܡܐܐ quidem fœmininum est et nomina unitatis more fœmi-

ninorum ei copulantur; ܐܠܦ autem masculinum est, ideoque, nomina numeralia quæ ei copulantur, masculina esse debent; pro ܐܠܦ quod est commune, ut diximus, dicitur quoque ܐܠܦܐ cum nominibus masculinis tantum; ex. gr. ܐܠܦܐ ܕܝܢܪ̈ܝܢ vel ܗܒ ܠܝ ܐܠܦ (*da mihi mille denarios*), ܐܝܬ ܠܝ ܐܠܦ ܨܦܪ̈ܝܢ (*habeo mille passeres*). In additione centenorum et millenorum, ܡܐܐ quidem remanet in singulari, ܐܠܦ autem dicitur in plurali ܐܠܦ̈ܝܢ quemadmodum res est in Arabica lingua.

ܡܐܐ	100	ܐܠܦ vel ܐܠܦܐ	1000
ܡܐܬܝܢ	200	ܬܪܝܢ ܐܠܦ̈ܝܢ	2000
ܬܠܬ ܡܐܐ	300	ܬܠܬܐ ܐܠܦ̈ܝܢ	3000
ܐܪܒܥܡܐܐ	400	ܐܪܒܥܐ ܐܠܦ̈ܝܢ	4000
ܚܡܫܡܐܐ	500	ܚܡܫܐ ܐܠܦ̈ܝܢ	5000
ܫܬܡܐܐ	600	ܫܬܐ ܐܠܦ̈ܝܢ	6000
ܫܒܥܡܐܐ	700	ܫܒܥܐ ܐܠܦ̈ܝܢ	7000
ܬܡܢܡܐܐ	800	ܬܡܢܝܐ ܐܠܦ̈ܝܢ	8000
ܬܫܥܡܐܐ	900	ܬܫܥܐ ܐܠܦ̈ܝܢ	9000

205 – Quando res numerata non exprimitur, adhiberi potest veluti plurale ܡܐܐ (*centum*) ܡܐܘ̈ܬܐ, et ܐܠܦܐ (*mille*) ܐܠܦ̈ܐ. *Myrias* exprimitur Syriace per

ܪܒܘܬܐ quod contrahitur in ܪܒܘ et in plurali fit ܪ̈ܒܘܬܐ, ܪ̈ܒܘܢ. Dicitur ܐܠܦ ܐܠܦܝܢ (*mille millium*), et ܪܒܘ ܪ̈ܒܘܢ (*myrias myriadum*).

206 – Numeralia distributiva exprimuntur a Syris per replicationem numeralis cardinalis: v. gr. ܚܕ ܚܕ (*singuli*), ܚܕܐ ܚܕܐ (*singulæ*), ܬܪܝܢ ܬܪܝܢ (*bini*), ܬܪܬܝܢ ܬܪܬܝܢ (*binæ*), ܬܠܬܐ ܬܠܬܐ (*terni*), ܬܠܬ ܬܠܬ (*ternæ*), etc.

207 – Numeralia unitatum assumunt suffixa pronominalia ad indicandam totalitatem numeri determinati personarum aut rerum, id autem fit per suffixionem nominum pluralium de qua postea (n. 326 seq.). Ad significandam quidem dualitatem, adhibetur ܬܪܝܢ masculinis, et ܬܪܬܝܢ femininis. ܬܠܬ autem et cetera communia sunt masculinis et femininis; eaque omnia, præter ܬܠܬ, assumunt in fine taw feminini durum i. e. cum qushshaj, præcedente zqafa; sunt autem sequentia: ܬܠܬ, ܐܪܒܥܬ, ܚܡܫܬ, ܫܬܬ, ܫܒܥܬ, ܥܣܪܬ tantum. Exempla: ܬܪܝܢ (*nos duo*), ܬܪܝܗܘܢ (*ambo*), ܬܪܬܝܟܝܢ (*vos ambæ*), ܐܪܒܥܬܝܗܝܢ (*ipsæ quatuor*), ܫܬܬܟܘܢ (*vos sex*), ܥܣܪܬܝܢ (*nos decem*), ܬܠܬܝܗܘܢ (*ipsi tres.*) Observa ea omnia habere siame.

208 – A numeralibus cardinalibus derivantur numeralia ordinalia seu adjectiva: sic v. gr. dicitur:

ܩܕܡܝܐ (*primus*), ܬܪܝܢܐ (*secundus*), ܬܠܝܬܝܐ (*tertius*), ܪܒܝܥܝܐ (*quartus*), ܚܡܝܫܝܐ (*quintus*), ܫܬܝܬܝܐ (*sextus*), ܫܒܝܥܝܐ (*septimus*), ܬܡܝܢܝܐ (*octavus*), ܬܫܝܥܝܐ (*nonus*), ܥܣܝܪܝܐ (*decimus*), ܚܕܥܣܝܪܝܐ (*undecimus*), ܬܪܥܣܝܪܝܐ (*duodecimus*), ܬܠܬܥܣܝܪܝܐ (*decimus tertius*) etc. usque ad ܥܣܪܝܢܝܐ (*vigesimus*), ܬܠܬܝܢܝܐ (*trigesimus*), ܐܪܒܥܝܢܝܐ (*quadragesimus*), ܬܫܥܝܢܝܐ (*nonagesimus*). Quæ quidem adjectiva fiunt feminina regulaliter, nempe ܩܕܡܝܬܐ (*prima*), ܬܪܝܢܝܬܐ (*secunda*), ܬܠܝܬܝܬܐ (*tertia*), ܪܒܝܥܝܬܐ (*quarta*) etc.

209 — Nihilominus Syri loco horum numeralium adjectivorum sæpius usurpant ipsa numeralia cardinalia cum dalat[h], quod est signum regiminis ipsis præfixa; hinc solent dicere v. g. ܫܢܬܐ ܚܕܐ pro ܫܢܬܐ ܩܕܡܝܬܐ (*annus primus*), ܦܣܘܩܐ ܕܬܪܝܢ (*sectio secunda*, ܫܥܬܐ ܕܚܕܥܣܪܐ (*hora undecima*), ܝܘܡܐ ܕܐܪܒܥܝܢ (*dies quadragesima*), etc.

210 — Ex aliquibus nominibus numeralibus formantur nomina abstracta ad significandam quantitatem præscindendo a re numerata, naturamque nominum collectivorum habentia. Ita autem fit addendo alaf status emphatici nominibus numeralibus cardinalibus. Nomina quidem unitatis ante alaf recipiunt taw feminini, suntque sequentia: ܐܪܒܥܬܐ, ܚܡܫܬܐ, ܫܒܥܬܐ, ܬܠܬܬܐ,

ܚܡܫܝܬܐ, *quaternitas*, *quinitas*, etc. Ex ceteris, hujusmodi nomina abstracta non formantur. Nomina autem composita ex masculinis assumuntur adjecto alaf ut supra; ܚܕܡܐܬܢܐ, ܬܪܝܢܡܐܬܢܐ, ܬܠܬܡܐܬܢܐ, ܐܪܒܥܡܐܬܢܐ, ܚܡܫܡܐܬܢܐ ܫܬܡܐܬܢܐ, ܫܒܥܡܐܬܢܐ, ܬܡܢܡܐܬܢܐ, ܬܫܥܡܐܬܢܐ. Primum et secundum dicuntur quoque ܚܕܡܐܬܢܝܬܐ, ܬܪܝܢܡܐܬܢܝܬܐ. Hæc nomina usurpantur potissimum in adscribendis numeris dierum mensium in libris aut actibus publicis.

211 – Denique ad significandas fractiones, ut vulgo dicitur unitatis, usurpantur nomina a numeralibus cardinalibus derivata eadem ratione ac in Arabica lingua; post ܦܠܓܐ (*dimidium*) enim dicitur ܬܘܠܬܐ (*tertia pars*), ܪܘܒܥܐ (*quarta pars*), ܚܘܡܫܐ (*quinta pars*). Cetera non noscuntur. Attamen Barhebræus in suo Nomocanone dicto ܗܘܕܝܐ adhibuit pro (*sexto*) Arabicam vocem ܣܘܕܣܐ, forsitan per distractionem; cum analogia Syriaca exigat ut diceret ܫܘܬܬܐ vel ܫܘܕܬܐ.

212 – Syri ad figurandos numeros, notas respondentes numeris qui vulgo dicuntur Arabici non habent, sed pro iis utuntur ipsis litteris alphabeticis, proindeque hic ponimus valorem numeralem singularum litterarum :

LITTERÆ ALPHABETICÆ	VALOR NUMERICUS	LITTERÆ ALPHABETICÆ	VALOR NUMERICUS
ܐ	1	ܕ	4
ܒ	2	ܗ	5
ܓ	3	ܘ	6

LITTERÆ ALPHABETICÆ	VALOR NUMERICUS	LITTERÆ ALPHABETICÆ	VALOR NUMERICUS
ܙ	7	ܣ	60
ܚ	8	ܥ	70
ܛ	9	ܦ	80
ܝ	10	ܨ	90
ܟ	20	ܩ	100
ܠ	30	ܪ	200
ܡ	40	ܫ	300
ܢ	50	ܬ	400 etc.

Hac ratione scribitur, ex. gr. ܝܐ = 11, ܟܒ = 22, ܠܗ = 35, ܣܛ = 69, ܩܢܐ = 151, ܫܓ = 303, majore numero semper præcedente. Ad significanda autem centena ultra 400, copulantur duæ litteræ centenorum, ut ܬܩ = 500, ܬܫܢܘ = 756. Adhibebatur quoque signum ÷ ad significandum 500.

213 – Sæpius tamen, cum numerus constat millibus, centenis, decadibus et unitatibus, designantur millia quidem per litteras unitatum, centena autem per litteras decadum, dummodo majora præcedant minora, ex. gr. ܐܦܣܘ = 1866, ܒܣܡܐ = 2641, ܓܩܢܗ = 3155. Aliquando tamen solent litteras decadum puncto superiori notare ad designanda centena, litterasque unitatum lineola verticula inferiori quidem pro millibus, lineola autem horizontali ad significandas myriades, ex. gr. ܣ̇ = 600, ܢ̇ܒ = 552, ܐܥ̇ܦܗ = 1785, ܒܓܫܝܚ = 23318.

214 – Nostra ætate cœptum est apud Syros usurpari systema Indicarum notarum numeralium quod ab Europæis dicitur Arabicum id vero in libris impressis potissimum, modo figuris Europæis, modo Arabicis.



LIBER IV

DE PRONOMINIBUS



CAPUT I

DE PRONOMINE PERSONALI IN GENERE

215 — Syri grammatici ad instar Græcorum pronomen ܚܠܦ ܫܡܐ dicunt, at Barhebræus pronomen personale post Arabes ܡܛܫܝܢܐ illud nuncupavit.

216 — Pronomen autem personale duplex est apud Syros vel separatum vel suffixum. Separatum quidem est uti sequitur :

Sing.		Plur.
ܐܢܐ	Ego	ܚܢܢ
ܐܢܬ	Tu	ܐܢܬܘܢ
ܐܢܬܝ	Tu fœm.	ܐܢܬܝܢ
ܗܘ (1)	Ipse	ܗܢܘܢ
ܗܝ	Ipsa	ܗܢܝܢ

(1) Grammatici Syri recentiores enumerant ܗܿܘ inter pronomina personalia ut ܗܘ, sed perperam. Nam : 1 Huic voci respondet Arabice ذلك , Italice

217 – Vocalis hamzæ initialis pronominis ܐܢܐ origine brevis est, et talis est quoque in dialecto Chaldaica, et proinde nisi obstaret difficultas pronunciationis, ista vocalis rejici debuisset (n. 102). Sed hodie errant tum Orientales tum Occidentales qui non amplius hanc vocalem ut brevem pronunciant: illi enim clausam eam reddunt et duplicant nun sequens; hi autem cum productione eam efferunt. Pronomen ܚܢܢ erat in origine ܐܢܚܢ ex quo excidit initialis hamza, et ejus loco compensatio facta est per *nun* finale. In pronominibus integræ 2æ personæ suppresserunt Syri *pronunciationem* litteræ nun, quam tamen servant in orthographia, et insuper reticuerunt *pronunciationem* jodh finalis sing. fœmin. Pronomen 3æ personæ constat ex littera ܗ quæ habet vocalem *u* pro sing. masc. et vocalem *i* pro sing. fœm. Post *he* in plurali proferuntur duo nun loco mim (n. 90.2), separata per *u* pro masc., et per *e* pro fœm.

218 – Notandum autem pronomina personalia separata 1æ et 2æ personæ fuisse in origine ut sequitur: Pronomina 1æ pers: ܐ, ܐܢܐ vel ܐܢܟܝ; pronomina vero 2æ pers: ܐ, ܐܬ, ܐܬܘ, ܐܬܝ, quibus omnibus, excepto ܐܢܐ, præfixa fuit vox ܐܢ vel ܐܢ, unde sic efformata fue-

quello; jam vero voces hæc sunt pronomina demonstrativa, non personalia. Utique græce et latine eadem vox est et pronomen personale et demonstrativum, sed id dici nequit de omnibus linguis. – II Proprium est pronominis personalis ut suffigatur in linguis Semiticis; jam vero ܗܘ suffigi nequit. Attamen negare non possumus ܗܘ esse origine pronomen personale; est enim pro ܗܘ ܗܐ ecce ille, quod per supressionem litteræ *h* factum est ܗܗܘ, tum euph. gr. ܗܘ per zqafam ut est apud Orient.; Occidentales autem mutarunt zqafam in pthahham.

runt pronomina personalia prouti ea exhibuimus. Arabes eandem vocem ان omnibus pronominibus 1æ et 2æ personæ adjunxerunt, minime excepto انحن, in quo tamen pro انحن, dempta frequentem ob usum hamza initiali et mutata vocali longa litteræ nun finalis in brevem, dixerunt نحن (1).

219 – Sciendum deinde est pronomina personalia separata quando funguntur vice subjecti et postponuntur prædicato, vel quando hæc ipsa pronomina separata 3æ personæ intercedunt ad instar copulæ inter subjectum et prædicatum, subire quamdam mutationem: videlicet tunc excidit ܐ pronominis ܐܢܐ, et ܗ pronominum ܗܘ et ܗܝ, necnon ܚ pronominis ܚܢܢ si tamen

(1) Puto eruditos in Europa jam notasse mirandam similitudinem quæ elucet in pronominibus personalibus primitivis inter linguas Semiticas et linguas Indo-Europæas. Quod liceat sequenti tabella exponere:

	LING. SEMIT.	LING. INDO-EUR.
PRIMA PERSONA		
SING.	(an) *a*	Lat. Gr. e (go)
	i	Ind. Zend. *ah* (am) az
PLUR.	(anah) *nu*	Lat. *no* (s)
		Ind. *na* (s)
SECUNDA PERSONA		
	(an) *ta*	Ind. Lat. etc. *tu*, *ta*
	.... *ti*	Græc. etc. *su*
		Zend. etc. *tu*
TERTIA PERSONA		
	hu	Lat. *is*, *su*
	hi	Græc. *hos*, *sphi*
		Ind. *sva*

ante ܚܢܢ præcedat vox habens nun terminationis pluralis; tandem convertitur ܗܢܘܢ in ܐܢܘܢ, ac ܗܢܝܢ in ܐܢܝܢ. In concursu ܗܘ post aliud ܗܘ dicitur per contractionem ܗܘ ܗܘ. Insuper quando locis mox indicatis excidit ܗ in ܗܘ et ܗܝ, in primo casu nempe quando excidit ܗ pronominis ܗܘ, mutatur apud Occidentales zqafa vocis præcedentis cum qua coalescit istud pronomen in pthahham, v. g. ܕܟܝܐ ܗܘ (purus est) pro ܕܟܝܐ ܗܘ : apud Orientales autem non mutatur illud zqafa vocis præcedentis, unde scribunt ܕܟܝܐ ܗܘ. In secundo casu nempe quando excidit ܗ pronominis ܗܝ juxta dicta, si ante hoc pronomen occurrit vox desinens in alaf præcedente zqafa, hæc zqafa mutatur in pthahham apud Orientales, qui etiam mutant tunc zlamam vocis ܗܕܐ *hæc* in pthahham, vel dicunt enim, ex. gr. ܡܢܐ ܗܝ (*quid est hæc ?*), ܗܪܟܐ ܗܝ *heic est* f. et sic ܗܕܐ ܗܝ (*hæc est*). Occidentales vero retinent in hoc casu zqafam et dicunt ܡܢܐ ܗܝ, ܗܪܟܐ ܗܝ; sed mutant zlamam demonstrativi ܗܕܐ in zqafam dicendo ܗܕܐ ܗܝ.

Ad majorem claritatem hic per exemplum declaramus quas subit pronomen personale separatum mutationes quando ad instar copulæ intercedit inter subjectum et prædicatum :

ܗܪܟܐ ܐܢܐ heic sum ego ܗܪܟܐ ܚܢܢ heic sumus

ܗܳܪܟܳܐ ܐܰܢ̱ܬ heic es	ܗܳܪܟܳܐ ܐܰܢ̱ܬܽܘܢ heic estis
ܗܳܪܟܳܐ ܐܰܢ̱ܬܝ heic es fœm.	ܗܳܪܟܳܐ ܐܰܢ̱ܬܶܝܢ heic estis fœm.
ܗܳܪܟܳܐ ܗܽܘ (1) heic est	ܗܳܪܟܳܐ ܐܶܢܽܘܢ heic sunt
ܗܳܪܟܳܐ ܗܝ (2) heic est fœm.	ܗܳܪܟܳܐ ܐܶܢܶܝܢ heic sunt f.

220 – Pronomen personale suffixum apud Syros respondet eidem pronomini in casu accusativo et genitivo seu in statu obliquo Arabum. Ipsum autem derivatum fuit a pronomine personali separato quod supra vidimus, dempta præfixa particula ܐ cum aliquali modificatione. Nimirum ptʰahʰa primæ personæ seu ܰ mutatur in hʰvassam; taw secundæ pers. transit in caf ob affinitatem utriusque articulationis; tandem eliditur hʰetʰ et nun finale quod extraneum est, pronominis ܚܢܢ: quæ omnia communia sunt linguis Syriacæ et Arabicæ nec non et Hebraicæ. Insuper pronomen 3æ p. sing. m. et f. vocali ut plurimum destituitur. Redeunt autem pronomina tertiæ pluralis ܗܘܢ et ܗܝܢ ad suam originem quæ constat ex ܗ habente post se mim quam litteram Syri solent mutare in nun (n. 90. 2). Sequens schema in quo exhibentur pronomina suffixa substantivo ܟܬܳܒܳܐ istas omnes mutationes declarabit :

Sing.	Plur.
ܟܬܳܒܝ liber meus	ܟܬܳܒܰܢ liber noster
ܟܬܳܒܳܟ liber tuus	ܟܬܳܒܟܽܘܢ (3) liber vester

(1) Orient. ܗܳܪܟܳܐ ܗܽܘ

(2) Orient. ܗܳܪܟܳܐ ܗܝ

(3) Cum rvahʰa.

Sing.		Plur.	
ܟܬܒܟܝ	liber tuus fœm.	ܟܬܒܟܝܢ	liber vester fœm.
ܟܬܒܗ	liber ejus	ܟܬܒܗܘܢ (1)	liber eorum
ܟܬܒܗ̇	liber ejus fœm.	ܟܬܒܗܝܢ	liber earum.

En secundum schema in quo exhibentur pronomina suffixa verbo ܩܪܐ (vocavit).

ܩܪܐܢܝ	vocavit me	ܩܪܢ	vocavit nos
ܩܪܟ	vocavit te	ܩܪܟܘܢ (1)	vocavit vos
ܩܪܟܝ	vocavit te fœm.	ܩܪܟܝܢ	vocavit vos fœm.
ܩܪܝܗܝ	vocavit eum	ܩܪܐ ܐܢܘܢ (1)	vocavit eos
ܩܪܗ̇	vocavit eam	ܩܪܐ ܐܢܝܢ	vocavit eas

221 — Notandum est pronomen suffixum primæ sing. sæpenumero *otiari* (2), videlicet cum verbo semper, et cum nominibus et particulis quotiescumque nomina et particulæ non habent signum pluralis, exceptis ܟܠܝ (*totus ego*), ܪܒܝ (*magister meus*), ܒܝ (*in me*), et ܠܝ (*mihi*), in quibus omnibus jod^h pronunciatur. Hujusmodi *otiatio* seu elisio jod^h primæ sing. nota est Arabibus quoque, et frequens occurrit in Alcorʿano, v. g. اَبَايَ فَاعْبُدُونِ pro فاعبدوني. Sciendum porro apud Syros ut apud Arabes intercedere nun inter jod^h suffixum primæ sing. et ultimam litteram verbi cui suffigitur pronomen illud.

(1) Cum rvah^h a.

(2) Hæc occultatio pronominis jod^h in pronunciatione, in nulla exstat ex omnibus dialectis Syriacis sive antiquis sive hodiernis præter unam dialectum hodiernam Maʿlulæ in qua jod^h eliditur ut in Syr. litter.

222 — Hæc autem suspensio pronunciationis pronominis jod^{h}, non consideratur ut suppressio vel elisio; propterea vocales vocabuli cum hac suspensione nullam subeunt mutationem, sed perseverant quasi jod^{h} pronunciaretur, ex. gr. ܡܰܠܟ݁ܝ *rex meus*, ܡܩܰܪ̈ܒܬܝ *vicina mea*; e contra in suppressione quæ fit per gd^{h}amam vocales mutantur, ut ܡܰܠܟ݁ܝ, ܡܩܰܪ̈ܒܬܝ. Si aliquando in hujusmodi mutationem cum jod^{h} incidis, ut ܠܠܟܝ, ܠܒܬܝ, ܪܘܚܝ, id novitatem esse scito, euphoniæ causa inductam.

223 — Præterea nun suffixum primæ pluralis in origine erat mobile per pt^{h}ah^{h}am uti extat hodie in lingua Arabica et in dialecto Syriaca Babylonensi dicta Chaldaica (1), at deinde, suppressa vocali, siluit littera.

224 — Suffixum secundæ personæ tum sing. tum plur. est in origine littera *k* pro *t*, uti supra notavimus. Porro hoc suffixum ܟ habebat in origine vocalem pt^{h}ah^{h}am pro sing. masc. et vocalem h^{h}vas^{s}am pro sing. fœm. uti patet ex linguis Hebraica et Arabica. Syri tamen suppresserunt pt^{h}ah^{h}am seu sonum *a* singularis masculini, tum orthographice tum lectione; seu potius illam ad litteram præcedentem retraxerunt; h^{h}vas^{s}am autem sing. fœminini orthographice servarunt, lectione suppresserunt, seu potius illam conversam in zlamam, illi affinem, ad litteram quæ præcedit cap pronomen transtulerunt dummodo hæc littera esset quiescens, i. e. quotiescumque littera quæ præcedit pronomen cap habet pro 2æ sing. masculino vocalem zqafam, illi dant Syri

(1) In ista dialecto pro מַלְכַּן ac מִנַּן dicitur מַלְכַּנָא ac מִנַּנָא.

zlamam pro fœm., ut sic nimirum distinguatur pronomen fœm. a masc., quemadmodum sane vulgus in quibusdam ex regionibus ubi viget lingua Arabica dicit v. gr. pro fœm. هذا كتابك.

225 - Suffixum tertiæ personæ mascul. est in origine littera ܗ, quæ apud Arabes suscipit modo vocalem *u*, modo vocalem *i* ut v. g. أخوهُ et فيهِ ; penes Hebræos habet constanter vocalem *u* ; apud Syros autem habebat in origine vocalem *i*; sed lapsu temporis, istud suffixum ܗ Syri vocali destituerunt, et ad instar Hebræorum et Arabum in sua lingua vulgari illius vocalem ad præcedentem litteram retraxerunt convertendo tamen, facilitatis pronunciationis ergo, *i* seu h^h^vas^s^am in zlamam, sic v. g. dixerunt ܟܬܳܒܶܗ (*liber ejus*), ܡܶܢܶܗ (*ab eo*) pro ܟܬܳܒܶܗ et ܡܶܢܶܗ quæ in origine erant ܟܬܳܒܶܗܝ et ܡܶܢܶܗܝ. Sic quoque Hebræi et vulgus Arabicum retraxerunt notionem *u* suffixi he mascul. ad litteram quæ suffixum præcedit, quin imo he in waw converterunt propter affinitatem cum vocali *u* præcedenti, ita v. g. dixerunt كتابو et منو pro كتابهُ et منهُ. Nihilominus Syri per aliquod tempus retinuerunt hujusmodi suffixum ܗ cum vocali h^h^vas^s^a in quibusdam locis, nempe quoties ante hoc suffixum occurrit littera infirma, sed progressu temporis et in hoc modificationem aliqualem induxerunt, scilicet si littera infirma quæ præcedit suffixum est waw post ʿs^s^as^s^am, tunc suffixum ܗ effertur gracilius ad instar hamzæ lenis, et post ܗ additur jod^h^ quiescens, sic v. g. ܐܚܘܗܝ pronunciant quasi esset ܐܚܘܝ l. *ah^h^h^h^uj* (Orient.)

vel *āhʰuj* (Occid.) pro ܐܚܘܗܝ, item ܨܕܘܗܝ pronunciant ܨܕܘܗܝ l. *sādʰuj* pro originali ܨܕܘܗܝ l. *sˢādʰuhi*. Si vero littera infirma quæ præcedit suffixum ܗ est alia quam waw habens ʿsasam, tunc supprimitur in pronunciatione ܗ cum hʰvasˢa seu jodʰ sequenti, ita ܩܪܝܗܝ pronunciant ܩܪܝܗܝ l. *qraj* pro originali ܩܪܝܗܝ, et ܢܪܡܝܘܗܝ pronunciant ܢܪܡܝܘ l. *narmew* pro ܢܪܡܝܘܗܝ l. *narmewhi* : at in istis locis adhuc in orthographia retinent ܗ cum ܝ sequenti. Unde concludes suffixum 3æ sing. masc. esse frequenter ܗܝ quæ litteræ semper scribuntur, attamen modo ambæ leguntur, modo tantum alterutra earum, uti patet ex exemplis adductis quæ scribi debent: ܐܚܘܗܝ (*frater ejus*), ܨܕܘܗܝ (*venati sunt eum*), ܩܪܝܗܝ (*vocavit eum*), ܢܪܡܝܘܗܝ (*dejiciet eum*); et sic quoque ܩܪܝܘܗܝ (*voca eum*), ܥܝܢܘܗܝ (*oculi ejus*), quæque hodie pronunciantur ܐܚܘܝ, ܨܕܘܝ, ܩܪܝ, ܢܪܡܝܘ, ܩܪܝܘ, ܥܝܢܘ: olim vero legebantur ܐܚܘܗܝ, ܨܕܘܗܝ, ܩܪܝܗܝ, ܢܪܡܝܘܗܝ, ܩܪܝܘܗܝ, ܥܝܢܘܗܝ etc. etc. Denique notandum est hoc pronomen *h* apud Arabes accipere ante se modo U, modo A, modo I ut notum est; apud Syros autem semper I seu potius E accipit ut patet ex allatis exemplis; apud Hebræos denique semper U, dicunt enim ex. g. immu (*mater ejus*) quod et Arabes hodierni lingua vulgari faciunt dicentes semper ex. gr. idu (*manus ejus*), calbu (*canis ejus*), præter incolas Irac (عراق)

qui habent A ante pronomen hoc. (1).

226 – Suffixum tertiæ fœmininæ sing. distinguitur orthographice per punctum magnum superius appingendum. Porro hujusmodi ܗ̇ pronomen 3æ fœm. sing. habebat in origine vocalem zqafam (nimirum *a* longum) ut in Arabica lingua, sed postea progressu temporis quiescens evasit, retracta vocali zqafa ad litteram præcedentem, quoties hæc littera præcedens habet zlamam cum suffixo 3æ masc. ex. gr. ܪܺܫܳܗ̇ (*caput ejus* f.) ܣܰܥܪܳܗ̇ (*coma ejus* f.) quoniam cum suffixo 3æ masc. dicitur ܪܺܫܶܗ et ܣܰܥܪܶܗ. Igitur ex.gr. ܟܰܠܒܳܗ̇ est pro ܟܰܠܒܗܳ, in quo zqafa a littera *he* transiit ad *b*, et sic pro *calbha* dicitur *calbah*. Quod si hoc *he* suffixum venit post jod[h] vel waw quiescentia, tunc nulla fit mutatio, neque quoad suffixum ܗ̇, neque quoad ܝ et ܘ quiescentia, cum nequeat vocalis suffixi ܗ̇ ad litteram præcedentem transire, sic v. g. dicitur ܐܺܝܕܶܝܗ̇ (*manus ejus* f.), ܣܥܽܘܪܝܗ̇ (*visita tu* fœm. *ipsam*), ܐܰܚܽܘܗ̇ (*frater ejus* fœm.)

227 – Littera characteristica personæ 2æ pluralis masc. et 3æ pluralis masc. apud Syros est nun loco mim Arabum et Hebræorum (n. 90. 2) post caf pro 2a persona, et post he pro 3a, habentia (i. e. caf et he) vocalem rwah[h]am (n. 101). Nun est etiam littera characteristica pluralis fœm., sed cum ea caf et he habent zlamam sequente jod[h].

---

(1) In inscriptionibus Palmyrenis quæ hucusque conservatæ sunt, videmus litteras he et jod[h] in pronomine 3æ pers. de quo hic est sermo, notatas eadem ratione ac hodie mos est. Unde colligere licet vel has duas litteras in illis temporibus efferri adhuc solitas fuisse, vel hodiernam orthographiam quæ scribere jubet litteras e pronunciatione cadentes, jam illa ætate vigentem fuisse.

228 – Hactenus de conditionibus pronominum personalium quæ suffiguntur tum nominibus tum verbis tum particulis, quæque respondent pronominibus accusativis et genitivis apud Arabes, et accusativis, dativis, ablativis et possessivis quoque penc Latinos. Quod autem spectat ad nomina, verba et particulas quando ipsis suffiguntur ista pronomina, id postea videbis suo loco. Item in tractatu de verbo sermo erit de pronominibus nominativis quæ verbo annectuntur in tota ejus conjugatione.



CAPUT II.

DE SUFFIGENDO PRONOMINE PERSONALI NOMINIBUS ATQUE PARTICULIS.

229 – Singularum personarum suffixa jam exhibuimus, quæ eodem modo tum nominibus tum particulis subnectuntur. Nomini autem pronomina non subnectuntur si est in statu gd^{h}amæ, sed restitui debet nomen antea ad statum emphaticum. His positis, sciendum est hujusmodi subnexionem duplici modo fieri; nempe vel per modum singularis numeri, vel per modum pluralis. Subnexio quæ fit per modum singularis, habet locum cum omnibus nominibus quæ desinunt in zqafam quæque non sint apocopata per gd^{h}amam, sive ea sint masculina, sive fœminina, sive singularia, sive pluralia desinentia in taw fem. exceptis nominibus quæ desinunt in jod^{h} mobile per zqafam post pt^{h}ah^{h}am, ut ܕܟܝܐ *(puri)*, ܡܥܠܝܐ *(excelsi)*; itemque habet locum cum plerisque

particulis. Regula autem qua fit hæc subnexio est ut expungas alaf status emphatici cum sua zqafa, et relinquas ultimam litteram quiescentem ante jodh, ܟܘܢ, ܟܝܢ, ܗܘܢ et ܗܝܢ; eam vero moveas per zqafam ante ܟ masc. et ܗ̇ fœm., atque per zlamam ante ܟܝ fœm. et ܗ masc., denique per pthahham ante ܢ primæ plur. Quæ dilucidantur sequentibus exemplis:

I

ܒܝܬܝ domus mea	ܒܝܬܢ domus nostra
ܒܝܬܟ domus tua masc.	ܒܝܬܟܘܢ (3) domus vestra m.
ܒܝܬܟܝ (1) domus tua fœm.	ܒܝܬܟܝܢ domus vestra fœm.
ܒܝܬܗ (1) domus ejus masc.	ܒܝܬܗܘܢ (3) domus eorum
ܒܝܬܗ̇ domus ejus fœm.	ܒܝܬܗܝܢ domus earum

II

ܨܠܘܬܝ (2) oratio mea	ܨܠܘܬܢ oratio nostra
ܨܠܘܬܟ oratio tua masc.	ܨܠܘܬܟܘܢ (3) oratio vestra m.
ܨܠܘܬܟܝ (1) oratio tua fœm.	ܨܠܘܬܟܝܢ oratio vestra f.
ܨܠܘܬܗ (2) oratio ejus masc.	ܨܠܘܬܗܘܢ (3) oratio eorum
ܨܠܘܬܗ̇ oratio ejus fœm.	ܨܠܘܬܗܝܢ oratio earum

III

ܡܪܘܬܝ Domini mei	ܡܪܘܬܢ Domini nostri
ܡܪܘܬܟ Domini tui masc.	ܡܪܘܬܟܘܢ Domini vestri m.

(1) Cum zlama dura ad taw.

(2) Cum rvahha ad waw.

(3) Cum rvahha.

ܡܪܘܬܟܝ (1) Domini tui f.	ܡܪܘܬܟܝܢ Domini vestri f.
ܡܪܘܬܗ (1) Domini ejus m.	ܡܪܘܬܗܘܢ (2) Domini eorum
ܡܪܘܬܗ Domini ejus fœm.	ܡܪܘܬܗܝܢ Domini earum

IV

ܠܘܬܝ apud me	ܠܘܬܢ apud nos
ܠܘܬܟ apud te masc.	ܠܘܬܟܘܢ (2) apud vos masc.
ܠܘܬܟܝ (1) apud te fœm.	ܠܘܬܟܝܢ apud vos fœm.
ܠܘܬܗ (1) apud eum	ܠܘܬܗܘܢ (2) apud eos
ܠܘܬܗ apud eam	ܠܘܬܗܝܢ apud eas

230 – Nihilominus ab ista regula tria nomina excipiantur, i.e. ܐܒܐ *(pater)*, ܐܚܐ *(frater)*, ܚܡܐ *(socer)*, quæ quidem tria nomina sunt ex numero *quinque nominum* notorum studentibus linguæ Arabicæ. Hæc igitur tria nomina adsciscunt litteram waw (ܘ) cum omnibus suffixis, excepto suffixo 1æ sing. Exemplum :

ܐܒܝ (3) pater meus	ܐܒܘܢ pater noster
ܐܒܘܟ pater tuus	ܐܒܘܟܘܢ pater vester
ܐܒܘܟܝ pater tuus fœm.	ܐܒܘܟܝܢ pater vester fœm.
ܐܒܘܗܝ (4) pater ejus	ܐܒܘܗܘܢ pater eorum
ܐܒܘܗ pater ejus fœm.	ܐܒܘܗܝܢ pater earum

(1) Cum zlama dura.
(2) Cum rwahha.
(3) Cum zqafa.
(4) Jodh pronunciatur.

Et eodem modo adjunguntur suffixa nomini ܐܚܐ unde dicitur : ܐܚܘܟ , ܐܚܘܟܘܢ etc. Attamen nomini ܚܡܐ adjunguntur suffixa sequenti modo : ܚܡܘܗܝ , et ܚܡܘܟܘܢ , ܚܡܘܗܘܢ etc. cum prima radicali quiescenti. Ex quo vides ex tribus casibus nempe nominativo cum U, accusativo cum A, et genitivo cum I, quos quinque nomina habent penes Arabes prælegisse Syros primum i. e. nominativum; Hebræi autem adoptarunt tertium i. e. genitivum, dicunt enim : ܐܒܝܟ , ܐܚܝܟ , etc.

231 — Cetera nomina et particulæ quæ suffixa accipiunt more nominum singularium, sequuntur exempla supra allata, si tamen habent penultimam mobilem, ex. gr. ܙܒܢܐ (*tempus*), ܙܒܢܝ (*tempus meum*), ܙܒܢܟܘܢ (*tempus vestrum*), etc. ; ܩܕܝܫܐ (*sanctus*), ܩܕܝܫܟ (*sanctus tuus*), ܩܕܝܫܟܘܢ (*sanctus vester*) ; ܒܪܘܝܐ (*creator*), ܒܪܘܝܝ (*creator meus*), ܒܪܘܝܟܘܢ, etc. ; ܒܘܝܐܐ (*consolatio*), ܒܘܝܐܝ, ܒܘܝܐܟܘܢ, etc. Eadem ratione suffixa accipiunt nomina quorum penultima littera est quiescens, antepenultima autem est mobilis, ex. gr. ܦܓܪܐ (*corpus*), ܦܓܪܝ, ܦܓܪܗ; ܚܠܡܐ (*somnium*), ܚܠܡܝ; ܩܘܕܫܐ (*sanctum*), ܩܘܕܫܟ; ܦܪܚܬܐ (*avis*), ܦܪܚܬܝ; ܬܪܒܐ (1) (*adeps*), ܬܪܒܝ, ܬܪܒܟܘܢ; ܣܬܘܐ (*hiems*), ܣܬܘܗܘܢ, etc. Attamen nomina trilittera quæ cum zqafa, sequente

(1) Orientalibus est ܬܪܒܐ cum zlama·

quiescenti, incipiunt, nec non et nomina quorum ultima littera est jodh post litteram quiescentem, regulas speciales sequuntur, quæ mox explicabuntur.

232 – Nomina autem et particulæ quæ aliter se habent, aliquam modificationem subeunt cum suffixis quorum littera præcedens debet esse quiescens (n. 229), i. e. cum jodh, ܟܘܢ, ܟܝܢ, ܗܘܢ et ܗܝܢ tantummodo, cum ceteris vero suffixis nullam modificationem patiuntur. En regulæ quibus regitur hæc modificatio nominum taw fœmin. carentium, cum suffixis ܝ (1), ܟܘܢ, ܟܝܢ, ܗܘܢ et ܗܝܢ, quæ claritatis ergo lubet appellere suffixa *privilegiaria* :

1 – Quodvis nomen cujus prima sit mobilis per zqafam et secunda quiescens, quodque non habet jodh in fine assumit ad secundam litteram cum suffixis privilegiariis vocalem illam quam habet in gdhama (n. 167. 5), v. g. ܪܳܚܡܳܐ (*amicus*) fit ܪܳܚܶܡܝ (*amicus meus*), ܪܳܚܶܡܟܘܢ (*amicus vester*) etc. Item ܥܳܠܡܳܐ (*mundus*) fit ܥܳܠܶܡܝ (*mundus meus.*) Sed dicitur quoque ܥܳܠܡܝ, quamquam rarissime. Sunt tamen nomina quorum penultima non movetur; quæ sunt ܚܳܬܡܳܐ (*sigillum*), ܦܳܠܚܳܐ (*operarius*), ܙܳܒܠܳܐ (*gerulus.*) Inter nomina hæc, quorum scilicet penultima cum his suffixis non movetur, recensenda sunt nomina quorum ultima littera est hamza, ut

(1) Otiatio pronominis jodh non habet locum ex omnibus dialectis Syriacis nisi in hac dialecto quam litteralem vocamus. In ceteris enim dialectis pronunciatur cum hhvassa litteræ præcedentis. Et ideo pronomen jodh inter suffixa in dialecto Chaldaica, Samaritana et Mandaitica non computatur cum suffixis privilegiariis, sed cum ceteris. Attamen in dialecto vulgari Matlulæ liberum est supprimere vocalem jodh vel eam pronunciare.

ܣܳܢܝܳܐ (osor), ܣܳܢܶܐ, l. *son* seu *san*. Nomen ܐܰܬ݂ܪܳܐ (*locus*) movet penultimam per exceptionem, quamquam non incipiat per zqafam, idque cum ܐ tantum, dicitur enim ܐܰܬ݂ܪܶܐ, sed ܐܰܬ݂ܪܰܘ̈ܗܝ etc.

2 - Nomina quæ ante ultimam habent duas litteras quiescentes nec desinunt in jodh, movent litteram penultimam per pthahham, ex. gr. ܡܰܕܒܚܳܐ (*altare*), ܡܰܕܒܚܶܗ; ܗܰܝܟܠܳܐ (*templum*), ܗܰܝܟܠܰܘ̈ܗܝ; ܡܩܰܒܠܳܐ (*mutuo acceptus*), ܡܩܰܒܠܰܘ̈ܗܝ; ܡܚܰܘܝܳܐ (*indicatus*), ܡܚܰܘܝܶܗ; ܡܣܰܪܗܒܳܐ (*acceleratus*), ܡܣܰܪܗܒܝܢ. Eamdem regulam sequuntur nomina quæ habent formam ܡܶܬ݂ܩܰܛܠܳܐ (ubi secunda littera est mobilis) ut ܡܝܰܩܪܳܐ (*honorabilis*), ܡܝܰܩܪܰܘ̈ܗܝ; ܡܬ݂ܛܰܡܐܳܐ (*immundus factus*), ܡܬ݂ܛܰܡܐܶܗ. Eadem ratione se habent nomina e quibus littera radicalis cecidit, ut ܡܰܕܥܳܐ (*intellectus*) (pro ܡܰܝܕܥܳܐ), ܡܰܦܩܳܐ (*exitus*), ܡܰܕܥܶܗ, ܡܰܦܩܰܘ̈ܗܝ; item ex ܡܡܰܠܠܳܐ (*loquela*) dicitur ܡܡܰܠܠܰܘ̈ܗܝ, et ex ܡܰܛܠܠܳܐ (*tabernaculum*) ܡܰܛܠܠܰܘ̈ܗܝ cum pthahha in lamadh; at Orientales dicunt ܡܡܰܠܠܰܘ̈ܗܝ et ܡܰܛܰܠܠܰܘ̈ܗܝ cum pthahha ad litteram quæ præcedit lamadh.

3 - Nomina bilittera a quiescenti incipientia, accipiunt zlamam fortem cum suffixo jodh, et zlamam lenem cum ceteris; ex. gr. ܒܪܳܐ (*filius*), ܒܶܪܝ, ܒܶܪܰܘ̈ܗܝ;

ܕܡܐ (*sanguis*), ܕܡܝ, ܕܡܗܘܢ. Eadem ratione se habent particulæ bilitteræ, ex. gr. ܡܢ *ex*, ܡܢܝ, ܡܢܗܘܢ. Hanc regulam sequuntur etiam nomina bilittera quorum prima littera habet zlamam lenem, ex. gr. ܠܒܐ (*cor*), ܠܒܝ, ܠܒܗܘܢ. Zlama autem fortis non mutatur, ex. gr. ܒܐܪܐ (*puteus*), ܒܐܪܗ.

4 - Hactenus de nominibus quæ jod^h finale non habent. Nomina autem quæ in fine habent jod^h, regulas proprias sequuntur: Si trilittera sunt, habentia pt^hah^ham, zlamam aut ʿmaqam in prima littera, sequente quiescenti, jod^h earum accipit h^hvas^sam cum omnibus suffixis privilegiariis, ex. gr. ܛܠܝܐ (*puer*), ܛܠܝܝ (l. *tâli*), ܛܠܝܟܘܢ; ܪܢܝܐ (*meditatio*), ܪܢܝܝ (l. *rêni*), ܪܢܝܟܘܢ; ܨܗܝܐ (*sitis*), ܨܗܝܟܝܢ; ܓܒܝܐ (*electus*), ܓܒܝܝ; ܛܫܝܐ (*absconditum*), ܛܫܝܟܘܢ. Idem valet pro nominibus a zqafa incipientibus, ut ܐܣܝܐ (*medicus*), ܐܣܝܟܘܢ; ܪܥܝܐ (*pastor*), ܪܥܝܝ. Verum Orientales cum jod^h pronomine elidunt etiam jod^h nominis in pronunciatione, dicunt enim ܛܠܝܝ, ܚܕܝܝ, ܪܥܝܝ, l. *tal*, *h^had^h*, *râʿ*. (1) Excipitur nomen ܡܪܝܐ (*dominus*),

(1) Ex quodam versu Jacobi Sarugensis, celeberrimi poetæ Jacobitarum seculi VI^i patet Syros Occidentales pronunciasse unum jod^h in ܛܠܝܝ *puer meus* et similibus quemadmodum hodie pronunciant; dicit enim in quodam carmine ܛܠܝܝ ܪܡܐ ܒܒܝܬܐ *puer meus domi jacet*, ubi metrum requirit ut jod^h in ܛܠܝܝ pronuncietur.

cujus jod[h] supprimitur cum suffixis omnibus, i. e. pro ܡܛܪܝܐ sumitur ܡܛܪܐ, et dicitur ܡܛܪܟ, ܡܛܪܗ, ܡܛܪܢ, ܡܛܪܟܘܢ, etc. non autem ܡܛܪܝܟܝ, ܡܛܪܝܡ, etc. At, teste Barhebræo, habitantes Libani hoc dicebant (1).

233 — Nomen autem habens jod[h] finale et constans magis quam tribus litteris, si ante jod[h] habet duas litteras quiescentes, tunc secunda accipit pt[h]ah[h]am cum jod[h] pronomine et supprimitur jod[h] pronomen tum pronunciatione tum scriptura, et cum ceteris pronominibus accipit h[h]vas[s]am, ex. gr. ܟܘܪܣܝܐ (*sedes*), ܟܘܪܣܝܟ, ܟܘܪܣܝܟܘܢ, etc.; ܡܫܬܝܐ (*potus*), ܡܫܬܟ, ܡܫܬܝܗܘܢ. Sin autem ante jod[h] habet unam quiescentem, hæc littera accipit h[h]vas[s]am cum omnibus suffixis privilegiariis, ut ܩܠܘܒܝܐ (*carea*), ܩܠܘܒܝܒ (l. *qlùbi*), ܩܠܘܒܝܟܘܢ, etc.

234 — Hæ sunt præcipuæ regulæ quæ regunt nomina in alaf status emphatici exeuntia et taw fœminini carentia cum copulantur suffixis. Quæ regulæ etiam pro nominibus fœmininis et pro pluralibus valent. En exempla nominum fœmininorum singularium: ܡܘܒܠܬܟ, ܡܓܠܬܟܘܢ ex ܡܘܒܠܬܐ (*onus*), ܡܓܠܬܐ (*falx*). De nominibus autem pluralibus postea erit specialis sermo.

(1) Ex quo intelligimus Libanotes ætate Barhebræi i. e. seculo XIII loqui solitos fuisse syriace. Quandonam igitur cessarunt hac lingua loqui et cœperunt adhibere Arabicam qua hodie utuntur? Videntur Libanotes eadem dialecto Syriaca locutos olim fuisse ac hodie gens Ma'lulæ.

235 – Nunc ad nomina fœminina in alaf status emphatici exeuntia, et taw fœminini habentia, transeamus. Horum nominum regulæ cum suffixis privilegiariis sunt sequentes :

1 - Omne nomen trilitterum cujus prima est mobilis, secunda et tertia quiescunt, assumit cum suffixis privilegiariis ptʰahʰam ad tertiam quiescentem, quæ nempe præcedit taw fœminini, v. g. ܡܚܪܒܬܐ (*devastata*) ܡܚܪܒܬܟ, ܚܕܘܬܐ (*gaudium*) ܚܕܘܬܟ, ܣܓܕܬܐ (*adoratio*) ܣܓܕܬܟ, ܦܠܐܬܐ (*parabola*) ܦܠܐܬܟ, ܚܝܘܬܐ (*animal*) ܚܝܘܬܟܘܢ, ܣܢܐܬܐ (*odium*) ܣܢܐܬܗܘܢ. Eadem ratione ex ܫܘܥܝܬܐ (*fabula*) cujus jodʰ in origine quiescens est, dicitur ܫܘܥܝܬܟ.

2 - Quodlibet nomen constans duabus tantum radicalibus sive sit originis geminatæ aut concavæ aut defectivæ in lamadʰ, quarum duarum radicalium prior sit mobilis, assumit ptʰahʰam ad secundam, v. g. ܓܢܬܐ (*hortus*) ܓܢܬܟ, ܒܙܬܐ (*præda*) ܒܙܬܟܘܢ, ܡܠܬܐ (*verbum*) ܡܠܬܗܘܢ, ܫܥܬܐ (*hora*) ܫܥܬܟܝܢ, ܥܩܬܐ (*angustia*) ܥܩܬܟ, ܣܝܡܬܐ (*thesaurus*) ܣܝܡܬܟܘܢ, ܡܣܬܐ (*sufficientia*) ܡܣܬܗܝܢ, ܫܢܬܐ (*somnum*) ܫܢܬܟ. Excipe ܫܢܬܐ (*annus*) ܫܢܬܟ et ܒܪܬܐ (*filia*) in quâ tantummodo dicitur ܒܪܬܟ cum ptʰahʰa ad reshʰ, sed cum cæteris manet ptʰahʰa ad primam ܒܪܬܟܘܢ etc. E contra in ܛܒܬܐ (*bonum*) cum suffixo

1æ sing. manet secunda littera quiescens, et cum reliquis suffixis secunda assumit pthahham, v. g. ܐܶܓܰܪܬܝ ܐܶܓܰܪܬܟܽܘܢ etc. Uterque modus, nempe ut secunda maneat quiescens vel ut assumat pthahham, licet in sequentibus nominibus ܥܺܕܬܳܐ (1) (*ecclesia*), ܡܣܟܶܢܬܳܐ (2) (*egena*), ܣܦܺܝܢܬܳܐ (*navis*); et quando secunda quiescit, silet quoad pronunciationem, unde dicitur indiscriminatim ܥܺܕܬܝ et ܥܺܕܰܬܝ; ܡܣܟܶܢܬܟܽܘܢ et ܡܣܟܶܢܰܬܟܽܘܢ etc.; primus tamen modus elegantior est.

3 – Cætera nomina quæ desinunt in taw feminini non subeunt ullam modificationem cum suffixis privilegiariis etiamsi littera quæ præcedit taw feminini sit et ipsa quiescens, v. g. ܒܬܽܘܠܬܝ (*virgo mea*), ܡܐܟܽܘܠܬܝ (*cibus meus*), ܫܰܘܬܳܦܬܝ (*socia mea*); ܢܶܣܒܬܝ (*habitus meus*); ܥܶܓܠܬܝ (*vitula mea*), ܦܶܠܓܬܝ (*dimidium mei*) attamen in hoc nomine dicitur quoque ܦܠܰܓܬܗܘܢ, ܡܨܺܝܕܬܟܽܘܢ (*rete vestrum*), ܝܳܠܶܕܬܝ (*genitrix mea*), ܪܰܚܡܬܝ (*amica mea*), ܬܶܢܚܬܝ (*suspirium meum*), ܝܺܕܰܥܬܝ (*cognitio mea*), ܚܰܒܪܬܝ (*fratria mea*), ܡܪܰܟܰܒܬܝ (*currus meus*), ܡܐܣܽܘܪܬܝ (*ligamen meum*).

236 – Hactenus de adjunctione suffixorum per modum numeri singularis. Quod attinet ad suffixa pluralium, ea debet semper præcedere littera jodh habens

(1) Cum zlama forti.

(2) Cum zlama forti et cum nun pronuncianda apud Orientales.

ante se pt^h^ah^h^am , (quæ quidem littera jod^h^ nil aliud est nisi jod^h^ quo pro zlama hodierna terminabantur nomina in plurali cum dicebatur v. g. ܓܒܪ̈ܝ pro ܓܒܪ̈ܐ *viri*) ; excepto suffixo 3^æ^ pers. sing. masc. quod habet waw pro jod^h^ et excepto suffixo 3^æ^ pers. f. cum quo jod^h^ habet zlamam pro pt^h^ah^h^a , i. e. solvitur diphtongus. Hujusmodi porro suffixa pluralium suffiguntur omnibus nominibus pluralibus desinentibus in zlamam sive ea sint masculina sive feminina , ex. gr. ܐܒܗ̈ܬܐ (*patres*), ܢܫ̈ܐ (*mulieres*), ܒܬ̈ܐ (*domus* pl.) , nec non omnibus nominibus habentibus pluralis terminationem in jod^h^ habens zqafam præcedente pt^h^ah^h^a; v. g. ܡܪ̈ܝܐ (*domini*) , ܓܕ̈ܝܐ (*hædi*) , ܫܢ̈ܝܐ (*anni*) ; quod est residuum formæ antiquæ pluralis de qua mox ; denique suffiguntur nonnullis particulis , uti ܡܛܠܬܝ (*pro*), ܥܠ (*super*).

237 — Sequentia exempla exhibent modum flectendi suffixa cum hujusmodi nominibus et particulis.

I ܟܬܒ̈ܐ LIBRI

ܟܬܒ̈ܝ libri mei	ܟܬܒ̈ܝܢ libri nostri
ܟܬܒ̈ܝܟ » tui	ܟܬܒ̈ܝܟܘܢ (1) » vestri
ܟܬܒ̈ܝܟܝ » tui fem.	ܟܬܒ̈ܝܟܝܢ » vestri fem.
ܟܬܒ̈ܘܗܝ (2) » ejus	ܟܬܒ̈ܝܗܘܢ (1) » eorum
ܟܬܒ̈ܝܗ » ejus fem.	ܟܬܒ̈ܝܗܝܢ » earum

(1) Cum rwah^h^a.
(2) Cum zqafa ante waw.

II ܢܶܫ̈ܶܐ MULIERES

ܢܶܫ̈ܰܝ	mulieres meæ	ܢܶܫ̈ܰܝܢ	mulieres nostræ
ܢܶܫ̈ܶܝܟ	» tuæ	ܢܶܫ̈ܰܝܟܘܢ (1)	» vestræ
ܢܶܫ̈ܰܝܟܝ	» tuæ fem.	ܢܶܫ̈ܰܝܟܶܝܢ	» vestræ f.
ܢܶܫ̈ܰܘܗܝ (2)	» ejus	ܢܶܫ̈ܰܝܗܘܢ (1)	» eorum
ܢܶܫ̈ܶܝܗ	» ejus f.	ܢܶܫ̈ܰܝܗܶܝܢ	» earum

III ܫܢܰ̈ܝܳܐ ANNI

ܫܢܰ̈ܝ	anni mei	ܫܢܰ̈ܝܢ	anni nostri
ܫܢܰ̈ܝܟ	» tui	ܫܢܰ̈ܝܟܘܢ (1)	» vestri
ܫܢܰ̈ܝܟܝ	» tui fœm.	ܫܢܰ̈ܝܟܶܝܢ	» vestri fœm.
ܫܢܰ̈ܘܗܝ (2)	» ejus	ܫܢܰ̈ܝܗܘܢ (1)	» eorum
ܫܢܶ̈ܝܗ	» ejus fœm.	ܫܢܰ̈ܝܗܶܝܢ	» earum

IV ܩܕܳܡ ANTE

ܩܕܳܡܰܝ	ante me	ܩܕܳܡܰܝܢ	ante nos
ܩܕܳܡܰܝܟ	ante te, etc.	ܩܕܳܡܰܝܟܘܢ	ante vos, etc.

238 – Ex quibus sane exemplis vides: - *(a)* pronomen jod[h] 1[æ] singularis quod suffigitur nominibus vel particulis modo pluralium, efferri (3), cum e contra

(1) Cum rwah[h]a

(2) Cum zqafa ante waw.

(3) Licet dicere jod[h] pronomen cum nominibus pluralibus etiam otiari tum

pronomen jodh suffixum modo singularium otiatur; atque ܟܬܒܝ (*libri mei*) confundi v. g. cum ܟܬܒܝ ܩܘܕܫܐ (*libri sanctimoniæ*) tum pronunciatione tum scriptura; - (*b*) suffixum caf 2æ personæ sing. masc. confundi quoad pronunciationem, minime vero quoad orthographiam, cum caf 2æ pers. sing. fem.; fem. autem a masc. ejusdem personæ non distingui nisi littera jodh quæ notatur sed non effertur post caf pro feminino.

239 — Monendum porro nomina omnia quibus adjunguntur suffixa modo pluralium assumere *siame*, ex particulis vero tantummodo sequentia, i. e. ܒܠܥܕ (*præter*), ܚܕܪ (*circa*), ܩܕܡ (1) (*coram*); ex. gr. ܒܠܥܕܝܟ (*præter te*), ܚܕܪܘܗܝ (*circa cum*). Nota autem nomen ܛܘܒܐ (*beatitudines*) quando ei adjunguntur suffixa, non assumere *siame*, v. gr. ܛܘܒܝ (*beatus ego*), ܛܘܒܝܟ (*beatus tu*), ܛܘܒܝܗܘܢ (*beati ipsi*). Item non assumunt *siame* cum suffixis ܒܠܚܘܕ seu ܠܚܘܕ (*solus*), v. g. ܠܚܘܕܝ (*solus ego*), ܒܠܚܘܕܘܗܝ (*solus ipse*). Similiter ܐܝܬ, ܐܝܬܘܗܝ (*est*),

pronunciatione tum scriptura; etenim jodh quod est ex. gr. in ܟܬܒܝ *libri mei* est jodh pluralitatis quod apparet cum omnibus suffixis excepto 3æ personæ singularis masc. Igitur ܟܬܒܝ est pro ܟܬܒܝܝ cum duobus jodh quorum secunda elisa est tum pronunciatione tum orthographia, sicut eliditur in ܟܬܒܝ pronunciatione tantum.

(1) Cum zlama forti.

etc.; ܠܝܬ, ܠܝܬܘܗܝ *(non est)*, etc.

240 — Ex nominibus quibus adjunguntur suffixa modo pluralium, recensenda sunt ܫܡܝܐ *(cœli)*, ܡܝܐ *(aqua)*, quia reapse sunt pluralia more antiquo ad instar ܚܝܐ, quamvis careant singulari; item ܕܡܝܐ *(pretium)*, ex. gr. ܫܡܝܟ *(cœli tui)*, ܡܘܗܝ *(aqua ejus)*, ܕܡܝܗ *(pretium ejus* fœm.*)*. Nominibus vero collectivis adjunguntur suffixa singularium, v. g. ܥܢܐ *(pecus)*, ܥܢܗ *(pecus ejus)*; ܪܟܫܐ *(agmen equorum)*, ܪܟܫܗܘܢ. Excipe ܐܢܫܐ cui adjunguntur suffixa modo pluralium, v. gr. ܐܢܫܝ *(homines mei)*, ܐܢܫܝܗܘܢ *(homines eorum)*; item pluralis ܩܘܪܝܐ *(oppida)* ex sing. ܩܪܝܬܐ accipit suffixa singularium, ex. gr. ܩܘܪܝܟ *(oppida tua)*, ܩܘܪܝܗ cum zlama ad jodh *(oppida ejus)*, ܩܘܪܝܗ *(oppida ejus* fœm.*)* ܩܘܪܝܗܘܢ, ܩܘܪܝܟܝܢ, etc. sed cum suffixo 1æ pers. sing. dicitur: ܩܘܪܝܝ. Attamen reperitur ܩܘܪܝܝܟ cum duobus jodh quorum primum habet pthahham pro ܩܘܪܝܟ.

241 — Adjectiva pluralia desinentia in jodh præcedente pthahha, possunt cum suffixis omnibus duo jodh vel unum tantum ante suffixa habere; exemplum cum duobus jodh ex ܫܦܝܐ *(puri)*: ܫܦܝܝ, ܫܦܝܝܢ, ܫܦܝܝܟ, ܫܦܝܝܟܘܢ, ܫܦܝܝܟܝ, ܫܦܝܝܟܝܢ, ܫܦܝܝܗܘܢ;

ܡܫܡܫܢܝ̈ܗܘܢ, ܡܫܡܫܢܝ̈ܗ, ܡܫܡܫܢܝ̈ܗܝܢ. Item ex ܡܥܠܝ̈ܐ (*excelsi*) ܡܥܠܝ̈ܝܟ, ܡܥܠܝ̈ܝܢ, ܡܥܠܝ̈ܝܟܘܢ etc. Cum uno vero tantum jodh dicitur: ܡܫܡܫܟ, ܡܫܡܫܢ, ܡܫܡܫܟܘܢ etc. ܡܥܠܝܟ, ܡܥܠܝܢ, ܡܥܠܝܟܘܢ, etc. ad instar ܠܝܟ. Ex ܛܠܝ̈ܐ (*pueri*) dices: ܛܠܝܟ, ܛܠܝܟܘܢ ܛܠܝܗܘܢ etc. dicitur tamen et ܛܠܝ̈ܗܘܢ (*eorum pueri*) pro ܛܠܝܗܘܢ tantummodo.

242 – Inter particulas quibus adjunguntur suffixa singularium recensenda est particula ܕܝܠ quæ componitur ex ܕ quæ est signum regiminis quæque olim erat ܕܝ (1) et ex ܠ quæ significat possessionem. Itaque sic coalescit particula hæc ܕܝܠ cum suffixis: ܕܝܠܝ (*mei*), ܕܝܠܢ (*nostri*), ܕܝܠܟ (*tui*), ܕܝܠܟܝ (*tui f.*) ܕܝܠܟܘܢ (*vestri*), etc. Ista suffixa cum ܕܝܠ adhibentur uti possessiva quoties objectum possessum non exprimitur, v. g. ܗܢܐ ܕܝܠܝ ܗܘ ܘܠܐ ܕܝܠܟ (*hoc meum est et non tuum*); adhibentur crebro etiam quando nomen possessum expressum sit, v. g. ܒܪܐ ܕܝܠܝ (*filius meus*), ܐܚܐ ܕܝܠܟ (*frater tuus*), ܪܒܐ ܕܝܠܟܘܢ (*magister vester*) pro ܒܪܝ, ܐܚܘܟ, ܪܒܟܘܢ. Maxime vero adhibentur quando nomen objecti possessionis habet formam

(1) In dialecto Syriaca Babylonensi dicta Chaldaica pro ܕ habetur ܕܝ, v. g. ܕܝ ܡܠܟܐ (*regis*) pro ܕܡܠܟܐ, quod tamen quoque dicitur. Vides igitur vestigium Chaldaismi antiquioris in Syriasmo hodierno.

insolitam vel peregrinam quæ suffixa non patitur, ex. gr. ܐܘܢܝ ܕܝܠܢ (1) (*pactum nostrum*), ܦܠܢܝ ܕܝܠܗ (*error ejus*), ܐܟܕܢܐ ܕܝܠܟܝ (*vipera tua* fœm.), ܕܝܬܩܘܣ ܕܝܠܗܘܢ (*testamenta eorum*). Notandus tamen est locus apud Lucam I, 72 versionis Syriacæ quæ dicitur ܦܫܝܛܬܐ, i. e. ܕܝܬܩܘܗܝ (*fœdera ejus*), in quo interpres Syrus nomen pl. Gr. ܕܝܬܩܘܣ (*fœdera*) ut Syriacum consideravit, illique, quasi esset ܕܝܬܩܐ a sing. ܕܝܬܩܐ, pronomen nominum pluralium suffixit; quod singularissimum est.

Hactenus de suffixis nominum et particularum. In lib. de verbo videbimus quomodo pronomina personalia suffigenda sint verbis.

CAPUT III

DE PRONOMINE DEMONSTRATIVO, RELATIVO ET INTERROGATIVO ET CETERIS PRONOMINIBUS

I – DE PRONOMINE DEMONSTRATIVO

243 – Demonstrativum Syriacum simile est Arabico. Scilicet demonstrativum est in origine apud Syros: ܕܐ loco ܕܳܐ (ذا) pro sing. masc. (*hic*), ܕܶܐ (ذي) pro sing. fem. (*hæc*) ܐܠܝܢ cum vocali brevi ad alaf (أولاء) pro plurali

(1) Orientales efferunt taw cum zlama.

communi *(hi et hæ)*. Unde liquet demonstrativum, præter leve discrimen, fuisse initio unum idemque Syris ac Arabibus. Syri tamen nunquam hoc pronomine demonstrativo sine ulla particula ei præfixa utuntur, sed semper illi adjungunt particulam nutus (ܗܳܐ), dicentes ܗܳܢܳܐ loco ܗܳܢܳܐ (هذا) *(hic)*, ܗܳܕ݂ܶܐ (هاذي) *hæc*, ܗܳܠܶܝܢ pro ܗܳܐܠܶܝܢ هؤلاء *(hi hæ)* (1).

244 – Demonstrativum remotum est ܗܰܘ *(ille)*, ܗܳܝ *(illa)*, ܗܳܢܽܘܢ *(illi)*, ܗܳܢܶܝܢ *(illæ)*, cum puncto magno super ܗ in omnibus ut distinguatur a pronominibus personalibus separatis quæ habent punctum infernum sub ܗ. Demonstrativum hoc remotum constat ex ܗܳܐ *ecce* et ex pronominibus personalibus separatis, 3æ persæ: sic ܗܰܘ (2) est pro ܗܽܘ ܗܳܐ; ܗܳܝ est pro ܗܺܝ ܗܳܐ; ܗܳܢܽܘܢ pro ܗܶܢܽܘܢ ܗܳܐ; tandem ܗܳܢܶܝܢ est pro ܗܶܢܶܝܢ ܗܳܐ. Jam vero antea (n. 10) momuimus litteram ܗ apud Syros elidi in pronunciatione, quoties occurrit initio vocis coalescentis cum voce præcedente in pronunciatione, et proinde pro ܗܳܐܗܽܘ dicendum est ܗܳܐܘ quod euphoniæ causa conversum fuit in ܗܰܘ, et sic de cæteris.

(1) Syri non addunt in fine demonstrativi caf (suffixum 2æ pers.) uti solent Arabes qui dicunt ذاك, ذيك, أولئك etc. Attamen Syri Babylonienses suffixum caf habebant suis demonstrativis, v. g. ܗܳܘܟ݂ ذاك (ille), ܗܳܝܟ݂ ذيك (illa), ܗܳܠܶܟ݂ أولئك (illæ).

(2) Apud Orientales, uti regula exigit, cum zqafa ad ܗ, et proinde erronee efferunt Occidentales cum pthaha.

245 — Sciendum insuper demonstrativum ܗܳܢܳܐ interdum contrahi in ܗܳܢ, si tamen præcedit, minime vero si sequitur nomen demonstratum, ex. gr. ܗܳܢ ܓܰܒܪܳܐ (*hic vir*). Præterea quoties post ܗܳܢܳܐ occurrit pronomen personale ܗܽܘ et post ܗܳܕܶܐ pron. pers. ܗ̄ܝ, tunc in primo casu mutat nun suam zqafam in pt^h^ah^h^am, in secundo mutat dalat^h^ suam rwas^s^am in zqafam, et præterea in utroque supprimitur ܗ pronominis personalis, v. g. pro ܗܳܢܳܐܗܽܘ dicitur ܗܳܢܰܘ (*hic est*), et pro ܗܳܕܶܐܗ̄ܝ dicitur ܗܳܕܳܐܝ̄ (1) (*hæc est*).

II — DE PRONOMINE RELATIVO

246 — Syri pro relativo adhibent particulam ܕ quam præmittunt correlativo sequenti, quæque invariabilis est, v. g. ܬܶܫܒܽܘܚܬܳܐ ܠܝܶܫܽܘܥ ܕܦܰܪܩܰܢ (2) (*gloria Jesu qui salvos nos fecit*), ܒܪܺܝܟ݂ܬܳܐ ܗ̄ܝ ܡܰܪܝܰܡ ܕܺܝܠܶܕܬܳܟ݂ (*benedicta Maria quæ te genuit*), ܩܪܺܝ ܓܰܒܪ̈ܶܐ ܕܰܬܡܳܢ (*voca viros qui sunt illic*).

247 — Quandoque relativo ܕ præmittuntur demonstrativa remota, v. gr. ܓܰܒܪܳܐ ܗܰܘ ܕܶܐܡܰܪܬ݁ ܥܠܰܘܗ̄ܝ ܐܰܝܟܳܘ (*ubi est vir de quo dixisti?*); vel præmittuntur pronomina interrogativa de quibus infra, quæ sunt ܐܰܝܢܳܐ,

(1) Orientales dant pt^h^ah^h^am litteræ dalat^h^ (n. 219).

(2) Orientales habent h^h^vas^s^am ad jod^h^ et rvah^h^am ad waw.

ܐܝܕܐ, ܐܝܠܝܢ, v. g. ܝܩܪ ܠܓܒܪܐ ܐܝܢܐ ܕܐܬܐ ܠܘܬܟ (*honora virum qui venit ad te*), etc. Nota hujusmodi pronomina ܐܝܢܐ, ܐܝܕܐ, ܐܝܠܝܢ censeri ut *relativa* quoties occurrit post ea relativum ܕ, secus ea considerari uti *interrogativa*.

III – DE PRONOMINIBUS INTERROGATIVIS ET CETERIS

248 – Ex demonstrativis ܢܐ, ܕܐ, ܐܠܝܢ et ex relativo ܐܝ (أيّ) quod apud Syros nunquam solum adhibetur, coalescunt pronomina interrogativa, scilicet ex ܐܝ et ܢܐ resultat ܐܝܢܐ (*quisnam?*) ex ܐܝ et ܕܐ, oritur ܐܝܕܐ (*quænam?*) per conversionem zlamæ in zqafam, denique ex ܐܝ et ܐܠܝܢ formatur ܐܝܠܝܢ (*quinam, quænam?*). Porro ܐܝܢܐ cum pron. separato ܗܘ contrahitur in ܐܝܢܘ (n. 10) v. g. ܐܝܢܘ ܒܪܟ (*quiesnam est filius tuus?*). Cum ܐܝܕܐ autem dicitur ܐܝܕܐܗܝ cum sola elisione *he*; pl. ܐܝܢܘܢ, ܐܝܠܝܢܝܢ, ܐܝܢܝܢ, ܐܝܠܝܢ.

249[1] - Inter pronomina interrogativa recensentur ܡܢ (*quis?*) quod est commune genere et numero personis rationalibus, et ܡܢܐ (*quod* etc.) pro rebus. Quæ tamen fiunt relativa si habeant post se ܕ v. g. ܡܢ ܕܠܐ ܡܚܒܒ ܠܐܠܗܐ ܡܚܪܡ ܗܘ (*qui non diligit Deum anathema sit*), ܠܐ ܬܗܝܡܢ ܟܠ ܡܢܐ ܕܫܡܥ ܐܢܬ (*noli credere omne quod audis*). Secus i. e. si non sequitur ܕ,

sunt interrogativa, ut ܡܢ ܐܬܐ (*quis venit?*), ܡܢܐ ܠܢ ܘܠܟ (*quid nobis et tibi?*). Fere autem semper ܡܐ interrogativum augetur copula ܢܐ et fit ܡܢܐ pro ܡܐܢܐ, ut ܡܢܐ ܨܒܝܬܘܢ (*quid vultis?*). Interrogativum ܡܢ cum ܗܘ contrahitur in ܡܢܘ (*quid?*) (n. 10) et cum ܗܝ in ܡܢܐ ܗܝ (1) (*quid?*), retenta ܗ in orthographia et cum ܗܝ in ܡܢܗܝ retenta ܗ in scriptura. Insuper ܡܢܐ cum ܗ contrahitur in ܡܢܘ. Tandem ܡܢܐ adhuc contrahitur in ܡܢ, vel pro ܡܢ adhibetur ܡܢܘ.

Inter interrogativa est ܟܡܐ (*quantum, quot?*) compositum ex caf similitudinis et interrog. ܡܐ.

249II – Inter pronomina recensenda sunt ܩܢܘܡܐ (*persona*), ܗܘ (*idem*), ܚܕ̈ܕܐ (*invicem*), ܚܕ ܠܚܕ (*idem*), ܡܢ (*aliqui*), ܗܘ ܒܗ ܗܘ (*idem, eadem*); ܐܢܫ (*aliquis, quidam*); ܡܕܡ *res* aut *aliquid*, ܐ̈ܢܫܝܢ (*nonnulli*), ܦܠܢ *talis* vel *talis* aut N. N., ܦܠܢܝܬܐ *talis* vel *talis* f., ܦܠܢ *tale* vel *tale* quid. De quibus omnibus in Syntaxi erit plenior expositio.



(1) Orientales mutant in ܡܢܐܗܝ zqafam litteræ nun in pt^{h}ah^{h}am sic ܡܢܢܗܝ (n. 219.)

LIBER V

DE VERBO



CAPUT I

DE CONJUGATIONE VERBI IN GENERE ET DE VERBO SANO

I — DE VARIIS VERBORUM SPECIEBUS, NEC NON DE FORMIS VERBORUM, ET DE TYPIS SEU FORMIS VERBI *trilitteri nudi*

250 — Syri grammatici post Græcos verbum ܡܶܠܬ݂ܳܐ vocant. Porro verbum, respectu habito ad numerum litterarum radicalium quibus constat, vel est *trilitterum* ut ܩܛܰܠ (*occidit*), vel *quadriliterum* ut ܬܰܪܓ݁ܶܡ (*interpretatus est*); et rursus tum trilitterum tum quadrilitterum vel sunt talia simpliciter, seu *nuda* ut sunt exempla allata, vel sunt *aucta* una vel pluribus litteris additis ad litteras radicales, v. g. ܐܶܬ݂ܩܛܶܠ (*occisus est*) ܐܶܬ݂ܬܰܪܓ݁ܰܡ (translatus fuit in aliam linguam). (1)

(1) Ne quis putet istam proprietatem verborum, nimirum quod numerus litterarum radicalium verbi non excedat quatuor, ne quis putet, inquam, istam proprietatem pertinere exclusive ad linguas Semiticas, i. e. Arabicam, Syriacam, Hebraicam, etc; nam id commune est omnibus mundi linguis, imo in linguis Græca et Latina tam celebribus nonnisi perraro occurrunt verba quæ constant plusquam tribus radicalibus consonis, abstractione facta a vocalibus inter consonas interpositis quæ respondent motionibus in linguis Semiticis, ideoque, ut hæ, et illæ non computantur inter radicales. Imo in his duabus linguis verba trilittera ipsa

251 — Modi seu tempora verborum apud Syros tria tantum numerantur, nimirum *præteritum* ܐܒܢܐ ܕܥܒܪ *aoristus* (ܐܒܢܐ ܕܥܬܝܕ), tandem *imperativus* (ܦܘܩܕܢܐ). (1)

Derivata a verbis sunt: *infinitivus* (ܐܘܪܐ ܕܠܐ ܡܣܝܟܘܬܐ), *participium* agens seu *activum* (ܥܒܘܕܐ), *participium*

sunt rara; potiora sunt bilittera. Solum discrimen quod inter linguas Semiticas et cæteras linguas quantum ad verba intercedit, in hoc consistit, quod nempe verba Semitica in dispositione suarum radicalium litterarumque servilium atque utrorum motione vel quiescentia sequuntur certam legem stabilem qua possunt in classes distribui; verba autem ceterarum linguarum non posse hoc sub aspectu reduci ad fixam quamdam normam. Fere idem de nominibus dicendum est. Multa commenta in Europa a recentioribus philologiæ studiosis inventa sunt circa hanc proprietatem linguarum Semiticarum, quorum intolerabilius est quod omnes radices fuerint origine bilitteræ, intolerabilissimum autem quod omnes mundi linguæ habuerint omnia vocabula origine monosyllaba ad instar linguæ Sinensis!!! Sed tales sapientes interrogamus: Si talis est res ut asseritis, dicite si potestis quo fato evenit ut omnes mundi gentes monosyllabismum reliquerint juxta vos, ad exceptionem populi Sinensis quem vos non negatis esse antiquissimum? Et si, ut alii asserunt, linguæ Semiticæ sicut ceteræ mundi linguæ primum e monosyllabismo transierunt ad agglutinationis (ut ajunt) systema quod adhuc viget in linguis dictis Turanianis ex quibus est lingua Turcica, dicant hujusmodi commenti auctores si possunt: Quandonam tandem aliquando hæ linguæ Turanianæ a systemate agglutinationis in quo per tot ac tot secula persistunt, cum jam ceteræ linguæ juxta eos tam ingentem gressum fecerint ad systema quod dicitur flexionis, hunc eumdem transitum facient?

(1) Mirandum prorsus est obsolevisse omnino in duabus dialectis Syriacis, illa nempe Assyriæ, et altera Turabdini, tum præteritum tum aoristum, quamvis in iisdem adhuc viget imperativus, qui ab incolis præfatarum regionum adhibetur prorsus eadem ratione qua in lingua litterali imperativus formatur ab aoristo. Utraque dialectus pro præterito adhibet participium passivum cum pronomine personali per circumlocutionem infra explicandam v. g. ܩܛܝܠܠܝ (*occidi*), pro ܩܛܠܬ; et pro aoristo adhibet participium activum, v. g. ܐܙܠ (*it*) pro ܢܐܙܠ. In dialecto vero Syriaca propria incolis Maclulæ prope Damascum habentur cum imperativo aoristus et præteritus prorsus ut in lingua litterali.

patiens seu *passivium* (ܚܫܘܫܐ). Hæc præcipua.

252 — Inspecta qualitate litterarum radicalium, verba alia sunt sana, et ea sunt quæ non habent inter suas radicales neque litteram infirmam, neque hamzam, neque litteram nun pro prima radicali, neque litteram geminatam, v. g. ܩܛܠ *(occidit)*, ܐܬܪܓܡ, *(interpretatus est)*; alia sunt hamzata, i. e. habentia hamzam pro 1ª radicali, ut ܐܟܠ *(manducavit)*, vel pro 2ª, ut ܫܐܠ *(petiit)*, vel pro 3ª, ut ܛܢܐ *(immundus fuit)*; alia sunt verba nunata, i. e. habentia nun pro 1ª radicali, ut ܢܦܩ *(exivit)*; alia sunt geminata, seu habentia unam eamdemque litteram pro 2ª et 3ª radicalibus ut ܒܙ *(prædatus est)* pro ܒܙܙ; alia denique sunt infirma, habentia unam ex litteris infirmis quæ sunt : ܐ, ܘ, ܝ, sive pro 1ª radicali ut ܝܪܬ *(hæres fuit)*, sive pro 2ª ut ܢܡ *(dormitavit)* pro ܢܘܡ, sive denique pro 3ª ut ܣܪܝ *(fœtuit)*, ܩܪܐ *(vocavit)*.

253 — Quibus prænotatis, sciendum est singulas enumeratas classes verborum habere posse vel unam formam, seu, ut ajunt Syri grammatici, *typum* ܛܘܦܣܐ vel ܕܡܘܬܐ, vel plures; qui quidem typi ab invicem differunt juxta variam dispositionem consonantium et vocalium simul. Cum itaque hic nobis agendum sit de formis seu typis verborum, necesse omnino est, ut, more grammaticorum Arabum et Hebræorum, omnia verba ad normam generalem فَعَلَ (ܦܥܠ) exigamus, unde in quolibet verbo

primam radicalem dicimus *pe* (ܦ), secundam *ʿain* (ܥ), tertiam *lamadh* (ܠ).

254 – Ut a verbo sano incipiamus, verbum sanum trilitterum nudum habet sex formas scilicet :

1 – فَعَل يَفْعُل (ܦܥܰܠ, ܢܶܦܥܘܿܠ) cum *a* in præterito et *u* in aoristo ad 2m radicalem, ut ܩܛܰܠ, ܢܶܩܛܘܿܠ.

2 – فَعَل, يَفْعِل (ܦܥܰܠ, ܢܶܦܥܶܠ) cum *a* in præt., et *i* in aor., ex. gr. ܥܒܰܕ, ܢܶܥܒܶܕ.

3 – فَعَل, يَفْعَل (ܦܥܰܠ, ܢܶܦܥܰܠ) cum *a* simul in præt. et aor., ex. gr. ܦܬܰܚ, ܢܶܦܬܰܚ.

4 – فَعِل يَفْعَل (ܦܥܶܠ, ܢܶܦܥܰܠ) cum *e* in præt. et *a* in aor., ex. gr. ܪܚܶܡ, ܢܶܪܚܰܡ.

5 – فَعِل يَفْعُل (ܦܥܶܠ, ܢܶܦܥܘܿܠ) cum *e* in præt. et *u* in aor., ex. gr. ܣܓܶܕ, ܢܶܣܓܘܿܕ.

6 – فَعُل يَفْعُل (ܦܥܘܿܠ, ܢܶܦܥܘܿܠ) cum *u* simul in præt. et aorist., ex. gr. ܫܦܘܿܪ, ܢܶܫܦܘܿܪ.

Unde vides formam Arabicam فَعِل يَفْعِل (*horruit*) deesse apud Syros et e contra formam Syrorum, ܦܥܶܠ, ܢܶܦܥܘܿܠ deesse apud Arabes.

255 – Omne verbum cujus tertia radicalis est littera gutturalis vel resh, tunc nequit habere zlamam in 2a radicali sive in præterito sive in aoristo, et proinde 2a radicalis verbi in isto casu debet habere vel pthahham vel ʿsasam. Cf. n. 118. Nihilominus 3us typus seu forma

ex istis formis verborum nudorum non exposcit, veluti in lingua Arabica, ut vel 2a radic. verbi vel 3a sit ex litteris gutturalibus, plura enim hujus typi verba apud Syros occurrunt quin habeant litteram gutturalem neque resh inter suas radicales. Nota tandem ex sex his formis seu typis frequentiores in usu esse primam et tertiam, deinde quartam, tum secundam, et minus frequentes quintam, denique sextam.

256 – Placet hic in tironum gratiam plurima verba singularum formarum exhibere :

VERBA I TYPI HABENTIA IN PRÆT. PTHAHHAM ET IN AORISTO RWAHHAM

ܒܕܩ (detexit)
ܒܙܥ perforavit
ܒܨܐ examinavit, scrutatus est
ܒܠܡ clausit
ܒܣܐ contempsit
ܒܨܪ imminutum est, defecit
ܒܪܟ procubuit
ܓܒܠ finxit, formavit
ܓܕܠ nexit
ܓܕܡ cecidit
ܓܙܡ minatus est
ܓܙܪ circumcidit
ܓܠܙ privavit
ܓܠܦ sculpsit
ܓܡܪ consumpsit
ܓܢܒ furatus est
ܓܥܪ increpuit
ܓܪܕ scabit
ܓܪܥ rasit
ܕܒܚ mactavit
ܕܚܩ rejecit
ܕܪܟ calcavit
ܕܩܪ pupugit
ܗܓܡ destruxit, evertit
ܗܡܣ mussitavit, medita-

tus est

ܗܪܓ mente cogitavit

ܗܦܟ rediit, reversus est

ܙܓܪ increpuit

ܙܩܦ crucifixit

ܙܩܪ texuit

ܙܪܒ pressit

ܙܪܥ seminavit

ܙܪܩ sparsit, dissipavit

ܚܒܫ inclusit

ܚܒܨ pressit

ܚܕܪ circumdedit, ambivit

ܚܙܩ profectus est

ܚܛܦ rapuit

ܚܠܛ miscuit

ܚܡܠ congregavit, congessit

ܚܢܩ suffocavit

ܚܣܟ cohibuit

ܚܪܒ trucidavit, occidit

ܚܫܒ numeravit, computavit

ܚܫܠ conflavit, fudit

ܚܬܡ obsignavit, ad finem perduxit

ܛܒܥ impressit

ܛܠܡ oppressit

ܛܡܪ abscondit

ܛܪܕ expulit

ܟܒܫ invasit

ܟܢܫ collegit

ܟܦܪ negavit

ܟܬܒ scripsit

ܠܒܟ apprehendit

ܠܚܟ linxit

ܠܛܫ acuit

ܡܙܓ miscuit

ܡܟܪ desponsavit

ܡܪܕ rebellavit

ܡܪܩ tersit

ܡܫܚ unxit

ܡܬܚ extendit

ܡܬܩ suxit

ܣܒܠ portavit, bajulavit

ܣܕܪ disposuit, ordinavit
ܣܓܕ prostravit
ܣܡܟ sustentavit
ܣܟܪ clausit
ܣܥܪ egit; visitavit
ܦܪܒ blateravit
ܣܚܦ destruxit
ܥܕܠ culpavit
ܥܙܠ nevit
ܥܛܦ rediit; indutus est
ܥܠܒ injuria affecit
ܥܨܪ expressit
ܥܩܪ eradicavit
ܥܪܒ fidei jussor fuit
ܥܪܩ fugit
ܦܠܓ divisit
ܦܠܚ coluit, operatus est
ܦܣܩ abscidit
ܦܩܕ jussit
ܦܪܣ extendit
ܦܪܥ retribuit
ܦܪܩ salvavit
ܦܪܫ separavit
ܦܫܛ extendit
ܨܒܥ tinxit
ܨܠܒ crucifixit
ܩܒܥ fixit
ܩܒܪ sepelivit
ܩܕܡ anteivit
ܩܛܠ occidit
ܩܛܦ decerpsit
ܩܛܪ nodavit
ܩܦܠ detraxit
ܩܪܡ incrustavit
ܪܓܫ tumultuatus est, sensit
ܪܕܦ persecutus est
ܪܡܙ annuit
ܪܩܕ saltavit
ܪܫܡ signavit
ܫܒܩ reliquit
ܫܓܫ turbavit

ܫܚܩ comminuit, contrivit	ܫܩܠ tulit
ܫܠܚ misit	ܬܒܪ fregit
ܫܠܦ evaginavit	ܬܟܣ reprehendit

ܬܪܥ fissuram facere

NOTA — Impossibile fere est omnia omnino verba quæ hanc primum typum sequuntur, recensere. Satis est notare omnia verba quæ in elenchis sequentibus ceterorum typorum non inveniuntur, posse tuto ad hanc 1m typum referri.

VERBA 2i TYPI QUÆ HABENT IN PRÆT. PTHAHHAM, ET IN AOR. ZLAMAM

ܙܒܢ emit	ܥܒܕ fecit

Præter hæc duo verba nullum aliud exemplum extat hujus typi ex verbis *sanis*.

VERBA 3i TYPI HABENTIA SUPER PTHAHHAM IN PRÆTERITO SIMUL ET IN AORISTO

ܒܠܥ voravit, sorbuit	ܕܟܪ memoravit
ܒܩܠ germinavit	ܕܠܦ stillavit (*domus*)
ܒܠܨ invasit	ܕܠܩ arsit
ܒܙܥ penetravit	ܕܢܚ exortus est
ܓܕܫ accidit	ܢܓܗ splenduit
ܓܗܪ caligavit (oculus)	ܙܡܪ cecinit
ܓܠܕ horruit	ܙܥܩ clamavit
ܕܒܚ mactavit	ܫܒܪ consociavit
ܕܒܪ duxit	ܚܓܪ claudus fuit

ܚܕܪ circumivit
ܚܘܪ albuit
ܚܟܡ sapuit
ܚܠܡ somniavit
ܚܢܦ apostatavit
ܚܣܢ prævaluit
ܚܣܪ defecit
ܛܒܥ immersus fuit
ܛܦܩ confugit
ܛܠܩ lapsus est
ܟܐܪ puduit eum
ܟܒܪ crevit, auctus est
ܟܡܪ verecundus fuit
ܟܡܗ caligavit
ܡܠܓ evulsit
ܡܪܕ rebellavit
ܢܗܪ elucuit
ܢܙܪ abstinuit
ܢܨܚ celebris factus est
ܢܦܩ manifestus factus est

ܫܒܗ similis factus est
ܫܓܪ irruit
ܣܒܥ saturatus est
ܣܒܪ putavit
ܣܡܩ rubuit
ܣܦܩ suffecit
ܥܒܪ transiit, pertransiit
ܥܗܕ meminit
ܥܗܕ congruit
ܥܛܪ fumavit
ܥܡܕ immersus est
ܥܡܠ laboravit
ܥܡܪ habitavit
ܥܢܕ mortuus est
ܥܪܒ occidit (sol)
ܥܪܨ contigit, accidit
ܥܬܪ dives fuit
ܦܓܥ occurrit
ܦܛܪ discessit, abiit
ܦܟܗ insipidus factus est
ܦܣܥ saliit

ܦܩܥ scissus est

ܦܩܪ rabiosus factus est

ܦܪܚ volavit

ܦܬܚ aperuit

ܨܗܠ hinnivit

ܨܡܚ splenduit

ܩܦܙ saltavit

ܩܛܥ abscidit; viribus defectus fuit

ܩܢܛ veritus est

ܪܒܥ procubuit

ܪܘܙ gavisus est

ܪܣܣ fluxit

ܪܫܠ laxavit

ܫܗܪ vigilavit

ܫܘܚ pullulavit

ܫܘܪ saliit

ܫܡܥ audivit

ܫܠܐ declinavit

ܫܦܪ placuit

ܬܒܥ ultus est

ܬܒܪ fregit

ܬܗܪ obstupuit

ܬܘܗ stupuit

ܬܡܗ miratus est

VERBA 4[i] TYPI, HABENTIA ZLAMAM IN PRÆTERITO ET PT[h]AH[h]AM IN AORISTO

ܒܗܠ quievit

ܒܗܬ puduit eum

ܒܣܚ raptavit

ܒܛܠ vacavit, cessavit

ܒܛܢ concepit (femina)

ܒܣܡ placuit, jucundus fuit

ܓܗܢ se inclinavit, sese incurvavit

ܓܚܟ risit

ܓܪܒ leprosus factus est

ܓܪܣ comminutus est, detritus est

ܕܒܩ adhæsit

ܕܚܠ	timuit	ܪܟܒ	equitavit, insedit
ܕܡܟ	dormivit	ܣܡܩ	ruber factus est
ܕܥܟ	extinctus fuit	ܢܩܦ	adhæsit
ܕܥܬ	sudavit	ܥܣܩ	difficilis fuit
ܚܪܒ	vastatus est	ܥܫܢ	fortis fuit, prævaluit
ܚܪܫ	obmutuit	ܥܬܩ	inveteravit
ܚܫܟ	tenebrosus factus est	ܦܠܓ	quod juris est tribuit
ܛܚܢ	moluit	ܨܪܟ	indiguit
ܓܠܡ	præteriit	ܨܪܦ	palpitavit
ܛܢܦ	immundus factus est	ܩܕܡ	procidit
ܛܥܡ	gustavit	ܪܓܙ	iratus est
ܛܥܢ	tulit, portavit	ܪܗܛ	cucurrit
ܟܒܢ	induit	ܪܚܡ	dilexit
ܟܡܪ	erubuit	ܪܛܢ	(1) murmuravit
ܟܡܢ	insidias instruxit	ܪܟܢ	inclinatus est
ܟܦܢ	esuriit	ܪܥܠ	tremuit
ܠܒܫ	induit	ܪܥܡ	intonuit
ܠܚܡ	aptus fuit	ܫܚܢ	calefactus est
ܠܥܣ	manducavit	ܫܟܒ	accubuit, dormivit
ܠܥܙ	barbare locutus est	ܫܟܢ	habitavit
ܣܗܕ	testatus est	ܫܬܩ	quievit, conticuit

(1) Apud Orientales cum pthahha.

ܫܠܡ perfectus est — ܐܫܒ languit

ܫܡܢ pinguis fuit — ܐܘܒ sollicitus fuit

ܫܪܟ superfuit — ܐܫܡ firmatus est

ܐܡܒ invaluit

VERBA 5[i] TYPI HABENTIA NEMPE ZLAMAM IN PRÆTER. ET RWAH[h]AM IN AOR.

ܣܓܕ adoravit — ܩܪܒ adpropinquavit, accessit

ܫܬܩ conticuit.

Hæc tria tantum verba pertinent ad hunc typum ex verbis *sanis*.

VERBUM UNICUM 6[i] TYPI NEMPE CUM RWAH[h]A IN PRÆT. ET AOR.

ܩܦܕ horruit ut pili metu erigantur

257 — Nonnulla verba pro diversitate formæ habent diversos duos vel plures sensus, v. g. :

1 ܢܥܪܘܒ , ܥܪܒ (*spopondit, fidei jussor fuit, vel etiam cribravit*)

ܢܥܪܒ , ܥܪܒ (*occidit sol*)

2 ܢܛܒܘܥ ܛܒܥ (*impressit*)

ܢܛܒܥ ܛܒܥ (*immersus est*)

3 ܢܫܠܘܚ ܫܠܚ (*misit*)

ܢܫܠܚ ܫܠܚ (*exuit*)

4 ܢܦܠܘܚ ܦܠܚ (*coluit Deum, serviit*)

ܢܦܠܚ ܦܠܚ (*coluit terram, laboravit*)

5 ܚܣܡ ܢܚܣܘܡ (*invidit*)

ܚܣܡ ܢܚܣܡ (*æmulatus est*)

9 ܚܪܒ ܢܚܪܘܒ (*occidit, trucidavit*)

ܚܪܒ ܢܚܪܒ (*vastatus est*)

7 ܦܠܓ ܢܦܠܓ (*quod justum est reddidit*)

ܦܠܓ ܢܦܠܘܓ (*divisit*)

Hisce adde ܒܪܟ apud solos Occidentales, siquidem apud ipsos ܒܪܟ, ܢܒܪܘܟ significat genuflectere adorando, et ܒܪܟ, ܢܒܪܘܟ procidere, procumbere; sed Orientales in utroque casu dicunt ܒܪܟ cum ptʰahʰa.

II – DE FORMIS TRILITTERORUM *auctorum*, NEC NON QUADRILITTERORUM

258 — Apud Syros uti apud Arabes litteræ radicales verbi augentur aliis litteris superadditis; seu aliis verbis, nonnullæ litteræ extraneæ superveniunt radicalibus verbi, unde oriuntur variæ formæ verborum *auctorum* juxta varias litteras superadditas, i. e. juxta incrementum varium quod suscipiunt formæ.

Trilitterum ergo verbum *auctum* habet novem formas seu typos:

1 فعّل (ܦܥܠ), v. g. ܩܛܠ

2 أفعل (ܐܦܥܠ), v. g. ܐܕܡܟ

3 سفعل vel شفعل (ܣܦܥܠ vel ܫܦܥܠ), v. g. ܣܪܗܒ

ܫܠܗܒ

4 افعلّل (ܦܥܠܠ), v. g. ܫܥܒܕ

5 أفعل (ܐܦܥܠ) passiva فعل v. g. ܐܡܠܟ

6 تفعّل (ܐܬܦܥܠ) passiva فعّل v. g. ܐܬܡܠܟ

7 تافعل (ܐܬܬܦܥܠ) passiva افعل v. g. ܐܬܬܣܝܡ

8 اشتفعل, استفعل (ܫܦܥܠ, ܣܦܥܠ), passiva سفعل

vel شفعل v. g. ܐܫܠܗܒ ܐܣܬܪܗܒ

9 افتعلّل (ܐܬܦܥܠܠ), passiva فعلل v. g. ܐܬܫܥܒܕ

259 — Itaque prima ex novem istis formis verborum auctorum ortum ducit a forma nuda per geminationem 2æ radicalis apud Syros Orientales, uti apud Hebræos et Arabes, et apud Syros Occidentales (qui geminationem ignorant) per productionem vocalis primæ radicalis.

Secunda forma aucta oritur a nuda addita alaf seu hamza initio radicis.

Tertia forma aucta provenit a nuda cui præfigitur in principio vel ܣ vel adhuc frequentius ܫ.

Quarta forma fit per repetitionem 2æ et 3æ radicalium in fine radicis, quæ quidem forma rara est (1).

Reliquæ formæ *auctæ* deducuntur a *nudis* præfixa

(1) Lingua Hebraica proximius accedit ad Arabicam quam Syriaca quoad formas verborum. Siquidem Hebræi habent formas فعّل (*pi‛‛el*), أفعل (*hif‛il*), إنفعل (*nif‛al*), فُعّل (*pu‛‛al* passiva *pi‛‛el*), أُفعل (*hof‛al* passiva *hif‛il*), et تفعّل (*hitpa‛‛el*). Attamen in hac lingua desunt formæ افتعل et استفعل quæ adsunt penes Arabes et Syros, idem desunt فاعل, تفاعل, افعلّ, افعوعل et افعنلل quæ propriæ sunt solius linguæ Arabicæ.

initio littera taw, ad exprimendam significationem intransitivam, tum a Syris tum ab Arabibus (Syri vero etiam pro passivis eas adhibent) hoc tamen discrimine, quod Arabes collocant litteram hanc taw non initio ante primam radicalem, sed inter primam et secundam radicalem, in duabus formis quæ sunt اِفْتَعَلَ quæ est auctum formæ nudæ فَعَلَ, ut اقترب pro اِتْقَرَب, (1) et اِسْتَفْعَلَ pro اِتْسَفْعَلَ quæ respondet formæ سَفْعَلَ quæ excidit apud Arabes et remansit apud solos Syros. Præterea Arabes non habent formam intransitivam cum taw præfixo quam habent Syri, respondentem formæ أَفْعَلَ. In reliquis formis auctis per incrementum taw initialis, retinent Arabes hoc taw in initio i. e. suo pristino loco. Hæc Arabes; Syri autem anteponunt regula universali hoc taw primæ litteræ radicali, nec illud huic postponunt nisi ad evitandum stridorem uti videbimus. Et quia hoc taw præfigendum initio quiescit semper apud Syros præ Arabibus, hinc est quod Syri illi præmittunt alaf seu hamzam ut sic taw quiescens initio pronunciari possit.

260 – Sic ergo Syri efformant primam formam auctam intransitivam per præfixionem litteræ taw formæ trilitteræ nudæ, v. g. a ܦܬܰܚ dicunt ܐܶܬܦܬܰܚ; similiter a ܦܰܬܰܚ formant ܐܶܬܦܰܬܰܚ; item a 2ª forma aucta v. g. ܐܰܩܺܝܡ formant ܐܶܬܬܰܩܰܡ pro ܐܶܬܐܰܩܰܡ convertendo

(1) Etiam Syri Matlulæ prope Damascum solent more Arabum in forma اِفْتَعَلَ collocare taw post primam radicalem, et non ante ipsam, unde dicunt v. g. ܐܰܪܬܚܶܡ pro ܐܶܬܪܰܚܰܡ a radice ܪܚܶܡ (*dilexit*).

nempe alaf quod venit post taw in aliud taw euphoniæ causa. Ex ܫܰܥܒܶܕܘܢ dicunt ܐܶܫܬܰܥܒܶܕܘܢ, et ex ܣܰܪܗܶܒܘܢ dicunt ܐܶܣܬܰܪܗܶܒܘܢ, pro ܐܶܬܫܰܥܒܶܕܘܢ et ܐܶܬܣܰܪܗܶܒܘܢ postponendo taw litteris ܣ et ܫ ad vitandum stridorem (n. 258).

Hactenus de formis auctis trilitteris.

261 — Verbum quadrilitterum unum dumtaxat habet typum *nudum*, et unum quoque typum *auctum* qui a nudo formatur per taw intransitivi initio præfigendum. Unde paradigma verbi quadrilitteri nudi est:

1 فَعْلَل (ܦܰܥܠܶܠ), v. g. ܦܰܪܢܶܣ

Paradigma quadrilitteri aucti est:

2 تَفَعْلَل (ܐܶܬܦܰܥܠܰܠ), v. g. ܐܶܬܦܰܪܢܰܣ

Facile porro vides horum duorum paradigmatum primum quoad numerum litterarum ac vocalium qualitatem et dispositionem idem esse ac ܦܰܥܶܠ, secundum idem ac ܐܶܬܦܰܥܰܠ, neque ab invicem distingui quoad conjugationem, derivationem etc., sed tantum quod in illa quatuor litteræ sunt radicales, in his tres tantum. Imo pleraque quadrilittera derivantur per epenthesim a trilitteris, addita sine certa regula modo una modo altera ex litteris servilibus (Cf. n. 147) nempe vel ܘ ut ܐܶܬܥܰܘܩܰܡ (*contortus est*), vel ܝ ut ܣܰܝܒܰܪ (*sustinuit*), ܒܰܠܗܶܝ (*perterruit*), vel ܪ ut ܐܶܣܬܰܡܩܰܪ (*erubuit*), ܐܶܬܡܰܣܟܰܢ (*egenus factus est*), vel ܗ ut ܗܰܝܡܶܢ (*credidit*), vel ܠ ut ܫܰܡܠܶܡ (*heroice sustinuit*), vel ܪ ut ܓܰܪܓܶܠ (*volvit*), vel ܬ ut ܫܰܘܬܶܐ (*retardavit*). Quædam verba

quadrilittera a trilitteris formantur per repetitionem tertiæ radicalis, ut ܫܥܒܶܕ (*in servitutem coegit*) aut per repetitionem primæ et secundæ radicalis, ut ܡܣܡܣ (*medicatus est*).

262 — Ex quibus omnibus vides apud Syros deesse sequentes verborum formas auctas, quæ exstant apud Arabes, nempe: فَاعَلَ, تَفَاعَلَ, انفعل (1), افعَلَّ, افعَنْلَلَ, افعالّ; e converso Syros habere formam ܫܦܥܠ, quæ excidit apud Arabes, etsi iidem Arabes retinuerint ejus derivatam per incrementum ܬ, i. e. استفعل; tandem Syros habere formas ܦܥܠܠ ejusque derivatam reciproci nempe ܐܬܦܥܠܠ, quarum ne vestigium quidem remansit penes Arabes. (2)

263 — Sciendum præterea Syros non efformare voces passivas verborum ab activis modo quo eas formant Arabes nec non Hebræi, sed eos pro vocibus passivis adhibere formas intransitivi, quæ nimirum habent initio incrementum ܐ, de qua re infra.

Nota - Tertia pers. sing. masculina præteriti ex omnibus verbis, desinit semper in litteram quiescentem apud Syros.

(1) Ista forma quæ communis est Hebræis cum Arabibus excidit jam ab immemorabili apud Syros; reperitur tamen hodie apud Syros Ma'lulæ qui dicunt v. g. ܐܢܫܡܥ (*auditus est*) ܡܢܫܡܥ (*auditur*).

(2) Verum habent Arabes in افعوعل ut احدودب et in افعنلل ut اقعنسس formam similem formæ Syriacæ افعنلل quoad dispositionem vocalium et numerum litterarum, sed non quoad originem litterarum. Insuper hanc formam non adhibent Arabes cum taw reciproci ut faciunt Syri.

III – DE MODIFICATIONIBUS QUAS SUBEUNT LITTERÆ SERVILES IN FORMIS VERBORUM AUCTIS

264 – Formæ *auctæ* sive trilitterorum sive quadrilitterorum verborum subsunt quibusdam modificationibus maxime euphoniæ causa. Videlicet:

A – Quoties prima radicalis est una ex litteris sibilantibus quæ sunt, ܣ, ܨ, ܫ, tunc in formandis formis auctis intransitivi quæ scilicet habent initio litteram taw servilem, hæc littera, quæ natura præponenda est primæ radicali, postponi debet litteræ sibilanti, ad evitandum stridorem, et in hoc casu forma aucta evadit omnino talis qualis est ordinarie penes Arabes. Insuper hæc littera taw postponenda litteræ sibilanti uti diximus, immutatur in ܕ si littera sibilans sit ܙ et in ܛ si littera sibilans sit ܨ. Exempli gratia a ܙܪܥ efformatur ܐܙܕܪܥ (*seminatus fuit*) pro ܐܙܬܪܥ quod est pro ܐܬܙܪܥ; item ܐܙܕܗܪ (*splenduit*) pro ܐܙܬܗܪ quod est pro ܐܬܙܗܪ. Pariter cum ܣ, v. g. a ܣܡܟ fit ܐܣܬܡܟ (*innixus est*) pro ܐܬܣܡܟ; a ܣܪܩ fit ܐܣܬܪܩ (*nudatus est*) pro ܐܬܣܪܩ. Item cum ܨ, v. g. a ܨܠܒ fit ܐܨܛܠܒ (*crucifixus est*) pro ܐܨܬܠܒ quod est pro ܐܬܨܠܒ; item a ܨܡܩ fit ܐܨܛܡܩ (*erubuit*) pro ܐܨܬܡܩ quod est pro ܐܬܨܡܩ. Denique cum ܫ v. g. a ܫܚܩ fit ܐܫܬܚܩ (*comminutus fuit*) pro ܐܬܫܚܩ; item a ܫܘܕܝ fit ܐܫܬܘܕܝ (*promisit*) pro ܐܬܫܘܕܝ.

B – Quoties vero in iisdem formis auctis per litteram taw servilem, prima radicalis est una ex litteris

dentalibus, quæ sunt ܕ, ܛ, ܬ, tunc littera taw servilis non movetur per *mhagjana* (n. 46) sed quiescit, imo quoad pronunciationem minime vero quoad orthographiam assimilatur in litteram taw sequentem, v. g. ܐܬܕܟܪ (*meminit*), ܐܬܛܒܥ (*immersus fuit*), ܐܬܬܪܙ (*discissus est*), quæ pronunciantur ܐܕܟܪ, cum emphasi ad litteram ܕ, ܐܛܒܥ cum geminatione ܛ, ܐܬܪܙ cum emphasi ad litteram ܬ, minime vero pronuncianda sunt ܐܬܕܟܪ, ܐܬܛܒܥ, ܐܬܬܪܙ ut quidam vulgares perperam legunt.

IV — DE REGULIS GENERALIBUS CONJUGATIONIS PRÆTERITI

265 — Præteritum est fundamentum cujusvis verbi, et ab eo tamquam a themate omnia derivata deducuntur. Forma præteriti in verbis trilitteris nudis, exceptis concavis et geminatis, habet primam radicalem seu *pe* quiescentem (n. 102) v. g. ܦܠܚ (*laboravit*) pro ܦܠܚ cum pt^{h}ah^{h}a brevi ad ‹ain; si tamen prima radicalis in verbis trilitteris nudis de quibus agimus, fuerit jod^{h} vel alaf, tunc ad expediendam pronunciationem jod^{h} assumit h^{h}vas^{s}am, et alaf zlamam (n. 103), v. g. ܐܡܪ (*dixit*) pro ܐܡܪ; ܝܬܒ (*sedit*) pro ܝܬܒ. Secunda autem radicalis hujusmodi formæ in verbis indicatis habet semper unam ex tribus vocalibus nempe vel pt^{h}ah^{h}am, vel zlamam vel rwah^{h}am (n. 254).

266 — Reliquarum formarum præteritum nempe

earum quæ constant quatuor vel quinque vel ad summum sex litteris, (nam alaf quod præcedit taw in ܐܬ non computatur utpote quod inductum est euphoniæ causa, et ceteroquin illud non pronunciatur nisi cum nulla vox verbum præcedit), si habet quidem duas tantum syllabas, extremæ syllabæ vocalis erit zlama, nisi forma illa desinat in litteram gutturalem vel in res^h, tunc enim zlama immutatur in pt^hah^ham (n. 118). Si vero forma habeat tres syllabas, tunc vocalis omnium trium syllabarum erit pt^hah^ha, excepta syllaba ܐܶܬ si occurrat. Exempla præteriti formæ habentis duas syllabas: ܩܛܰܠ, ܐܶܬܩܛܶܠ, ܫܰܠܗܶܒ, ܐܰܟܢܶܫ; exempla habentis tres syllabas: ܐܶܬܩܰܛܰܠ, ܐܶܬܩܰܛܰܠܢܝ.

267 — Conjugatio seu flexio verborum quam vocant Syri ܣܘܪܟܦܐ, fit juxta diversitatem personarum, generis et numeri. Syri post Græcos primam personam dicunt ܦܪܨܘܦܐ ܩܕܡܝܐ, secundam ܦܪܨܘܦܐ ܬܪܝܢܐ, tertiam ܦܪܨܘܦܐ ܬܠܝܬܝܐ. Nota singularem proprietatem linguæ Syriacæ et ceterarum linguarum Semiticarum quod in iis diversitas generis in personis 2æ et 3æ etiam in verbis consideratur.

268 — Litteræ adformativæ quæ adnectuntur præterito in ejus conjugatione, sunt ܬ, ܝ, ܘ et ܢ. Videlicet adnectitur ܬ pro 1a pers. sing. nec non pro tota 2a persona, idque tum apud Syros, tum apud Arabes ac Hebræos; præterea apud Syros et Arabes adnectitur ܬ pro 3a sing. fœm. cum apud Hebræos in hac persona nisi sequatur suffixum, transit ܬ in ܗ, quemadmodum apud

Arabes in nominibus taw formativa fœm. transit in he, unde dicunt Hebræi ܠܒܢܗ pro ܠܒܢܬ Syrorum. Porro hæc formativa ܬ quiescit ut apud Syr. nisi ei subnectatur aliquid; habet sonum *lenem* pro 1ª sing. et 3ª s. f., et *durum* seu asperum pro 2ª pers. Insuper habet ante se zlamam pro 1ª pers. sing. v. g. ܩܛܠܬ (*occidi*), ptʰahʰam pro 3ª sing. fœm. v. g. ܩܛܠܬ, et in tota 2ª persona littera quæ præcedit hanc formativam quiescit, (1) ita tamen ut ipsa formativa mobilis fiat in 2ª plur. v. g. ܩܛܠܬܘܢ, minime tamen in 2ª fœm. ex eo quod littera ܝ quæ post illam venit, non pronunciatur, v. g. ܩܛܠܬܝ (*occidisti* f.). Porro notum est litteram ت formativam præteriti apud Arabes habere pro 1ª persona vocalem *u* et apud Hebræos *i*, ex eo quod hæ duæ vocales nempe *u* et *i* sæpe in linguis Semiticis (sicut et in ceteris mundi linguis) inter se permutentur; pro 2ª masc. sing. vocalem *a*, et pro 2ª fœm. sing. vocalem *i*, itemque apud Hebræos.

Formativa ܢ adnectitur præterito pro 1ª plur. estque quiescens, v. g. ܩܛܠܢ (*occidimus*), nisi ei addatur altera ܢ tunc prior movetur per ptʰahʰam, verbi gratia ܩܛܠܢܢ (*occidimus*) (2).

---

(1) Origine habebat *a* pro 2ª sing. masc., et *i* pro 2ª sing. fœm. uti in Arabica lingua, quod reapparet cum suffixis, uti videbimus.

(2) Notandum est litteram nun formativam 1ᵃᵉ pers. pl. esse in lingua Hebraica motam sicut in Arabica, at per *u* non per *a*, i. e. per motionem nun pronominis *ahʰnu* quod est pro *anahʰnu* (Nos) (n. 217). In dialecto antiqua Chaldaica nun prædictum movetur per a sicut in Arabica lingua i. e. per zqafam, ut ܩܛܠܢܐ. In dialecto autem Maɛlulæ nun accipit motionem a, sed post hanc vocalem additur *hʰ*, dicunt enim ܩܛܠܢܚ pro ܩܛܠܢܐ vel ܩܛܠܢ. Ex hoc usu qui conservatus est apud Syros Maɛlulæ videtur provenisse secundum nun quod sæpe

Formativa ܘ adnectitur præterito pro 3ª plur. masc.; ܝ autem adnectitur pro 3ª plur. fœm.: ambæ tamen scribuntur sed non leguntur, v. g. ܩܛܠܘ (*occiderunt ipsi*), ܩܛܠܝ̈ (*occiderunt ipsæ*), quæ leguntur ambo tamquam ܩܛܠ. Tamen waw et jodh leguntur quoties veniunt post litteram infirmam ut videbimus (1). Leguntur quoque semper si eis additur nun pleonasmi ut ܩܛܠܘܢ et ܩܛܠܝ̈ܢ.

269 — Ex dictis vides tertiam radicalem verbi in præterito ubique quiescere, et tantum ante ܬ 1æ sing. nec non ante ܬ 3æ fœm. sing. mobilem fieri, in primo quidem casu per zlamam, in secundo per pthahham, et in his duobus casibus subit præteritum quasdam modificationes; nempe propter vocalem quam assumit tertia radicalis fit ut secunda radicalis tunc quiescat, ex eo quod omnis vocalis brevis expungenda sit ante aliam (Vide quod dicimus n. 104), et tunc *pe* verbi in

---

profertur in lingua litterali in fine 1æ pers. pl cum dicitur ܩܛܠܢ. Tertia autem pers. f. plur. dicebatur antiquitus ܩܛܠܢ̈ ut in Arabica lingua, ita quoque erat in dialecto Chaldaica: deinde abscissa est vocalis qua movetur nun, ut autem distingueretur a 1ª pers. plur. moverunt litteram quæ præcedit nun per zlamam et scripserunt ܩܛܠܝ̈ܢ, deinde continui usus et euphoniæ causa amputarunt signum pronominis et sic reducta est vox ad ܩܛܠ, et sic Orientales illud scribunt usque ad hunc diem; at Occidentales maluerunt illud per jodh otiosum et siame distinguere a 3ª pers. m. sing. Negari nequit codices antiquos pro Orientalibus testari ut fatetur Barhebræus ipse qui in sua magna grammatica tuetur in hoc puncto orthographiam Occidentalium. Attamen non raro ipsi Orientales ponunt siame super 3 pers. f. pl. cum æquivocationem metuunt.

(1) Etiam in lingua Syriaca vulgari Maclulæ excidit waw 3æ plur. masc. præteriti, unde dicunt ܩܛܠ (*occidit ipse* et *occiderunt ipsæ*): sed 3a plur. fœm. habet in hac dialecto formativas jodh et nun, unde dicunt ܩܛܠܝ̈ܢ (*occiderunt ipsæ*) cum pthah a brevi.

trilitteris nudis movetur regulariter per zlamam. Sequens exemplum rem declarabit : ܩܛܠܬ *(occidit ipsa)* ; hic tertia radicalis quæ est lamad[h] , ante ܬ 3[æ] fœm. sing. assumit pt[h]ah[h]am , et proinde excidit pt[h]ah[h]a litteræ ܛ et ideo qof adsciscit zlamam. In ceteris autem formis *pe* verbi assumit pt[h]ah[h]am quoties venit inter duas quiescentes; secus invariabilis est. Primum, v. g. ܐܬܩܛܠܬ, ܐܬܩܛܠܬ a verbo ܐܬܩܛܠ ubi cum lamad[h] mobilis evaserit per pt[h]ah[h]am in primo exemplo et per zlamam in secundo, facta fuit ܛ quiescens, et hinc occurrens ܩ inter duas quiescentes, assumpsit pt[h]ah[h]am. Secundum verbi gratia ܦܬܠܬ, ܐܛܪܩܬ, ܐܫܬܘܙܒܬ, ܐܬܦܬܠܬ, a verbis ܦܬܠ, ܐܛܪܩ, ܐܫܬܘܙܒ et ܐܬܦܬܠ : in his exemplis mobiles evaserunt finales litteræ quiescentes lamad[h] , qof, bet[h] et ʿain , ideoque littera quæ unamquamque præcedit quiescens evasit nempe ܬ , ܙ , ܗ et ܬ , et prima radicalis nempe ܦ, ܛ, ܙ et ܦ mansit in suo statu primitivo. Unde vides 3[am] fœm. sing. et 1[am] sing. conjugationis ܐܬܩܛܠ confundi cum iisdem personis conjugationis ܐܬܩܛܠ, ex utraque enim conjugatione pro 3[a] fœm. sing. dicitur ܐܬܩܛܠܬ, et pro 1[a] sing. dicitur ܐܬܩܛܠܬ.

270 – Maxima pars personarum habent in præterito puncta diacritica quibus singulæ ab invicem discernuntur, sic 3[a] sing. masc. in conjugatione simplicis et tota 2[a] in omnibus conjugationibus habent punctum infernum ; 3[a] fœm. sing. notatur duobus punctis sub formativa ܬ vel unum ex his duobus punctis subjicitur ܬ

et alterum illi postponitur ut ܩܛܠܬ ; sed apud Occidentales recentiores ista persona uno puncto post ܬ solet notari, sic ܩܛܠܬ, 3ª fœm. plur. habet *siame* v. gr. ܩܛܠܝ̈ ; 1ª sing. habet magnum punctum supernum v. g. ܩܛܠܬ. Tamen Orientales solent sæpe in 3ª fœm. plur. abjicere et siame et jodʰ formativum, sane minus recte, unde scribunt ܩܛܠ, ܢܣܒ, ܐܬܬܪܝܡ pro ܩܛܠܝ̈ (*occiderunt* f.) ܢܣܒܝ̈ (*acceperunt* f.), ܐܬܬܪܝܡܝ̈ (*exaltatæ sunt*).

271 – Paradigma conjug. præter. verb. sanorum.

	Sing.	Plur.
3ª pers.	m. ܩܛܠ occidit	m. ܩܛܠܘ vel ܩܛܠܘܢ (1)
	f. ܩܛܠܬ	f. ܩܛܠܝ̈ vel ܩܛܠܝ̈ܢ (1)
2ª pers.	m. ܩܛܠܬ	m. ܩܛܠܬܘܢ (2)
	f. ܩܛܠܬܝ	f. ܩܛܠܬܝܢ
1ª pers.	c. ܩܛܠܬ	c. ܩܛܠܢ vel ܩܛܠܢܢ
3ª pers.	m. ܪܚܡ dilexit	m. ܪܚܡܘ vel ܪܚܡܘܢ (1)
	f. ܪܚܡܬ	f. ܪܚܡܝ̈ vel ܪܚܡܝ̈ܢ (1)
2ª pers.	m. ܪܚܡܬ	m. ܪܚܡܬܘܢ
	f. ܪܚܡܬܝ	f. ܪܚܡܬܝܢ
1ª pers.	c. ܪܚܡܬ	c. ܪܚܡܢ vel ܪܚܡܢܢ *dileximus*

(1) Ptʰahʰa vel zlama hic non geminat litteram sequentem, deberetque sine productione pronunciari,

(2) Cum rwahʰa.

Sing.	Plur.
ܐܬܚܒܫ (*inclusus est*)	ܐܬܚܒܫܘ vel ܐܬܚܒܫܘܢ (1)
ܐܬܚܒܫܬ	ܐܬܚܒ̈ܫܝ vel ܐܬܚܒ̈ܫܝܢ (1)
ܐܬܚܒܫܬ	etc.
etc.	etc.
ܐܬܚܒܫܬ	ܐܬܚܒܫܢ vel ܐܬܚܒܫܢܢ
ܐܬܚܝܠ (*confortatus est*)	ܐܬܚܝܠܘ vel ܐܬܚܝܠܘܢ (1)
ܐܬܚܝܠܬ	ܐܬܚܝ̈ܠܝ vel ܐܬܚܝ̈ܠܝܢ (1)
ܐܬܚܝܠܬ	ܐܬܚܝܠܬܘܢ (2)
ܐܬܚܝܠܬܝ	ܐܬܚܝܠܬܝܢ
ܐܬܚܝܠܬ	ܐܬܚܝܠܢ vel ܐܬܚܝܠܢܢ.
ܐܬܩܒܪ (*sepultus est*)	ܐܬܩܒܪܘ etc.
ܐܬܩܒܪܬ	ܐܬܩܒ̈ܪܝ etc.
ܐܬܩܒܪܬ etc.	
ܐܬܩܒܪܬ etc.	

Eadem ratione dicitur ܙܡܪ *cecinit*, ܙܡܪܘ vel ܙܡܪܘܢ (1) ܙܡܪܬ, ... ܙܡܪܬ, ... etc. pariter dicitur: ܥܪܩ *fugavit*, ܥܪܩܘ vel ܥܪܩܘܢ (1); ܥܪܩܬ ... ܥܪܩܬ etc.

(1) Pthaḥa vel zlama hic non geminat litteram sequentem, deberetque sine productione pronunciari.

(2) Cum rwaḥa.

V — DE FORMATIONE AORISTI EJUSDEMQUE CONJUGATIONE

272 — Aoristus a præterito formatur, dempta prius littera alaf in formis auctis si existat, et præfixa initio una ex litteris præformativis aoristi mox exponendis, et servata dispositione litterarum ac motionum in eodem statu qui in præterito exstat, excepta conjugatione simplici trilittera in qua secunda radicalis potest in aoristo suscipere unam ex tribus vocalibus clausis, nempe pt^{h}ah^{h}am, vel zlamam vel rwah^{h}am, independenter a præterito (n. 254).

273 — Litteræ præformativæ aoristi sunt ܐ, ܢ, ܬ; hinc vides (ܝ) non esse apud Syros ex numero litterarum præformativarum aoristi quia ejus loco habent Syri nun (ܢ)(1). Itaque hujusmodi litteræ præformativæ habere debent ab origine motiones breves, quæ tamen excluduntur quoties littera quæ immediate sequitur sit mobilis (n. 102) v. g. ܢܩܪܘܒ a præt. ܩܪܒ, ܐܬܩܕܡ a præt. ܩܕܡ. Excipe præformativam ܐ quæ suscipit zlamam (2) (n. 103) v. g. ܐܫܡܥ a ܫܡܥ. Præformativæ litteræ in verbis auctis per ܐ initiale, assumunt vocalem istius alaf quæ eliditur in aoristo, v. g. ܢܬܩܛܠ a præt.

(1) Notum est præformativam litteram aoristi in 3a pers. esse 'jod^{h} in Arabica atque in Hebraica linguis; nun autem pro hoc jod^{h} esse singularem proprietatem linguæ Syriacæ, sed non universim; nam: I — Dialectus Samaritana et dialectus vulgaris hodie vigens Matlulæ habent jod^{h} non nun; II — Dialectus dicta Chaldaica sive in Bibliis sive Targumim, habet jod^{h}, excepto libro uno Bibliorum, i. e. Proverbiorum targum, in quo solo habetur nun pro jod^{h}. E contra dialectus Babylonica Mandaitarum habet semper nun. Fatemur hanc discrepantiam insolubile problema præsentare, quidquid nonnulli Syriologi conjecturaverint, quos vide apud R. Duval pag. 172, 173.

(2) Hæc zlama est dura.

ܐܶܬ݂ܡܰܠܰܠ ; ܐܶܕܢܰܚ a præt. ܕܢܰܚ ; ex quo contingit ut confundatur 1ª sing. aoristi cum 3ª sing. masc. præteriti, v. g. ܐܶܬ݂ܚܰܫܰܒ (*cogitavit* et *cogito*), ܐܰܩܺܝܡ (*erexit* et *erigo*). Quoties vero post præformativas aoristi sequitur littera quiescens, tunc præformativæ in ceteris suscipiunt zlamam (n. 104) ex. gr. ܢܩܽܘܡ a præterito, ܩܳܡ, ܬܶܫܪܶܐ (*tu solves*) a præt. ܫܪܳܐ (1)

274 – Jam vero alaf est præformativa 1æ singularis, taw est præformativa totius 2æ pers., nec non 3æ sing. fœm.; tandem nun est præformativa 1æ pluralis, 3æ sing. masc., nec non 3æ plur. masc. et fœm.

275 – Aoristus in sua conjugatione habet suam ultimam radicalem quiescentem, nisi ei adnectitur aliquid ex suffixis formativis variarum personarum aoristi, seu ultima radicalis verbi in aoristo fit mobilis per hʰvassˢam ante ܝ pro 2ª sing. fœm., et per ʿsˢasˢam longam seu per ʿmaqam ante adformativam ܘܢ pro 2ª et 3ª plur. masc., et tandem per zqafam ante adformativam nun pro 2ª et 3ª plur. fœm. Nota autem diligenter litteram nun in adformativis ܘܢ et ܝܢ uti in ܬܩܽܘܡܽܘܢ, ܢܩܽܘܡܽܘܢ et ܬܩܽܘܡܳܢ (2), non elidi apud Syros quemadmodum eliditur apud Arabes ac Hebræos, nisi quando præfatis personis adnectuntur suffixa, quod raro fit, uti videbimus.

276– Monendum est præterea Occidentales re-

(1) Hujusmodi regulæ litterarum præformativarum conveniunt quoad dispositionem quiescentiæ et motionis cum pronuntiatione vulgari linguæ Arabicæ quæ viget apud omnes populos qui hac lingua utuntur in Syria.

(2) Apud Arabes insuper nun existit in adformativis ان quæ adnectitur duali tum secundæ tum tertiæ personæ.

centiores scribere passim in fine 3ᵃᵉ sing. fœm. litteram jodʰ redundantem quæ non legitur, eo fine ut per illam litteram distinguatur 3ᵃ sing. fœm. a 2ᵃ sing. masc., v. g. scribunt ܬܶܩܛܘܽܠܝ (*occidet* f.) pro ܬܶܩܛܘܽܠ, et ܬܣܺܝܡܝ (*ponet* f.) pro ܬܣܺܝܡ. Jamvero hic usus omnino improbandus est, ut evidenter evincitur : I — Ex eo quod non existat hujusmodi littera neque in Arabica neque in Hebraica lingua, quamvis in iis omnes litteræ aoristi tum præformativæ tum adformativæ existant, eodem modo ac in Syriaca lingua. II — Imo in ipsa lingua Syriaca nullum fundamentum hujusmodi jodʰ habet, ratio est quia litteræ quæ otiantur in fine verborum reapparent omnes in pronuntiatione quoties verbum adsciscit sibi suffixum, excepta littera jodʰ de qua loquimur quæ nunquam reapparet; dicitur enim v. g. ܬܶܩܛܠܺܝܢ a ܬܶܩܛܘܽܠ non ܬܶܩܛܠܝܢ. E contra a ܩܛܰܠܬܝ, (*occidisti* f.) v. g. dicitur ܩܛܰܠܬܺܝܢܝ (*occidisti* fœm. *me*), ubi jodʰ apparet. III — Si hoc jodʰ rationem existendi haberet, existere debuisset in omnibus omnino verbis. Atqui nequit locum habere in verbis lamadʰ infirmis v. g. ܬܶܩܪܶܐ (*leget* f.); ܬܫܰܘܕܶܐ (*promittet* f.)

277 — Quoties ultima radicalis fit mobilis quacumque vocali clausa in conjugatione aoristi juxta quæ supra diximus, debet secunda radicalis tunc quiescere abjecta ejus vocali, quæcumque ea sit, (n. 102) v. g. ܢܶܩܛܠܽܘܢ (*occident* pl.), a ܢܶܩܛܘܽܠ, in quo exemplo cum littera ܠ suscipit ᶜsˢasˢam propter ܘܢ adformativam, proinde ܛ

rejicit suam rwahham et quiescit ; item ܬܥܒܕܘܢ (*facietis*) a ܢܥܒܕ in quo propter motionem quam assumit ܕ, fit ܒ quiescens ; item ܬܒܙܝܢ (*prædaberis* fœm.) a ܢܒܙܘ scilicet cum ܒ quiescenti ex eo quod ܙ evaserit mobilis ; item ܢܬܐܫܕܘܢ (*effundentur*) a ܢܬܐܫܕ, cum ܐ quiescenti ob vocalem quam adscivit ܫ. Jam vero si littera quæ præcedit secundam radicalem quæ sic quiescit, est et ipsa quiescens, tunc hæc assumit pthahham (n. 269) v. g. ܢܬܩܛܠܘܢ (*occidentur*) a ܢܬܩܛܠ, in quo facto ܠ mobili quiescet ܛ ; sed quoniam ܩ reperitur et ipsum quiescens, hinc assumit pthahham Exinde contingit ut inter se confundantur in hujusmodi personis paradigma aoristi conjugationis ܐܬܩܛܠ cum paradigmate aoristi conjugationis ܐܬܩܛܠ ex utroque enim dicitur ܢܬܩܛܠܘܢ, ܬܬܩܛܠܘܢ, ܬܬܩܛܠܝܢ, etc.

278 – Hisce accurate prænotatis, facile conjugabis cujusvis formæ aoristum.

Paradigma aoristi verbi sani :

	Sing.		Plur.
3a pers.	m. ܢܩܛܘܠ *occidet*	3a pers.	m. ܢܩܛܠܘܢ
	f. ܬܩܛܘܠ		f. ܢܩܛܠܢ
2a pers.	m. ܬܩܛܘܠ	2a pers.	m. ܬܩܛܠܘܢ
	f. ܬܩܛܠܝܢ		f. ܬܩܛܠܢ
1a pers.	c. ܐܩܛܘܠ	1a pers.	c. ܢܩܛܘܠ

	Sing.		Plur.
3ª pers.	m. ܢܶܪܚܰܡ *diliget*	3ª pers.	m. ܢܶܪܚܡܽܘܢ
	f. ܬܶܪܚܰܡ		f. ܢܶܪܚܡܳܢ
2ª pers.	m. ܬܶܪܚܰܡ	2ª pers.	m. ܬܶܪܚܡܽܘܢ
	f. ܬܶܪܚܡܺܝܢ		f. ܬܶܪܚܡܳܢ
1ª pers.	c. ܐܶܪܚܰܡ	1ª pers.	c. ܢܶܪܚܰܡ

ܢܶܫܠܰܡ *finiet*	ܢܶܫܠܡܽܘܢ
ܬܶܫܠܰܡ	ܢܶܫܠܡܳܢ
ܬܶܫܠܰܡ	ܬܶܫܠܡܽܘܢ
ܬܶܫܠܡܺܝܢ	ܬܶܫܠܡܳܢ
ܐܶܫܠܰܡ	ܢܶܫܠܰܡ
ܢܶܫܠܰܡ	ܢܶܫܠܡܽܘܢ etc.

ܢܶܬܗܦܶܟ *subvertetur*	ܢܶܬܗܰܦܟܽܘܢ
ܬܶܬܗܦܶܟ	ܢܶܬܗܰܦܟܳܢ
ܬܶܬܗܦܶܟ	ܬܶܬܗܰܦܟܽܘܢ
ܬܶܬܗܰܦܟܺܝܢ	ܬܶܬܗܰܦܟܳܢ
ܐܶܬܗܦܶܟ	ܢܶܬܗܦܶܟ

ܢܶܬܚܪܶܒ *dirutus erit*	ܢܶܬܚܰܪܒܽܘܢ
ܬܶܬܚܪܶܒ	ܢܶܬܚܰܪܒܳܢ etc.

ܢܶܫܬܰܒܶܐ *captivus efficietur*, ܢܶܫܬܰܒܽܘܢ etc.

ܢܶܫܕܰܪ *mittet*, ܢܶܫܕܪܽܘܢ etc.

ܢܬܚܪܒ *devastabitur*, ܢܬܚܪܒܘܢ, ܢܬܬܚܪܒ

vel melius ܢܬܬܚܪܒ, (1) ܢܬܬܚܪܒܘܢ

vel melius ܢܬܚܪܒܘܢ (1), etc.

ܢܬܦܫܩ *interpretabitur*, ܢܬܦܫܩܘܢ, etc.

VI — DE FORMATIONE IMPERATIVI EJUSDEMQUE CONJUGATIONE

273 — Imperativus formatur ab aoristo, dempta littera aoristi præformativa, et restituta initio littera alaf, quoties ea fuerit elisa in aoristo, v. g. ܩܛܘܠ *(occide)* a ܢܩܛܘܠ, ܫܩܘܠ *(accipe)* a ܢܫܩܘܠ, ܐܥܪܩ *(fuga)* a ܢܥܪܩ, ܒܙܘܙ *(prædare)* a ܢܒܙܘܙ. Nota porro quod in imperativo thematis ܐܬܩܛܠ quiescit ʿain verbi, et proinde *pe* movetur per ptʰahʰam (n. 269) et insuper tunc sub ʿ*ain* verbi ponitur *mhagjana* (n. 46), v. g. ܐܬܩܛܠ *(occidere)* a ܢܬܩܛܠ; item ܐܬܕܒܩ a ܢܬܕܒܩ. Imo Occidentales in imperativis omnium formarum quæ habent initio augmentum ܐܬ, solent abjicere a penultima radicali suam vocalem et pro ea ponere *mhagjanam*, sic dicunt ܐܬܡܠܟ, ܐܫܬܘܕܥ, ܐܬܬܣܝܡ, ab aoristis

(1) Apud Orientales hic alter modus est acceptus.

ܢܬܟܬܒܘܢ, ܢܬܦܪܩܘܢ, ܢܬܬܩܢܢ ; in solo imperativo ܐܬܪܚܡ ab aor. ܢܬܪܚܡ retinent pt^h^ah^h^am ad penultimam. Orientales autem in hujusmodi exemplis et similibus non abjiciunt vocalem penultimæ, sed dicunt regulariter ܐܬܟܬܒܘܢ, ܐܬܦܪܩܘܢ, ܐܬܬܩܢܢ. Ipsi quoque Occidentales in poesi retinent vocalem de qua agimus, v. g. ܐܬܟܫܦܝ (*precare*), ܐܬܚܝܠܘ (*confortamini*). Ceterum hæc suppressio vocalis videtur esse novitas a recentioribus inducta.

230 – Conjugatur imperativus adnectendo in fine syllabas formativas pro variis personis quemadmodum in aoristo, dempta tamen nun quæ extat in syllabis formativis 2æ fœm. sing. nec non 2æ masc. plur. prorsus ut in Arabica lingua, et proinde waw et jod^h^ quæ post demptam nun supersunt, illa ex formativa 2æ masc. plur. hæc ex formativa 2æ fœm. sing. silent seu otiantur. Præterea nun formativa 2æ plur. fœm. non habet in imperativo ante se zqafam ut in aoristo, sed habet zlamam duram præcedente jod^h^ cum quo coalescit in unam syllabam; imo ista nun interdum excidit, et tunc remanet jod^h^ præcedens scriptum, sed non pronunciatur.

Paradigma conjugationis imperativi:

ܩܛܘܠ *occide*, ܩܛܘܠܘ vel ܩܛܘܠܘܢ (1) *occidite*

ܩܛܘܠܝ *occide* fœm., ܩܛܘܠܝ vel ܩܛܘܠܝܢ (2) *occidite* f.

(1) Hæc nun redundans numeranda est inter extraneas singularitates linguæ Syriacæ litteralis; etenim hæc nun non exstat in lingua Arabica neque in dialectis vulgaribus Mesopotamiæ et Assyriæ. Solæ dialecti Chaldaica et Mandaitica utramque formam habent; Ma'lulana autem nonnisi cum nun format imperativum pl. masc.

(2) Hæc forma secunda exstat sola in dialecto Chaldaica sed nun habet zqafam ut in Arabica lingua, v. g. ܩܛܘܠܢ. Dialectus autem Mandaitica utramque

ܥܒܘܕ *fac* — ܥܒܘܕܘ vel ܥܒܘܕܘܢ
ܥܒܘܕܝ — ܥܒܘܕܝܢ vel ܥܒܘܕܝܢ

ܐܬܕܟܪ *memento* — ܐܬܕܟܪܘ vel ܐܬܕܟܪܘܢ
ܐܬܕܟܪܝ — ܐܬܕܟܪܝܢ vel ܐܬܕܟܪܝܢ

ܡܠܘܟ — ܡܠܘܟܘ vel ܡܠܘܟܘܢ
ܡܠܘܟܝ — ܡܠܘܟܝܢ vel ܡܠܘܟܝܢ

ܐܬܥܫܢ (1) *confortare* — ܐܬܥܫܢܘ vel ܐܬܥܫܢܘܢ
ܐܬܥܫܢܝ — ܐܬܥܫܢܝܢ vel ܐܬܥܫܢܝܢ

cum s^h^in quiescenti in omnibus.

VII — DE FORMATIONE INFINITIVI TUM NOMINALIS TUM VERBALIS

281 — Duplex infinitivus extat apud Syros, alter verbalis, alter nominalis. Primus nempe verbalis respondet infinitivo Arabum mimato, et apud Syros quoque in conjugatione trilittera simplici formatur ab aoristo mutando litteram præformativam in ܡ cum zlama, et convertendo vocalem penultimæ radicalis in pt^h^ah^h^am, v. g. a ܢܩܛܘܠ habes ܡܩܛܠ (*occidere*), a ܢܥܒܕ habes ܡܥܒܕ (*operari*), a ܢܪܚܡ habes ܡܪܚܡ (*amare*).
In ceteris conjugationibus infinitivus verbalis

formam Syriasmi litteralis habet. Denique dialectus Matlulana solam secundam agnoscit cum nun quiescenti ut in Syr. litter.

(1) Apud Orientales ܐܬܥܫܢ etc. ut diximus supra.

formatur quoque ab aoristo per mutationem litteræ præformativæ aoristi in ܡ cum zlama et per conversionem vocalis litteræ penultimæ in zqafam, addita in fine terminatione ܘ, v. g. a ܢܶܬܕܟܰܪ dices ܡܶܬܕܟܳܪܽܘ (*recordari*), a ܢܰܥܪܶܩ dices ܡܰܥܪܳܩܽܘ (*fugare*), a ܢܶܫܬܒܶܐ fit ܡܶܫܬܒܳܝܽܘ (1) (*captivari*).

282 — Frequenter præfigitur infinitivo verbali littera ܠ, cum rationem habet infinitivi Latini simpliciter, v. g. ܨܒܺܝܬ ܠܡܶܥܡܰܪ (*volui habitare*), ܠܳܐ ܡܨܶܝܢܰܢ ܠܡܶܩܪܰܒ (*non possumus pugnare*), ܛܳܒ ܗܽܘ ܠܡܶܬܬܟܳܠܽܘ ܒܡܳܪܝܳܐ (*bonum est confidere in Domino*). Hoc lamadh non præfigitur infinitivo verbali cum verbo jungitur ad significandam emphasim, v. g. ܒܡܳܪܝܳܐ ܣܰܟܺܝܬ ܡܣܰܟܳܝܽܘ (*sperando sperari in Domino*), ܡܪܰܘܪܒܺܝܢܰܢ ܡܪܰܘܪܒܽܘ ܠܟ (*exaltando exaltamus te*).

283 — Infinitivus alter qui nominalis dici potest, est nomen abstractum actionis, existentiæ verbi a quo derivatur, nulla habita ratione temporis, prorsus ut infinitivus Arabum dictus المصدر. Iste igitur infinitivus formatur a trilitteris nudis sine regula, et habet proinde multas formas, v. g. ܩܛܳܠܳܐ (*occisio*) a ܩܛܰܠ, ܦܬܳܚܳܐ (*apertio*) a ܦܬܰܚ, ܥܪܽܘܩܝܳܐ (*fuga*) a ܥܪܰܩ, ܡܶܐܬܝܳܐ (*adventus*)

(1) In dialecto antiqua Chaldaica infinitivus ex conjugationibus quæ per alaf incipiunt, eadem regula formatur ac in lingua Arabica, scilicet additur A longum ante ultimam radicalem, ut אִשְׁתַּכָּלָא et אִתְקַטָּלָא ex אִשְׁתַּכַּל et אִתְקַטַּל.

ab ܐܠܦܐ.

284 – In verbis vero quæ non sunt trilittera nuda plerumque infinitivus nominalis formatur a participio activo nominali de quo infra (n. 289), movendo ejus nun per ɛsˢasˢam et addendo terminationem ܘܬܐ, exempli gratia ܡܩܒܠܢܘܬܐ (*acceptatio*) a ܩܒܠ, ܡܩܒܠܢܘܬܐ (*obviam occursus*) ab ܐܩܒܠ, ܡܫܥܒܕܢܘܬܐ (*captivatio*) ab ܐܫܥܒܕ, ܡܫܪܝܢܘܬܐ (*initiatio*) ab ܐܫܪܝ. Insuper quadrilitteræ formæ: ܦܥܠ, ܦܥܠܠ, ܫܦܥܠ et ܫܦܥܠ habent tertium infinitivum regularem formandum a verbo, adjiciendo ɛmaqam primæ litteræ et zqafam penultimæ, v. g. ܫܘܥܒܕܐ (*captivitas*) a ܫܥܒܕ, ܩܘܛܪܓܐ (*accusatio*) a ܩܛܪܓ, ܫܘܓܫܐ (*perturbatio*) a ܫܓܫ, ܫܘܠܡܐ (1) (*perfectio*) a ܫܠܡ, ܫܘܓܐ (*lotio*) a ܫܓ, ܫܘܙܒܐ cum duobus waw (*salvatio*) a ܫܘܙܒ. (2)

(1) In ܫܘܠܡܐ ac similibus infinitivis formæ ܦܥܠ geminanda esset secunda radicalis, attamen usus obtinet non solum apud Occidentales sed etiam apud Orientales ut ɛsasa producatur et littera sequens non geminetur. Ceterum in dialecto Chaldaica dicitur v. g. ܫܘܠܡܐ cum pthaha geminante pro ܫܘܠܡܐ.

(2) Hæc regula qua formatur infinitus nominalis ex verbis quadrilitteris, eadem est in lingua Arabica; in hac enim hoc nomen typum habet فعلال sed cum *i* (interdum *a*) pro *u*, ex. gr. دِحراج ex دَحرَجَ, et زِلزال ex زَلزَلَ; imo ipsum فعّل habet interdum nominalem infinitum hac forma cum *i*, ut كِذّاب ex كَذَّبَ, et كِلّام ex كَلَّمَ. Igitur infinitus nominalis conjugationis فعّل in lingua Arabica est تفعيل, aliquando est فِعّال; contrarium est in lingua Syriaca, videlicet

VII - DE DERIVATIONE PARTICIPII ACTIVI EJUSQUE FLEXIONE

285 – Participium activum seu præsens duplex habetur penes Syros, nempe aliud est verbale, aliud qualificativum. Participium verbale vices tenet verbi, et formatur regularitur in verbis trilitteris nudis ad normam typi ܦܳܥܶܠ (فاعل) nempe movendo per zqafam *pe* verbi, et per zlamam ʿain verbi, exceptis verbis quorum lamad[h] i. e. tertia radicalis est littera gutturalis vel res[h], quorum participium pro zlama accipit pt[h]ah[h]am, (n. 118) ex. gr. ܢܳܦܶܠ *(occidens)*, ܫܳܒܶܩ *(relinquens)* ܦܳܬܰܚ *(aperiens)* a ܢܦܰܠ, ܫܒܰܩ, ܦܬܰܚ. Animadverte inter primam et secundam radicalem in istis participiis magnum punctum diacriticum supernum collocari (n. 54).

In ceteris conjugationibus, formatur participium activum ab aoristo præfigendo simpliciter loco litteræ præformativæ aoristi litteram mim (ܡ), v. g. ܡܩܰܛܶܠ *(per-*

---

regulariter est فُعَال , aliquando est فَعِيل , ut ܐܫܢܩܬܐ *tormentum* et ܐܥܕܪܬܐ *adjutorium* a ܫܢܩ et ܥܕܪ. E contra in conjugatione أَفْعَل hoc nomen إفعال est regulare et constans in Arabica lingua, ut إِحسان, إِمداد ab أَحسَنَ et أَمَدَّ, cum in Syriaca litterali id perditum sit, sed exstabat quondam ut testatur dialectus Babylonica dicta Chaldaica, in qua dicitur, ex. gr. ܐܣܩܬܐ, ܐܦܩܬܐ ab ܐܣܩ, ܐܦܩ, ut vidimus. Vide quam mirifice omnia concinunt ad attestandam linguæ Arabicæ præstantiam quoad antiquitatem philologicam. Ceterum non satis mirandum est formam فَعَّال seu فِعْلَال inter substantiva verbalia in dialecto Chaldaica rarissimam esse. Pro ea habetur, sæpius, فَعَّال vel فِعُّول vel فِعْلُول, nec tamen regula certa et generali.

ficiens) a ܠܡܥܒܕ, ܡܥܪܩ *(fugans)* a ܠܡܥܪܩ, ܡܣܬܡܟ *(innitens)* a ܠܡܣܬܡܟ, ܡܫܒܚ *(laudans)* a ܠܫܒܚ, ܡܬܒܪܟ *(benedictionem suscipiens)* a ܠܬܒܪܟ.

286 – Porro istud participium activum verbale adhiberi potest dupliciter, nempe vel absolute vel relative ad aliud seu in statu constructo. Participium activum quod adhibetur absolute tenet vicem verbi cum relatione temporis præsentis vel etiam futuri, et in hoc casu flectitur ad instar adjectivorum contractorum per gdhamam indeterminationis. Videlicet in flexione hujus participii penultima quescit, ita ut si littera quæ præcedit penultimam est et ipsa quiescens, adsciscat sibi pthahham. In fine autem additur alaf habens ante se zqafam pro sing. fœm., et jodh et nun habentia præmissam hhvassam pro plur. masc. et nun post zqafam pro plurali fœm. Exempla :

		Masc.	Fœm.
(1)	sing.	ܩܛܠ occidens	ܩܛܠܐ occidens ipsa
	pl.	ܩܛܠܝܢ occidentes	ܩܛܠܢ occidentes ipsæ
(2)	sing.	ܥܒܕ faciens	ܥܒܕܐ
	pl.	ܥܒܕܝܢ	ܥܒܕܢ
(3)	sing.	ܡܫܒܚ laudans	ܡܫܒܚܐ
		ܡܫܒܚܝܢ	ܡܫܒܚܢ
(4)	sing.	ܡܫܬܠ discedens	ܡܫܬܠܐ
	pl.	ܡܫܬܠܝܢ	ܡܫܬܠܢ

	Masc.	Fœm.
(5) sing.	ܡܫܬܠܡ	ܡܫܬܠܡܐ
pl.	ܡܫܬܠܡܝܢ	ܡܫܬܠܡܢ

Exemplum participii in cujus flexione littera quiescens quæ præcedit penultimam assumit pthaham :

sing.	ܡܫܬܠܡ (*tradens se*)	ܡܫܬܠܡܐ
plur.	ܡܫܬܠܡܝܢ	ܡܫܬܠܡܢ

Inde porro vides, excepto singulari masculino, confundi cum invicem hujusmodi participia formæ ܐܬܦܥܠ et participia formæ ܐܬܦܥܠ ; præterea ex citatis exemplis vides etiam participiis pluralibus masculinis non infigi signum plurale nuncupatum siame.

287 — Sciendum porro hoc participium verbali absolutum adhiberi ad instar verbi pro omnibus personis cum relatione ad tempus præsens vel etiam futurum ut diximus copulando participio absoluto pronomina personalia separata, excepta tertia persona, in qua adjunctione facienda subit participium aliqualem modificationem quam sequentia exempla declarabunt :

I

3ª pers.	Masc.	sing.	ܥܪܩ fugit aut fugiet
		plur.	ܥܪܩܝܢ fugiunt aut fugient
	Fœm.	sing.	ܥܪܩܐ fugit aut fugiet
		plur.	ܥܪܩܢ fugiunt aut fugient

2ª pers. Masc.
S ܥܪܩ ܐܢܬ vel ܥܪܩܬ fugis, fugies
P ܥܪܩܝܢ ܐܢܬܘܢ vel ܥܪܩܝܢܬܘܢ fugitis, fugietis

2ª pers. Fœm.
S ܥܪܩܐ ܐܢܬܝ vel ܥܪܩܬܝ fugis, fugies
P ܥܪܩܢ ܐܢܬܝܢ vel ܥܪܩܢܬܝܢ fugitis, fugietis

1ª pers. Masc.
S ܥܪܩ ܐܢܐ vel ܥܪܩܢܐ fugio, fugiam
P ܥܪܩܝܢ ܚܢܢ vel ܥܪܩܝܢܢ fugimus, fugiemus

1ª pers. Fœm.
S ܥܪܩܐ ܐܢܐ vel ܥܪܩܢܐ fugio, fugiam
P ܥܪܩܢ ܚܢܢ vel ܥܪܩܢܢ fugimus, fugiemus

II

3ª pers. Masc.
Sing. ܡܩܒܠ accipit vel accipiet
Plur. ܡܩܒܠܝܢ

3ª pers. Fœm.
Sing. ܡܩܒܠܐ
Plur. ܡܩܒܠܢ

2ª pers. Masc.
sing. ܡܩܒܠ ܐܢܬ vel ܡܩܒܠܬ
Plur. ܡܩܒܠܝܢ ܐܢܬܘܢ vel ܡܩܒܠܝܢܬܘܢ

2ª pers. Fœm.
Sing. ܡܩܒܠܐ ܐܢܬܝ vel ܡܩܒܠܬܝ
Plur. ܡܩܒܠܢ ܐܢܬܝܢ vel ܡܩܒܠܢܬܝܢ

1ª pers.
- Masc.
  - Sing. ܡܬܩܛܠ ܐܢܐ vel ܡܬܩܛܠܢܐ
  - Plur. ܡܬܩܛܠܝܢ ܚܢܢ vel ܡܬܩܛܠܝܢܢ
- Fœm.
  - Sing. ܡܬܩܛܠܐ ܐܢܐ vel ܡܬܩܛܠܢܐ
  - Plur. ܡܬܩܛܠܢ ܚܢܢ vel ܡܬܩܛܠܢܢ

III

3ª pers.
- Masc.
  - Sing. ܡܬܚܠܡ sanatur
  - Plur. ܡܬܚܠܡܝܢ
- Fœm.
  - Sing. ܡܬܚܠܡܐ
  - Plur. ܡܬܚܠܡܢ

2ª pers.
- Masc.
  - Sing. ܡܬܚܠܡ ܐܢܬ vel ܡܬܚܠܡܬ
  - Pl. ܡܬܚܠܡܝܢ ܐܢܬܘܢ vel ܡܬܚܠܡܝܬܘܢ
- Fœm.
  - Sing. ܡܬܚܠܡܐ ܐܢܬܝ vel ܡܬܚܠܡܬܝ
  - Pl. ܡܬܚܠܡܢ ܐܢܬܝܢ vel ܡܬܚܠܡܬܝܢ

1ª pers.
- Masc.
  - Sing. ܡܬܚܠܡ ܐܢܐ vel ܡܬܚܠܡܢܐ
  - Plur. ܡܬܚܠܡܝܢ ܚܢܢ vel ܡܬܚܠܡܝܢܢ
- Fœm.
  - Sing. ܡܬܚܠܡܐ ܐܢܐ vel ܡܬܚܠܡܢܐ
  - Plur. ܡܬܚܠܡܢ ܚܢܢ vel ܡܬܚܠܡܢܢ

IV

3a pers.	MASC.	Sing.	ܡܫܬܒܚ glorificatur
		Plur.	ܡܫܬܒܚܝܢ
	FŒM.	Sing.	ܡܫܬܒܚܐ
		Plur.	ܡܫܬܒܚܢ
2a pers.	MASC.	Sing.	ܐܢܬ ܡܫܬܒܚ vel ܡܫܬܒܚܬ
		Pl.	ܐܢܬܘܢ ܡܫܬܒܚܝܢ vel ܡܫܬܒܚܝܬܘܢ
	FŒM.	Sing.	ܐܢܬܝ ܡܫܬܒܚܐ vel ܡܫܬܒܚܬܝ
		Pl.	ܐܢܬܝܢ ܡܫܬܒܚܢ vel ܡܫܬܒܚܢܬܝܢ
1a pers.	MASC.	Sing.	ܐܢܐ ܡܫܬܒܚ vel ܡܫܬܒܚܢܐ etc.

Porro interdum ܐܢܐ contrahitur, maxime in poesi, cum participio fœminino v. g. ܡܬܚܫܠܡܢ, ܡܫܬܟܠܢ, ܥܪܩܢ, ܡܫܬܒܚܢ pro ܥܪܩܐ ܐܢܐ, ܡܫܬܟܠܐ ܐܢܐ etc.

Tempus imperfectum exprimitur apud Syros per participium activum conjunctum cum verbo ܗܘܐ *(fuit)* loco pronominum personalium separatorum, in quo verbo ܗ otiatur, i. e. non pronunciatur. Sic v. g.

ܥܪܩ ܗܘܐ	*fugiebat* m.	ܥܪܩܐ ܗܘܬ	*fugiebat* f.
ܥܪܩܝܢ ܗܘܘ	*fugiebant* m.	ܥܪܩܢ ܗܘܝ	*fugiebant* f.
ܥܪܩ ܗܘܝܬ	*fugiebas* m.	ܥܪܩܐ ܗܘܝܬܝ	*fugiebas* f.

ܥܳܪܩܺܝܢ ܗܘܰܝܬܽܘܢ *fugiebatis* m. ܥܳܪܩܳܢ ܗܘܰܝܬܶܝܢ *fugiebatis* f.

ܥܳܪܶܩ ܗܘܺܝܬ *fugiebam* m. ܥܳܪܩܳܐ ܗܘܺܝܬ *fugiebam* f.

ܥܳܪܩܺܝܢ ܗܘܶܝܢ *fugiebamus* m. ܥܳܪܩܳܢ ܗܘܶܝܢ *fugiebamus* f.

288 — Modo de participio activo quod adhibetur in statu constructo. Itaque hujusmodi participium occupat locum adjectivi quod regit suum nomen patiens vel alterum vocabulum ab ipso dependens, et tunc participium activum contrahitur juxta regulas traditas supra de contractione status constructi. Ita verbi gratia dices ܩܳܛܶܠ ܐ̱ܢܳܫܳܐ (*occisor hominum*), ܩܳܛܠܰܬ ܐ̱ܢܳܫܳܐ, ܩܳܛܠܰܝ ܐ̱ܢܳܫܳܐ, ܩܳܛܠܳܬ ܐ̱ܢܳܫܳܐ. Aliud exemplum participii ex verbo aucto: ܡܥܰܪܩܶܢ ܫܺܐܕܶܐ (*fugator daemonum*) ܡܥܰܪܩܢܰܬ ܫܺܐܕܶܐ, ܡܥܰܪܩܢܰܝ ܫܺܐܕܶܐ, ܡܥܰܪܩܢܳܬ ܫܺܐܕܶܐ. Eodem modo flectitur ܡܫܰܡܠܶܐ, ܡܫܰܡܠܝܰܬ, ܡܫܰܡܠܝܰܝ, ܡܫܰܡܠܝܳܬ. Ex quibus vides pluralem etiam masculinum notari signo siame.

289 — Participium vero nominale non adhibetur loco verbi sed respondet adjectivo proprie dicto. Formæ porro hujus participii derivati a verbis trilitteris nudis sunt plurimæ, neque subjiciuntur certæ legi definitæ, quarum potiores sunt:

A — فاعول v. g. ܥܳܪܽܘܩܳܐ (*fugitivus*), ܦܳܪܽܘܩܳܐ (*salvator*), ܒܳܪܽܘܝܳܐ (*creator*), ܟܳܬܽܘܒܳܐ (*scriba*), ܦܳܪܽܘܫܳܐ (*discernens*).

B — فاعل v. g. ܟܳܗܢܳܐ (*sacerdos*), ܪܳܚܡܳܐ (*amicus*).

(1) Apud Orientales zqafa ad ‘ain loco pthahhæ.

tamen etiam juxta regulam : ܡܒܪܟ, ܡܫܡܫ, ܡܥܘܙܪ.

294 — Ex verbis quæ habent initio syllabam servilem ܐܬ non formantur participia passiva, sed forma participii activi habet significationem participii passivi, v. gr. a verbo ܐܬܩܛܠ (*occisus est*) non dicitur ܡܬܩܛܠ sed ܡܬܩܛܠ (*occisus*) quod est participium activum. Excipe tamen verba hujusmodi formarum quæ habent significationem activam, non vero passivam, tunc enim participium activum retinet suam propriam significationem; et ex istiusmodi verbis non formantur participia passiva, verbi gratia ܡܬܕܟܪ (*reminiscens*), ܡܫܬܘܕܐ (*promittens*).

295 — Flectitur autem participium passivum eadem ratione ac activum, v. g. ܩܛܝܠ (*occisus*), ܩܛܝܠܐ (*occisa*), ܩܛܝܠܝܢ (*occisi*), ܩܛܝܠܢ (*occisæ*). Item ܡܓܦܦ (*amplexu susceptus*), ܡܓܦܦܐ, ܡܓܦܦܝܢ, ܡܓܦܦܢ. Unde deducis participium passivum derivatum ex verbis quæ non sunt trilittera nuda confundi cum participio activo, excepto singulari masculino.

296 — Porro quemadmodum participium activ. locum tenet verbi activi, ita participium passivum vicem gerit verbi passivi, et proinde cum pronominibus personalibus flectitur inducta levi modificatione uti liquet ex duobus sequentibus exemplis :

3ª p.	ܩܛܝܠ ܗܘ *occiditur* m.	ܩܛܝܠܐ ܗܝ fœm.
	ܩܛܝܠܝܢ ܐܢܘܢ (ܗܢܘܢ) *occiduntur* m.	ܩܛܝܠܢ ܐܢܝܢ fœm.

2ª pers.
- ܩܛܝܠ ܐܢܬ vel ܩܛܝܠܬ
- ܩܛܝܠܝܢ ܐܢܬܘܢ vel ܩܛܝܠܝܬܘܢ
- ܩܛܝܠܐ ܐܢܬܝ vel ܩܛܝܠܬܝ
- ܩܛܝܠܢ ܐܢܬܝܢ vel ܩܛܝܠܬܝܢ

1ª pers.
- ܩܛܝܠ ܐܢܐ
- ܩܛܝܠܐ ܐܢܐ (1)
- ܩܛܝܠܝܢ ܚܢܢ vel ܩܛܝܠܝܢܢ

Interdum et præcipue in poesi, contrahitur ܩܛܝܠܐ ܐܢܐ in ܩܛܝܠܢ.

Exemplum aucti :

3ª pers.
- ܡܒܪܟ ܗܘ *benedictus est* ܡܒܪܟܐ ܗܝ
- ܡܒܪܟܝܢ ܐܢܘܢ ܡܒܪܟܢ ܐܢܝܢ

2ª pers.
- ܡܒܪܟ ܐܢܬ vel ܡܒܪܟܬ
- ܡܒܪܟܝܢ ܐܢܬܘܢ vel ܡܒܪܟܝܬܘܢ
- ܡܒܪܟܐ ܐܢܬܝ vel ܡܒܪܟܬܝ
- ܡܒܪܟܢ ܐܢܬܝܢ vel ܡܒܪܟܬܝܢ

1ª pers.
- ܡܒܪܟ ܐܢܐ ܡܒܪܟܐ ܐܢܐ
- ܡܒܪܟܝܢ ܚܢܢ vel ܡܒܪܟܝܢܢ masc.
- ܡܒܪܟܢ ܚܢܢ vel ܡܒܪܟܢܢ fœm.

297 — Nota vero pronomina personalia 3æ personæ i. e. ܗܘ, ܗܝ, ܐܢܘܢ, ܐܢܝܢ, posse supprimi, et tunc

(1) Orientales interdum scribunt ܩܛܝܠܢܐ

participium passivum solum adhibetur loco verbi passivi. Aliquando construitur participium passivum ad instar participii activi cum suo nomine, et tunc contrahitur quemadmodum contrahitur in pari casu participium activum, v. gr. ܐܕܝܫ ܠܒܐ (*tritus corde*), ܐܕܝܫܬ ܠܒܐ (*trita corde*), ܐܕܝܫܝܢ ܠܒܐ, ܐܕܝܫܢ ܠܒܐ.

298 – Quandoque participium passivum verborum trilitterorum nudorum adhibetur in sensu participii activi: sic ex. gr. ܫܩܝܠ (*acceptus*), ܠܒܝܟ (*apprehensus*), ܐܚܝܕ (*tentus*), ܥܦܝܦ (*amplexu susceptus*), ܠܒܝܫ (*indutus*), ܛܥܝܢ (*portatus*), adhibentur in sensu participii activi et significant *accipiens*, *apprehendens*, *tenens*, *amplectens*, *induens*, *portans*, exempli gratia: ܗܘ ܕܛܥܝܢ ܟܠ ܒܪ̈ܝܬܐ (*ille qui sustinet omnes creaturas*), ܐܠܗܐ ܐܚܝܕ ܟܠ (*Deus qui omnia moderatur*). Et in isto casu quoque flectitur participium hujusmodi cum pronominibus personalibus separatis ut dictum est præcedenter de participio activo, v. gr. ܠܒܝܫ (*induens*), ܠܒܝܫܝܢ (*induentes*), ܠܒܝܫܝܢܢ (*induentes nos*), etc. Similiter construitur cum nominibus v. gr. ܠܒܝܫ ܓܐܝܘܬܐ (*indutus majestatem*), ܠܒܝܫܬ, ܠܒܝ̈ܫܝܢ, ܠܒܝ̈ܫܢ etc.

SCHOLION

Ex dictis superius diligenter notandum est adjectivis adhibitis pro prima vel secunda persona necessario subjungenda esse pronomina personalia, ut ܚܟܝܡ ܐܢܐ

(gaudeo);si vero adjectivum adhibetur pro tertia persona, tunc omittenda sunt pronomina personalia, quoties adjectivum tenet locum verbi v. gr. ܩܛܠܝܢ *(occidunt)*, secus liberum est subjungere pronomina vel omittere, v. gr. ܫܦܝܪܝܢ ܥܝܕܝܟ vel ܫܦܝܪܝܢ ܐܢܘܢ ܥܝܕܝܟ *(boni sunt mores tui)*.

CAPUT II

DE VERBO HAMZATO

I — DE VERBO PE—ALAF

299 — Verbum hamzatum est illud quod habet hamzam, seu ut malunt Syri grammatici, alaf loco pe i. e. primæ radicalis, ex. gr. ܐܡܪ *(dixit)*; vel loco ʿain seu secundæ radicalis, v. gr. ܫܐܠ *(petiit)*, vel tandem loco lamadh, i. e. tertiæ radicalis, v. gr. ܛܡܐ *(immundus fuit)*. Hic ante omnia recolenda sunt quæ n. 78 et sequentibus de indole hamzæ Syriacæ exposuimus.

300 — Incipiamus ergo agere de verbis hamzatis in pe. Præmittimus itaque hujusmodi hamzam initialem, ut possit proferri, in præterito assumere zlamam (n. 103), quæ quamquam pronunciari deberet cum brevitate (n. 102), nihilominus Orientales hodierni ingeminant litteram quæ eam sequitur, et Occidentales producunt illius pronunciationem. Eadem est ratio hamzæ

C — فعّال maxime de artibus, v. g. ܢܰܓܳܪܳܐ (*faber lignarius*), ܬܰܓܳܪܳܐ (*mercator*), ܡܣܟܢܐ (*miserabilis*), ܥܰܘܳܠܳܐ (1) (*iniquus*). Sed de adjectivarum formis distincte agemus infra.

290 — Participium nominale ex ceteris verbis formatur regulariter a participio activo verbali fœminino sing. addita in fine terminatione ܢܳܐ v. g. ܡܰܩܪܒܳܢܳܐ (*bellicosus*) ab ܐܰܩܪܶܒ cujus partic. verbale fœm. sing. est ܡܰܩܪܒܳܐ, ܡܣܰܒܥܳܢܳܐ *satiator* a ܣܰܒܰܥ, ܡܦܰܪܢܣܳܢܳܐ (*œconomus*) a ܦܰܪܢܶܣ, ܡܶܬܕܰܪܟܳܢܳܐ (*comprehensibilis*) ab ܐܶܬܕܪܶܟ, ܡܶܬܩܰܒܠܳܢܳܐ (*acceptabilis*) ab ܐܶܬܩܰܒܰܠ.

Nota porro participium nominale formæ ܐܶܬܩܰܛܰܠ confundi cum participio nominali formæ ܐܶܬܩܛܶܠ.

SCHOLION

291 — Participium grammatice activum de quo hactenus egimus, potest habere sensum passivum; id autem evenit cum verbum a quo derivatur participium activum habet præformativam ܐܶܬ quæ verbo dat sensum passivi, ex. gr. quamquam ܡܶܬܥܰܒܕܳܢܳܐ *faciendus* sit grammatice participium activum, sensum tamen habet passivum quia venit a verbo ܐܶܬܥܒܶܕ *factus est*.

(1) Apud Orientales zqafa ad ܥ ain loco pt^{h}ah^{h}æ.

IX – DE PARTICIPIO PASSIVO

292 – Participium præteritum seu passivum nonnisi a verbis transitivis formatur ut notum est. A verbis quidem trilitteris nudis regulariter ad normam ܦܥܝܠ (فعيل) cum *pe* quiescenti (n. 102) ex. gr. ܩܛܝܠ (*occisus*) , ܪܚܝܡ (*dilectus*) , ܦܪܝܫ (*distinctus*). (1)

293 – A verbis vero quæ non sunt trilittera nuda formatur participium passivum a partic. act. immutando ultimam hujus vocalem in pt^h^ah^h^am, v. gr. ܡܩܒܠ (*acceptus*) a verbo ܩܒܠ cujus partic. activ. est ܡܩܒܠ (*accipiens*) , ܡܪܟܢ (*inclinatus*) a verbo ܐܪܟܢ cujus partic. act. est ܡܪܟܢ. ܡܦܪܢܣ (*gubernatus*) a verbo ܦܪܢܣ.

Quod si ultima motio participii activi jam sit pt^h^ah^h^a ob litteram gutturalem vel res^h^ sequentem (n. 118) tunc confunditur participium passivum cum activo, ex. gr. ܡܫܒܚ (*laudans* vel *laudatus*) , ܡܫܕܪ (*mittens* vel *missus*). Interdum occurrunt participia passiva ex verbis non trilitteris nudis ad normam ܦܥܝܠ , v. gr. ܒܪܝܟ (*benedictus*), ܫܒܝܚ (*glorificatus* seu *gloriosus*) , ܗܕܝܪ (*majestate plenus*) , a verbis ܒܪܟ, ܫܒܚ, ܗܕܪ ; dicitur

(1) Animadvertendum est in Arabica lingua participium passivum tres habere formas , فعيل , فعول et مفعول , ex quibus Syriaca lingua habet solum primam, Hebraica secundam. Participium vero activum habere unam solam formam فاعل , communem omnibus tribus linguis. Sermo est de verbis trilitteris.

in imperativo et in participio passivo. Verba autem hamzata in pe duas tantum formas habent; altera quidem habet pthahham in 2a radicali in præterito, et rwahham in aoristo; altera habet pthahham in 2a radicali tum in præterito tum in aoristo simul.

Verba primæ formæ:

Præt.		Aorist.
ܐܓܪ	mercede conduxit	ܢܐܓܘܪ
ܐܚܕ	(tenuit)	ܢܐܚܘܕ
ܐܟܠ	comedit	ܢܐܟܘܠ
ܐܠܡ	(1) odit	ܢܐܠܘܡ
ܐܠܨ	(1) pressit, oppressit	ܢܐܠܘܨ
ܐܛܫ	recondidit	ܢܐܛܘܫ
ܐܣܪ	vinxit	ܢܐܣܘܪ
ܐܪܥ	(1) obviam occurrit	ܢܐܪܘܥ
ܐܫܕ	fudit	ܢܐܫܘܕ
ܐܫܦ	incantavit	ܢܐܫܘܦ

Verba 2æ formæ cujus ʿain habet pthahham in præterito et in aoristo:

ܐܒܕ	periit	ܢܐܒܕ
ܐܙܠ	ivit	ܢܐܙܠ

(1) Orientales substituunt pthahham zlamæ in his verbis ܐܠܡ, ܐܠܨ, ܐܪܥ dicentes: ܐܠܡ, ܐܠܨ, ܐܪܥ.

ܐܶܟܰܦ sedulus fuit ܬܳܐܟܶܦ

ܐܶܡܰܪ dixit ܬܳܐܡܶܪ

301 – Unde concludes hamzam apud Occidentales in aoristo et in infinitivo verbali habere ante se zlamam in verbis primæ formæ ut ܢܶܐܦܽܘܠ, et hbvassam in verbis secundæ formæ ut ܬܳܐܡܶܪ; apud Orientales vero in utroque casu habere ante se zlamam duram, ut ܢܶܐܟܽܘܠ, ܢܶܐܟܠܽܘܢ, ܡܶܐܟܠܳܢ etc. ܢܶܐܡܰܪ, ܢܶܐܡܪܳܢ, ܢܶܐܡܰܪ etc.

302 – Quoad formas auctas, notandum hamzam transire in waw in forma ܐܰܦܥܶܠ, v. gr. ܐܰܘܟܶܠ (*manducare fecit*) ܢܰܘܟܶܠ, a nudo ܐܶܟܰܠ (*manducavit*); ܐܰܘܒܶܕ (*perdidit*) ܢܰܘܒܶܕ, ab ܐܶܒܰܕ (*periit*). Item hamza transit in waw in forma ܦܰܘܥܶܠ, v. gr. ܫܰܘܚܰܪ (*retardavit*), nec non in ܐܶܫܬܰܦܥܰܠ, v. gr. ܐܶܫܬܰܘܚܰܪ (*tardavit, percunctatus est*) ab ܐܚܰܪ. In forma ܐܶܬܦܥܶܠ hamza assumit zlamam apud Occidentales (quæ tamen in pronunciatione transit ad taw quod præcedit), et mhagjanam apud Orientales (n. 46), v. gr. ܐܶܬܐܶܡܰܪ (*dictus fuit*), ܐܶܬܐܶܟܶܠ (*manducatus fuit*), apud Orientales ܐܶܬܶܐܡܰܪ, ܐܶܬܶܐܟܶܠ; in aorist. ܢܶܬܐܶܟܶܠ, ܢܶܬܐܶܡܰܪ, apud Orientales ܢܶܬܶܐܟܶܠ, ܢܶܬܶܐܡܰܪ. Anomalum est ܐܶܬܬܚܺܝܕ (*captus fuit*) pro ܐܶܬܐܚܺܝܕ, aorist. ܢܶܬܬܚܺܝܕ, imper. ܐܶܬܬܚܶܕ. In infinitivis nominalibus hamza quiescens habet post mim semper ante se zlamam duram

in utraque schola, ut ܡܐܟܘܠܬܐ *cibus*, ܡܐܬܝܬܐ *adventus*. In reliquis nulla difficultas.

303 – Hisce declaratis, facile conjugabis præteritum hujusmodi verborum, v. gr. ܐܟܠ, ܐܟܠܘ, ܐܟܠܬ etc. Item ܐܬܐܟܠ, ܐܬܐܟܠܘ vel ܐܬܐܟܠܘܢ, ܐܬܐܟܠܬ, ܐܬܐܟܠܝ vel ܐܬܐܟܠܝܢ etc. in aoristo alaf præformativa primæ personæ sing. coalescit cum hamza in unum alaf cum vocali propria præformativæ ܐ, i. e. vel hhvassam vel zlamam, v. gr. ܐܟܘܠ cum zlama (*manducabo*) quia a ܐܐܟܘܠ, ܐܟܘܠ ܐܐܟܘܠ; et ܐܡܪ cum hhvassa (*dicam*) quia a ܐܐܡܪ, ܐܡܪ a ܐܐܡܪ. Conjugantur ܢܐܟܘܠ, ܢܐܟܠܘܢ, ܬܐܟܘܠ etc.; ܢܐܡܪ, ܢܐܡܪܘܢ, ܬܐܡܪ, etc.; formæ habentes ܐܬ initio conjugantur sic: ܢܬܐܟܠ, ܢܬܐܟܠܘܢ, ܐܬܐܟܠ etc. In imperativo hamza assumit pthahham in verbis primæ formæ seu quæ habet post se vocalem rwahham, et zlamam in verbis secundæ formæ, seu quæ habet post se pthahham. Exempla primi: ܐܟܘܠ (*manduca*), ܐܣܘܪ (*liga*); exemplum secundi ܐܡܪ, ܐܡܪ (*dic*). Item dices: ܐܬܐܟܠ, ܐܬܐܟܠܘ tantum (minime vero dicitur ܐܬܐܟܠܘ), ܐܬܐܟܠܝ, ܐܬܐܟܠܝܢ tantum. Infinitivus vero formatur regulariter præfixa littera mim (ܡ) præformativa, cui ponitur eadem vocalis ac nun præformativa aoristi, v. gr. ܡܐܣܪ, ܡܐܟܠ, ܡܐܟܠܘ, ܡܐܡܪ, ab aoristis ܢܐܣܘܪ, ܢܐܟܘܠ, ܢܐܟܠܘ, ܢܐܡܪ. Excipitur verbum ܐܬܐ, cujus infinitivus est

ܡܐܡܪ cum rwas^s^a et si aoristus est ܢܐܡܪ cum h^h^vas^s^a.

304 — Participium activum regulare est, v. gr. ܐܟܠ (*manducans*), ܐܡܪ (*dicens*). Participium passivum assumit ad hamzam pt^h^ah^h^am quæ apud Orientales ingeminat litteram sequentem, apud Occidentales vero effertur producta (n. 103); v. gr. ܐܟܝܠ (*manducatus*), ܐܡܝܪ (*dictus*).

Nota tandem verba pe-hamza perraro habere typum ܦܥܠ, v. gr. ܐܘܪܒ (*arcuit*) ܢܐܘܪܒ, ܐܟܪ (*oppressit*) ܢܐܟܪ. Porro hujusmodi formæ hamza manet constanter in omnibus modis et flexionibus, v. gr. ܢܐܘܪܒܘܢ, ܐܐܘܪܒܘܢ, ܐܐܘܪܒ etc. ܡܐܘܪܒܘ, ܡܐܘܪܒ etc.

II — DE VERBIS ʿAIN HAMZA ET LAMAD^H^ HAMZA

305 — Verba ʿain-hamza i. e. quæ habent hamzam loco secundæ radicalis pauca occurrunt in sermone Syriaco, et pleraque habent ad ʿain zlamam in præterito, et pt^h^ah^h^am in aoristo. Exempli gratia: ܟܐܒ (*miser fuit*) ܢܟܐܒ, ܛܐܒ (*bonus fuit*) ܢܛܐܒ, ܟܐܒ (*doluit*) ܢܟܐܒ, ܡܐܠ (1) (*tæduit*) ܢܡܐܠ; ܣܐܒ (*senuit*) ܢܣܐܒ, ܣܐܡ (*terminavit*) ܢܣܐܡ, ܣܐܢ (*calceavit*) ܢܣܐܢ, ܫܐܠ (*petiit*) ܢܫܐܠ.

(1) ܡܐܠ fere semper adhibetur impersonaliter, et tunc nomini præfigitur lamad^h^, v. gr. ܡܐܠ ܠܝ (*tæduit me*), ܠܐ ܢܡܐܠ ܠܟܘܢ (*ne tædeat vos.*)

Rarissima sunt verba quæ habent pthaḥham ad hamzam tum in præterito tum in aoristo, v. gr. ܒܐܪ (*confusus est*) ܢܒܐܪ. In formis auctis dictis, v. gratia: ܐܒܐܫ (*male fecit*), ܐܛܐܒ (*bonum fecit*), ܫܐܠ (*interrogavit*), ܒܐܪ (*confusione affecit*), ܐܬܒܐܫ (*miser factus est*), ܐܬܒܐܪ (*confusione affectus fuit*), ܐܬܪܐܓ (1) (*concupivit*).

306 — Conjugantur hujusmodi verba plane ut sana, considerata semper littera alaf ut consonans non ut littera infirma. Præteritum ergo: ܫܐܠ (*quæsivit*); ܫܐܠܬ, ܫܐܠܬ, ܫܐܠܬ, etc.; ܫܐܠ, (*interrogavit*), ܫܐܠܬ, ܫܐܠܬ, etc.; ܐܫܐܠ (*mutuo dedit*), ܐܫܐܠܬ (2), etc.; ܐܫܬܐܠ (*se excusavit*), ܐܫܬܐܠܬ, etc.; ܐܫܬܐܠ (*interrogatus est*), ܐܫܬܐܠܬ, etc. Item ܒܐܪ, ܒܐܪܬ, etc.; ܒܐܪ, ܒܐܪܘ, ܒܐܪܝ, etc.

Aoristus: ܢܫܐܠ, ܢܫܐܠܘܢ (2), etc.; ܢܫܐܠ, ܢܫܐܠܘܢ, etc.; ܢܫܐܠ, ܢܫܐܠܘܢ (2), etc.; ܢܫܬܐܠ, ܢܫܬܐܠܘܢ, etc.; ܢܫܬܐܠ, ܢܫܬܐܠܘܢ, etc. Item ܢܒܐܪ, ܢܒܐܪܘܢ, etc.
Imperativus: ܫܐܠ, ܫܐܠ, ܐܫܬܐܠ, etc.

Infinitus verbalis: ܡܫܐܠ, ܡܫܐܠܘ, ܡܫܐܠܘ,

(1) Occidentales recentiores in hoc verbo jodh redundans scribunt post alaf, ܐܬܪܐܝܓ, ܢܬܪܐܝܓ, quod erroneum est.

(2) Cum mhagjana apud Orientales, et cum rvassa ad litteram quæ præcedit hamzam apud Occidentales.

ܢܬܟܣܘܢ, ܢܬܬܟܣܘܢ. — Infinitus nominalis : a ܟܣܐ : ܟܣܘܝܐ, etc.

Participium activum : ܟܐܣܐ, ܟܐܣܝܐ, etc. ; ܡܟܣܐ, ܡܟܣܝܐ, etc. ; ܡܬܟܣܐ, ܡܬܟܣܝܐ, etc. ; ܡܬܬܟܣܐ, ܡܬܬܟܣܝܐ, etc. — ܟܣܝܢ, ܡܟܣܝܢ, ܡܬܟܣܝܢ (1), ܡܬܬܟܣܝܢ, etc.

Participium passivum : ܟܣܝܐ, etc. ; ܡܟܣܐ, etc. ; ܡܬܟܣܐ, etc.

Cetera nullam difficultatem præseferunt.

307 — Verba hamzata in lamadh adhuc verbis hamzatis in ʿain sunt rariora, quia fere cuncta verba quæ apud Arabes hamzata in lamadh extant, sunt apud Syros defectiva in lamadh, v. gr. ܩܪܐ قرأ (*legit*) ; ܒܪܐ برأ (*creavit*); ܣܢܐ شنأ (*odivit*). Imo nullum extat verbum trilitterum nudum hamzatum in lamadh apud Syros, excepto uno verbo ܟܡܐ, ܐܟܡܐ (*ater fuit*) quod occurrit apud Jerem. Thren. 5, 10, sed tantummodo nonnulla aucta verba ad hujusmodi classem pertinentia occurrunt, quorum præcipua sunt : ܒܝܐ (2) (*consolatus est*) ܢܒܝܐ, ܛܡܐ (*polluit*) ܢܛܡܐ, ܐܠܦ (*docuit*) ܢܐܠܦ ; et horum derivata cum ܐܬ scilicet ܐܬܒܝܐ (2) (*consolatus est*), ܐܬܛܡܐ

(1) Cum mhagjana apud Orientales, et cum rwassa ad litteram quæ præcedit hamzam apud Occidentales.

(2) Solent recentiores Occidentales in hoc verbo similibusque in fine addere secundum alaf redundans scribentes ܒܝܐܐ, ܐܬܒܝܐܐ etc. quod inutile est.

(n. 264. 6) *(pollutus fuit)*, ܐܬܛܝܒ *(instructus fuit)*.

308 – Quorum conjugatio eadem ratione ac verborum sanorum fit. Unde dices in conjug. sani: - Præter. ܡܠܐ, ܡܠܐܬ, ܡܠܐܘ (waw silet), ܡܠܐܝ (jodh silet) aut ܡܠܐܝܢ, ܡܠܐܬܝ ... ܡܠܐܬ, ܡܠܐܬܘܢ vel ܡܠܐܬܝܢ. – Aorist. ܢܡܠܐ, ܢܡܠܐܘܢ, etc. – Imper. ܡܠܐ. -Sic apud Orientales. Occidentales autem hoc verbum ad conjugationem فَعَلَ referunt dicentes ܡܠܐ ut ܒܥܐ (1). – Sic autem conjugatur ܒܥܐ .- In præterito : ܒܥܐ (2) ; ܒܥܐܘ (waw non legitur , etsi Barhebræus contrarium dicat , lectionem vulgi sequens) ; ܒܥܐܬ, ܒܥܐܝ (jodh non legitur) vel ܒܥܐܝܢ etc. In aoristo : ܢܒܥܐ , ܢܒܥܐܘܢ , ܐܒܥܐ, ܢܒܥܐܝܢ etc. – Imper. ܒܥܐ, ܒܥܐܘ , ܒܥܐܝ cum waw et jodh silentibus.– Infinitivus verbalis : ܡܒܥܐܘ . Infinit. nominalis: ܒܘܥܐܐ .- Partic. activo et passivo (n. 118) , ܡܒܥܐ ; ܡܒܥܐܝܢ : ܡܒܥܐܐ etc. - Part. activ. qualificativo ܡܒܥܐܢܐ , ܡܒܥܐܢܝܬܐ etc. Ex verbo ܛܡܐ formatur adjectivum qualificativum sic : ܛܡܐܐ (cum zqafa ad primum alaf , non vero ad mim) (3) *(impurus)* fœm. ܛܡܐܬܐ (cum pthahha ad mim ad faciliorem reddendam pronunciationem apud Occidentales , ܛܡܐܬܐ ,

(1) Chaldaicum Rabbinorum ad usum Occidentalium magis accedit. Vide Buxtorf ad טמא

(2) Solent recentiores Occidentales in hoc verbo similibusque in fine addere secundum alaf redundans scribentes ܒܥܐܐ , ܐܒܥܐܐ etc. quod inutile est.

(3) Nihilominus prævalet modo usus infigendi zqafam litteræ mim loco alaf.

et cum zlama seu mhagjana apud Orientales ܐܶܡ݂ܰܪܬ݂), plur. masc. ܐܶܡܰܪ̈ܘ, pl. fœm. ܐܶܡܰܪ̈ܝ, quorum contracta sunt : ܐܡܰܪܬ, ܐܡܰܪܬܘܢ, ܐܡܰܪܬܝܢ, ܐܡܰܪܬܝ. Cave ne scribas, ܐܡܪܬ, ܐܡܪܬܘܢ etc. cum alaf ante mim.

309 — Conjugantur eodem modo formæ auctæ per præfixam ܐܬ initio, v. g. : Præt. ܐܶܬܐܡܰܪ, ܐܶܬܐܡܰܪܘ (waw silet), ܐܶܬܐܡܰܪ̈ܝ etc. - Aorist : ܢܶܬܐܡܰܪ, ܢܶܬܐܡܪܽܘܢ, ܬܶܬܐܡܰܪ etc. - Imper. ܐܶܬܐܡܰܪ uti præteritum i. e. sine mhagjana, ܐܶܬܐܡܰܪܝ, ܐܶܬܐܡܰܪܘ.

CAPUT III

DE VERBO PE-NUN

310—Verbum pe-nun est illud quod loco pe nempe primæ radicalis habet nun quæ excidit in aoristo, ex. gr. ܢܦܰܚ (*spiravit*) aorist. ܢܶܦܽܘܚ, ܢܦܰܠ (*cecidit*) aor. ܢܶܦܶܠ, ܢܩܰܦ (*sequutus est*) ܢܶܩܽܘܦ.

311 — Verba pe-nun hanc regulam sequuntur nimirum in medio vocis excidit nun quoties occurrit quiescens, et tunc fit ejus compensatio apud Orientales quidem per geminationem litteræ sequentis si ea sit mobilis, et apud Occidentales per productionem vocalis litteræ quæ eam præcedit, v. g. ܢܶܦܶܠ (*cadet*) pro ܢܶܢܦܶܠ in quo elisa fuit littera nun radicalis ex eo quod venerit quiescens, hinc apud Orientales geminatur ܦ sequens, et apud Occidentales producitur zlama nun aoristi. Item

ܡܰܦܽܠܬܳܐ *(locus in quo lapsus fit)* pro ܡܰܢܦܽܠܬܳܐ, in quo nun excidit ex eo quod venerit in medio vocis quiescens.

312 — Quinque formas habent verba pe-nun. Nimirum forma :

1 — Prima cum pthaḥa ad ʿain verbi in præterito et rvaḥa in aoristo. Exempla :

ܢܒܰܚ	latravit	ܢܶܒܽܘܚ
ܢܕܰܪ	vovit	ܢܶܕܽܘܪ
ܢܛܰܠ	grave fuit	
ܢܛܰܪ	custodivit	
ܢܟܰܠ	decepit	
ܢܟܰܣ	mactavit	
ܢܟܰܬ	momordit	
ܢܣܰܟ	fudit	
ܢܣܰܪ	secuit	
ܢܦܰܚ	flavit, spiravit	
ܢܦܰܩ	exiit	
ܢܨܰܒ	plantavit	
ܢܨܰܠ	infudit	
ܢܩܰܒ	perforavit	
ܢܩܰܠ	purgavit	
ܢܩܰܪ	cavavit	

ܢܩܫ pulsavit

ܢܫܛ excoriavit

ܢܫܩ osculatus est

ܢܓܕ attraxit

2 — Secunda forma habet ptʰahʰam ad ʿain tum in præterito tum in aoristo :

ܢܒܥ germinavit ܢܢܒܥ

ܢܒܥ scaturivit ܢܢܒܥ

ܢܓܗ illuxit mane ܢܢܓܗ

ܢܗܩ rugiit

ܢܗܪ agitavit

ܢܚܠ inclinatus est

ܢܛܦ guttavit

ܢܛܪ servavit

ܢܣܒ sumpsit

ܢܗܡ rugiit

ܢܦܫ animavit

ܢܫܒ flavit

ܢܫܡ spiritum attraxit

ܢܬܠ propendit in alteram partem

ܢܬܪ decidit , defluxit

3 – Tertia forma habet pthahham in præterito et zlamam in aoristo.

ܢܓܰܕ	traxit	ܢܶܓܶܕ
ܢܦܰܠ	cecidit	ܢܶܦܶܠ
ܢܦܰܣ	sortitus est	ܢܶܦܶܣ
ܢܦܰܨ	excussit	ܢܶܦܶܨ

4 – Quarta forma habet zlamam in præterito et rvahham in aoristo.

ܢܚܶܒ	macruit	ܢܶܚܽܘܒ
ܢܚܶܬ	descendit	ܢܶܚܽܘܬ

5 – Quinta denique forma habet zlamam in præter. et pthahham in aoristo.

ܢܩܶܦ	adhæsit	ܢܶܩܰܦ

313 – In formis auctis non eliditur nun nisi in ܐܰܦܥܶܠ et ejus passiva nempe ܐܶܬܬܰܦܥܰܠ; exempla primæ ܐܰܦܶܩ *(eduxit)* pro ܐܰܢܦܶܩ a verbo ܢܦܰܩ, ܐܰܦܶܚ *(flare fecit)* a ܢܦܰܚ, ܐܰܒܶܥ *(scaturire fecit)* pro ܐܰܢܒܶܥ a ܢܒܰܥ (Cf. n. 118). Exemplum secundæ ܐܶܬܬܰܦܰܩ pro ܐܶܬܬܰܢܦܰܩ *(eductus fuit)*. Cæteræ formæ sunt regulares uti in verbis sanis.

II – DE DERIVATIS VERBI PE-NUN EJUSQUE CONJUGATIONE

314 – Conjugatio istius classis verborum sive nudorum sive auctorum in præterito nullam præsefert

difficultatem, v. g. ܢܦܩ , ܢܦܩܘ , ܢܦܩܬ etc, ; ܐܦܩ , ܐܦܩܘ , ܐܦܩܬ etc. item ܐܕܠ , ܐܕܠܘ , ܐܕܠܬ etc. — In aoristo vero quiescit ejus 2ª radicalis quoties quiescere debet in aoristo verbi sani (n. 277), sed litteræ præformativæ aoristi fiunt mobiles semper in omnibus formis, v. g. ܢܦܠ , ܢܦܠܘܢ , ܬܦܠ , ܢܦܠܢ , ܬܦܠ , ܬܦܠܝܢ etc. usque ad ܐܦܠ , ܢܦܠ . Item ܢܦܘܩ , ܢܦܩܘܢ , ܬܦܘܩ , ܢܦܩܢ .... ܐܦܘܩ , ܢܦܘܩ . In aoristo formæ ܐܦܠ eliditur alaf, v. g. ܢܦܩ , ܢܦܩܘܢ , ܬܦܩ , ܢܦܩܢ ... ܐܦܩ , ܢܦܩ . Item ܢܬܬܦܩ , ܢܬܬܦܩܘܢ ... ܐܬܬܦܩ , ܢܬܬܦܩ .

315 — Imperativus sequitur aoristum, v. g. ܦܠ (*cade*) a ܢܦܠ , ܛܪ (*conserva*) a ܢܛܪ . In forma ܐܦܠ restituitur in imperativo alaf, v. g. ܐܦܩ (*educ*) a ܢܦܩ ; item in istius passiva ܐܬܬܦܠ v. g. ܐܬܬܦܩ a ܢܬܬܦܩ . Cæteræ personæ imperativi sine difficultate ab ista deducuntur. Ex. gr. ܦܠܘ vel ܦܠܘܢ (*cadite*), etc. ; ܐܦܩܘ vel ܐܦܩܘܢ (*extrahite*), etc. ; infinitivus easdem ac aoristus sequitur regulas v. g. ܡܟܣ (*mactatio*) a ܢܟܘܣ , ܡܣܒ (1) (*acceptio*) a ܢܣܒ , ܡܦܠ (*lapsus*) a ܢܦܠ , ܡܛܪ (*conservatio*) a ܢܛܪ , ܡܦܩܘ (*eductio*) a ܢܦܩ .

(1) Cave ab errore quorumdam qui addunt in orthographia alaf sic ܡܐܣܒ .

316 – Facile quoque efformabis utrumque participium activum et passivum ex his verbis, v. g. a trilitteris nudis participium activum est ܢܳܩܶܫ (*occidens*) a ܢܩܰܫ, partic. pass. est ܢܩܺܝܫ (*occisus*). A forma ܐܰܦܶܩ partic. act. est ܡܰܦܶܩ (*educens*), part. pass. ܡܰܦܰܩ (*eductus*), et sic flectes: ܡܰܦܩܳܐ, ܡܰܦܩܳܐ, ܡܰܦܩܺܝܢ, ܡܰܦܩܳܢ; partic. act. in statu constructo flectitur ita: ܡܰܦܩܰܬ, ܡܰܦܩܰܬ, ܡܰܦܩܰܝ, ܡܰܦܩܳܢ. Participium activum qualificativum ab eodem verbo ܐܰܦܶܩ est ܡܰܦܩܳܢܳܐ (*educens*); et infinitivus inde deductus ܡܰܦܩܳܢܽܘܬܳܐ (*eductio*).

317 – Diligenter præterea notandum est regulam de elisione nun in hujusmodi verbis valere etiam quoad omnia nomina sive infinita sive qualificativa derivata ab iisdem verbis v. g. ܡܰܩܒܳܐ (*foramen, terebellum*) pro ܡܶܢܩܒܳܐ; ܡܰܛܰܪܬܳܐ (*custodia, excubiæ*) pro ܡܶܢܛܰܪܬܳܐ; ܡܰܦܚܳܐ (*flatus*) pro ܡܶܢܦܚܳܐ; ܡܰܛܽܘܦܝܳܐ; (*instrumentum quo distillatur liquidum*) pro ܡܶܢܛܽܘܦܝܳܐ.

318 – Extant quædam verba pe-nun, quorum nun non eliditur in aoristo etc. sed per omnia uti sana conjugantur atque flectuntur; quorum præcipua sunt: ܢܒܰܥ (*emanavit*) ܢܶܢܒܰܥ, ܢܗܰܓ (*agitavit*) ܢܶܢܗܰܓ, ܢܗܰܡ (*fremuit*) ܢܶܢܗܰܡ, ܢܗܰܪ (*illuxit*) ܢܶܢܗܰܪ, ܢܙܰܪ (*abstinuit*) ܢܶܢܙܰܪ, ܢܓܰܗ (*affulsit*) ܢܶܢܓܰܗ, ܢܨܰܚ (*præclarus fuit*) ܢܶܢܨܰܚ,

ܐܬܕܒ (*manifestatus est*) ܐܬܬܕܒ. Item istorum auctæ formæ non admittunt elisionem nun, unde dicitur v. g. ܐܢܗܪ (*illuminavit*).



CAPUT IV

DE VERBO GEMINATO

I — DE NATURA VERBORUM HUJUS CLASSIS EORUNDEMQUE FORMIS

319 — Verbum trilitterum nudum geminatum (syr. ܥܦܝܦܐ) est illud quod habet in ʿain et lamadh radicalibus unam eandemque litteram. In præterito verbum trilitterum nudum hujusmodi classis constat duabus tantum litteris quarum prima semper habet pthahham, v. g. ܒܙ (*prædatus est*), ܥܠ (*ingressus est*) pro ܒܙܙ, ܥܠܠ. Verbum geminatum quadrilitterum est illud in quo prima radicalis repetitur loco tertiæ, et secunda loco quartæ, seu cujus prima et tertia, secunda et quarta sunt similes, v. g. ܒܣܒܣ (*laniavit*), ܙܠܙܠ (*commovit*).

320 — Itaque geminatum quadrilitterum conjugatur plane ut sanum. Geminatum vero trilitterum rejicit unam ex duobus similibus litteris, in omnibus temporibus et modis et derivatis in quibus verba dupli-

cata seu geminata Arabica contrahuntur, i. e. in præterito uti ܡܰܨ مَصّ (*suxit*), in aoristo, ut ܢܶܡܨܽܘܨ يَمَصّ (*sugit*), in imperativo, ut ܡܨܽܘܨ مَصّ (*suge*), in infinitivo, ut ܡܶܡܨܰܨ مَصّ (*suxio*), in partic. activo, ut ܡܳܨܶܨ ماصّ (*sugens*), in forma أفعل v. gr. ܐܰܡܶܨ أَمَصّ (*sugere fecit*) ejusque derivatis; in formis nominalibus فِعلة v. gratia: ܓܶܙܬܳܐ جِزّة (*vellus*), فَعلة v. gr. ܓܰܢܬܳܐ جَنّة (*hortus*), فِعل v. gr. ܥܽܘܙܳܐ عِزّ (*impetus, vis*), ܚܽܘܫܳܐ حِسّ (*passio*), ܛܶܒܳܐ طِبّ (*fama*).

Excipe formam افتعل, quæ apud Syros non admittit geminationem, quamvis eadem cum geminatione extat apud Arabes, v. gr. ܐܶܬ݂ܡܰܨܰܨ امتَصّ (*suctus est*). Pariter resolvitur contractio et duæ litteræ quæ erant una geminata distinctæ reapparent, in formis ܦܰܥܶܠ v. gr. ܡܰܨܶܨ et ܐܰܦܥܶܠ v. gr. ܐܰܡܨܶܨ, nec non in forma participii pass. ܦܥܺܝܠ فعيل v. gr. ܡܨܺܝܨ مَصِيص (*suctus*), et in formis ܦܥܽܘܠܳܐ et ܦܽܥܠܳܐ ex. gr. ܡܨܽܘܨܳܐ, ܡܽܨܨܳܐ, tandem in forma ܦܶܥܠܳܐ v. gr. ܥܶܢܢܳܐ عنان (*nubes*).

Geminatio autem secundæ litteræ radicalis verborum hujus classis, (quod apud Orientales tantum locum habet), iisdem locis iisdemque regulis habetur ac apud Arabes, excipe si geminatio Arabica est in ultima vocis littera, tunc enim geminatio recedit ad præcedentem

litteram, ut ܢܒܘܙ نَبَز ubi geminatio Arabica transit apud Syros a zain ad beth. Quod si littera præcedens quiescens est, tunc cessat geminatio, ut ܬܒܙܘܢ تبزون ubi geminatio Arabica litteræ zain cessat quia præcedens beth quiescens est.

321 — Post hæc statuimus in genere :

1 — Tum in verbis, tum in nominibus geminatis eliditur ʿain radicalis, quoties occurrit quiescens vel mobilis per vocalem clausam, nempe pthahham vel zlamam lenem, vel ʿsˢasˢam brevem, i. e. rwahham et tunc vocalis radicalis ʿain transit ad litteram præcedentem, si hæc est quiescens: exemplum primi casus ܓܢܬܐ (*hortus*) pro ܓܢܢܬܐ ; exemplum secundi ܓܢ, ܐܓܢ, ܢܓܢܘܢ pro ܓܢܢ, ܐܓܢܢ, ܢܓܢܢܘܢ.

2 — Quoties ʿain occurrit duplicata apud Orientales, et apud Occidentales post vocalem longam aut habet vocalem longam, h. e. zqafam, vel hhvasˢam vel ʿsˢasˢam longam seu ʿmaqam, tunc contractio non habet locum, sed apparent distinctæ ab invicem ʿain et lamadh radicales, v. g. ܓܢܢܐ (*hortulanus*), ܓܢܘܢܐ (1) (*convivium*), ܥܢܢܐ (*nubes*), ܡܢܩܝܐ (*purgatus*).

322 — Præteritum trilitterum nudum verbi geminati semper pthahham ad primam radicalem habet ; aoristus autem modo habet ad primam rwahham, modo pthahham, modo zlamam, ut vides in sequentibus exemplis quæ sunt præcipua verba geminata :

(1) Syri Orientales hoc nomen et cætera ei similia ex geminatis cum rwahha pronuntiant non cum ʿmaqua, sed hoc incorrectum est.

ܒܙ	prædatus est	ܢܒܘܙ
ܒܠ	damna intulit	ܢܒܘܠ
ܒܩ	detritus est	ܢܒܘܩ
ܒܪ	oblitus est, neglexit	ܢܒܘܪ
ܓܙ	totondit	ܢܓܘܙ
ܓܦ	verrit	ܢܓܘܦ
ܓܢ	innixus est	ܢܓܘܢ
ܓܪ	attraxit	ܢܓܘܪ
ܓܫ	palpavit, contrectavit	ܢܓܘܫ
ܕܒ	raptavit	ܢܕܘܒ
ܕܫ	cinis vel caries factus est (os)	ܢܕܘܫ
ܕܠ	imminutus est	ܢܕܘܠ
ܕܩ	attrivit	ܢܕܘܩ
ܗܒ	floruit	ܢܗܘܒ
ܗܠ	contempsit	ܢܗܘܠ
ܗܪ	litigavit	ܢܗܘܪ
ܚܒ	candefecit	ܢܚܒ
ܚܓ	strepuit	ܢܚܓ
ܚܠ	vilis factus est	ܢܚܠ
ܚܦ	resonavit	ܢܚܦ
ܚܡ	inflammatus est	ܢܚܡ

ܚܩ	alte fodit	ܢܚܩ
ܚܟ	fricuit	ܢܚܟ
ܚܠ	innixus est	ܢܚܘܠ
ܚܡ	calefactus est	ܢܚܘܡ
ܚܣ	misertus est	ܢܚܘܣ

Hujus vero aoristus et imperativus est apud Orientales cum ʿmaqa non cum rwahha, nun autem est quiescens, dicunt enim : ܢܩܘܡ , ܬܩܘܡ , ܩܘܡ etc.

ܚܦ	lavit	ܢܚܘܦ
ܚܢ	strinxit	ܢܚܘܢ
ܚܪ	raucus fuit	ܢܚܪ
ܚܫ	passus est	ܢܚܫ
ܚܬ	constitit	ܢܚܬ
ܛܒ	nuncium audivit	ܢܛܒ
ܛܫ	torsit	ܢܛܘܫ
ܛܠ	obumbravit	ܢܛܠ
ܛܡ	infodit	ܢܛܘܡ
ܛܢ	æmulatus est	ܢܛܢ
ܩܨ	amputavit	ܢܩܨ
ܩܦ	inclinavit	ܢܩܘܦ
ܩܫ	impedivit	ܢܩܘܫ
ܩܪ	nocuit	ܢܩܪ

ܠܩ	linxit	ܢܠܘܩ
ܡܓ	insipidus factus est	ܢܡܘܓ
ܡܟ	submissus est	ܢܡܟ
ܡܩ	emunxit	ܢܡܘܩ
ܡܨ	suxit	ܢܡܘܨ
ܡܪ	amarus fuit	ܢܡܪ
ܢܕ	aversatus est	ܢܢܕ
ܢܣ	emaciatus est	ܢܢܣ
ܐܫ	languit	ܢܐܫ
ܣܦ	conflagratus est	ܢܣܦ
ܥܕ	laceravit, scidit	ܢܥܕ
ܥܙ	fortis factus est	ܢܥܙ
ܥܠ	ingressus est	ܢܥܘܠ
ܥܩ	sollicitus fuit	ܢܥܘܩ
ܥܦ	duplicavit	ܢܥܘܦ
ܥܨ	defraudavit	ܢܥܨ
ܦܕ	erravit	ܢܦܕ
ܦܙ	prosiliit	ܢܦܙ
ܦܟ	fregit in minimas partes	ܢܦܘܟ
ܦܩ	contudit	ܢܦܘܩ
ܦܫ	abundavit	ܢܦܘܫ

ܚܡ	caluit (sol)	ܢܚܡ
ܚܠ	defæcavit	ܢܚܠ
ܚܒ	onustus fuit, arsit	ܢܚܒ
ܚܪ	ligavit, inclusit	ܢܚܘܪ
ܩܨ	abscidit	ܢܩܘܨ
ܩܠ	levis fuit	ܢܩܘܠ
ܩܒ	incubavit	ܢܩܒ
ܩܡ	pepigit	ܢܩܘܡ
ܩܪ	friguit ܢܩܘܪ, etiam	ܢܩܪ
ܩܫ	senuit	ܢܩܘܫ
ܩܛ	prospexit	ܢܩܘܛ
ܪܒ	auctus est	ܢܪܘܒ
ܪܓ	cupivit	ܢܪܓ
ܪܙ	communicavit consilia	ܢܪܘܙ
ܪܟ	lenivit	ܢܪܟ
ܪܣ	aspersit	ܢܪܘܣ
ܪܥ	fregit, contrivit	ܢܪܘܥ
ܪܒ	commotus est	ܢܪܒ
ܪܩ	spuit	ܢܪܘܩ
ܪܩ	tenuit	ܢܪܘܩ
ܪܛ	tremuit	ܢܪܛ

ܫܒ	demisit	ܢܫܘܒ
ܫܚ	lapsus est	ܢܫܘܚ
ܫܠ	expolitus factus est	ܢܫܘܠ
ܫܦ	reptavit	ܢܫܘܦ
ܫܢ	eventu comprobatus est	ܢܫܢ
ܐܛܪ	decepit	ܢܐܛܘܪ
ܐܛܢ	fumavit	ܢܐܛܢ

323 – Pergamus modo ad formas hujus classis verborum auctas. Itaque forma passiva formæ nudæ quæ habet initio incrementum ܐܬ non admittit contractionem ut diximus, v. gr. ܐܬܓܪܕ (*expoliatus est*) ܢܬܓܪܕ ; in forma ܐܦܥܠ fit contractio v. gr. ܐܫܚ (*pati fecit*) ܢܫܚ ; item in hujus passiva fit contractio, v. gratia ܐܬܬܫܚ, proinde sequentia verba quæ sunt ad typum ܐܦܥܠ, contractionem habent : ܐܚܒ (*dilexit*), ܐܣܟ (*recubuit*), ܐܛܠ (*obumbravit*), ܐܓܚ (*irrisit*), ܐܦܨ (*evasit*), ܐܟܣ (*redarguit*), ܐܩܪ (*vocavit*). Cave ne, uti solent quidam, scribas hujusmodi verba cum alaf in aoristo : ܢܐܚܒ, ܢܐܣܟ, ܢܐܛܠ, quæ recte scribenda sunt : ܢܚܒ, ܢܣܟ, ܢܛܠ. Contractio non fit in forma ܦܥܠ, v. gr. ܫܒܚ (*laudavit*) ܢܫܒܚ, neque in ejus passiva ܐܬܦܥܠ v. gr. ܐܬܫܒܚ.

II — DE CONJUGATIONE VERBI GEMINATI

324 — Conjugatur trilitterum nudum in præterito ad normam præteriti sani, i. e. infigendo primæ radicali seu pe radicis zlamam in 1ª pers. sing. et 3ª sing. fœm., et retinendo ad candem pe pthahham in reliquis personis. v. gr. ܒܙ (*expoliavit*), ܒܙܘ vel ܒܙܘܢ (*expoliarunt*), ܒܙܬ (*expoliavit* f.), ܒܙܝܢ vel ܒܙܝ (*expoliarunt* f.), ܒܙܬ (*expoliasti*), ܒܙܬܝ (*expoliasti* f.), ܒܙܬܘܢ (*expoliastis*), ܒܙܬܝܢ (*expoliastis* f.), ܒܙܬ (*expoliavi*), ܒܙܢ seu ܒܙܝܢ (*expoliavimus*). Facile quoque conjugabis præteritum ex formis auctis, v. gr. ܐܚܫ, ܐܚܫܘ vel ܐܚܫܘܢ (retenta zlama), ܐܚܫܬ etc. et sic: ܐܬܒܙܙ (*expoliatus est*), ܐܬܒܙܙܬ, ܐܬܒܙܙܘ vel ܐܬܒܙܙܘܢ, ܐܬܒܙܙܝ vel ܐܬܒܙܙܝܢ, etc. Et sic reliqua.

325 — Aoristus hujus classis verborum prorsus ut aoristus verborum pe-nun conjugatur. v. gr. ܢܒܘܙ (*expoliabit*), ܢܒܙܘܢ (*expoliabunt*), ܬܒܘܙ (*expoliabit* f.), ܢܒܙܢ (*expoliabunt* f.), ܬܒܘܙ (*expoliabis*), ܬܒܙܘܢ (*expoliabitis*) etc. usque ad ܐܒܘܙ (*expoliabo*), ܢܒܘܙ (*expoliabimus*). Item ܢܚܫ (*patietur*), ܢܚܫܘܢ, ܬܚܫ, ܢܚܫܢ etc. item ܢܚܫ (*cruciabit*), ܢܚܫܘܢ, ܬܚܫ, etc. Et sic: ܢܬܒܙܙ, ܢܬܒܙܙܘܢ, etc.

326 — Imperativus lege generali supra tradita derivatur ab aoristo. Sic ex ܢܒܘܙ dices ܒܘܙ (*expolia*), ܒܘܙܘ vel ܒܘܙܘܢ (*expoliate*), ܒܘܙܝ vel ܒܘܙܝܢ, etc. At Barhebræus dicit etiam ܒܘܙܘܢ cum h^h^vas^s^a pro ܒܘܙܝ, quod extraneum est, et videtur ex distractione dictum. Item a ܢܚܫ dices ܚܫ, ܚܫܘ vel ܚܫܘܢ etc. A ܢܚܫ dices ܐܚܫ, ܐܚܫܘ vel ܐܚܫܘܢ retenta vocali 1^æ^ litteræ radicalis. Item ܐܬܒܙܙ, ܐܬܒܙܙܘ vel ܐܬܒܙܙܘܢ, etc. Infinitivus verbalis a ܒܙ est ܡܒܙ (*expoliatio*) a ܐܚܫ est ܡܚܫܘ (*perpessio*) etc. Infinitivus nominalis a ܐܟܣ (*reprehendit*) est ܡܟܣܢܘܬܐ (*reprehensio*), a ܡܟܟ (*humiliavit*) ܡܘܟܟܐ (*humiliatio*).

327 — In participio activo ex verbis trilitteris nudis geminatis fit contractio (n. 320), unde a ܓܫ (*palpavit*) dicitur ܓܐܫ (*palpans*) et ita flectitur suppressa tamen alaph in orthographia, ܓܫ (*palpans*) ܓܫܝܢ (*palpantes ipsi*) ܓܫܐ (*palpans ipsa*) ܓܫܢ (1)

(1) Analogia exposcit ut geminetur littera quæ venit post zqafam in participio verbi geminati, scilicet ut duplicetur ex. gr. s^h^in in ܚܫܐ quemadmodum duplicatur sin in Arabico حاسّ. At Syri recentiores hanc duplicationem amiserunt, vel ipsi Orientales, dicunt igitur ex. gr. h^h^âs^s^a, h^h^âs^s^in, pro h^h^âs^s^s^s^a, h^h^âs^s^s^s^in, etc. Quod autem duplicatio sit necessaria, id evidenter arguitur ex eo quod quando hæc littera quæ duplicari debet est una ex ܒܓܕܟܦܬ, ea habet

(*palpantes ipsæ*). Item ܓܳܫܳܐ, ܓܳܫܶܝܢ, ܓܳܫܝܳܐ, ܓܳܫܝܳܢ. Excipe tamen participium activum verbi ܥܰܠ (*ingressus est*), quod retinet alaph in sua flexione v. gr. ܥܳܐܶܠ (*ingrediens*) ܥܳܐܠܺܝܢ (*ingredientes*) ܥܳܐܠܳܐ (*ingrediens ipsa*) ܥܳܐܠܳܢ (*ingredientes ipsæ*). Imo in omnibus participiis activis ex trilitteris nudis licet etiam retinere alaph in eorum flexionibus. Ex verbis auctis istius classis verborum formas participia activa sic, v. g. a verbo ܐܰܡܶܟ (*humiliavit*) ܡܰܡܶܟ (*humilians*) ܡܰܡܟܺܝܢ (*humiliantes*); a ܪܰܩܶܩ (*comminuit*) ܡܪܰܩܶܩ, ܡܪܰܩܩܳܐ ܡܪܰܩܩܺܝܢ etc.; a ܐܶܬ݂ܒܙܺܝ (*expoliatus est*), ܡܶܬ݂ܒܙܶܐ (*expoliatus*) ܡܶܬ݂ܒܙܶܝܢ (*expoliati*), ܡܶܬ݂ܒܙܝܳܐ (*expoliata*) etc. In flectendo participio activo absoluto cum pronominibus personalibus dices : ܒܳܙܶܐ (*expoliat*) etc. ܒܳܙܶܐ ܐܢܳܐ vel ܒܳܙܶܝܢܳܐ, ܒܳܙܝܳܐ ܐܢܬܝ vel ܒܳܙܝܳܬܝ, ܒܳܙܶܝܬܽܘܢ etc., ܒܳܙܝܳܢܢ etc., ܒܳܙܝܳܬܶܝܢ etc., ܒܳܙܝܳܢ etc. In flectendo eodem participio quando regit genitivum dices: ܒܳܙܶܐ, ܒܳܙܝܳܐ, ܒܳܙܶܝ, ܒܳܙܝܳܬ. Similiter in participiis formarum auctorum. Participium activum qualificativum v. gr. a ܒܙܐ est ܒܳܙܽܘܝܳܐ (*expolians*), a ܪܚܶܡ (*misertus est*) est ܪܰܚܡܳܢܳܐ (*misericors*), a ܐܰܡܶܟ (*humiliavit*) ܡܰܡܟܟܳܢܳܐ (*humilians*). A ܐܶܬ݂ܒܙܺܝ dices ܡܶܬ݂ܒܰܙܝܳܢܳܐ (*expoliandus*).

---

quššaʿaj, unde dicitur ܡܟܳܟܐ non vero ܡܟܳܟܳܐ, quod exigit ut caf sit duplicatum. Denique ita res se habet in dialecto Chaldaica.

Participum passivum a trilitteris v. gr. a ܒܙ est ܒܙܝܙ *(expoliatus)*, a verbis auctis v. gr. a ܐܟܣ *(reprehendit)* ܡܟܣ *(reprehensus)*, a ܪܟܟ *(lenivit)* ܡܪܟܟ *(lenitus)*. In reliquis nulla difficultas.

328 – Anomala hujus classis verborum sunt : 1° Verbum ܚܣ *(misertus est)*, in aoristo enim conjugatur uti verba concava seu infirma in ʿain, unde dicitur, ܢܚܘܣ, ܬܚܘܣ, ܢܚܘܣܘܢ, ܬܚܘܣܘܢ etc. cum litteris præformativis aoristi quiescentibus usque ad ܐܚܘܣ, ܢܚܘܣ. In imperativo hujus verbi dicitur ܚܘܣ, ܚܘܣܝ etc. cum ʿmaqa uti in verbis concavis. - 2° Verbum ܩܦ *(coagulatus est)*, in forma enim ܐܦܥܠ fit ܐܩܝܦ pro ܐܩܦ.

CAPUT V

DE VERBO PE-INFIRMO

I – DE NATURA HUJUSMODI VERBI EJUSQUE FORMIS

329 – Litteræ infirmæ apud Syros sunt tres, uti apud Arabes, nempe ܐ, ܝ, ܘ, quæ sequuntur fere easdem leges in Syriaca lingua ac in Arabica. Proinde penes Syros nunquam in formis auctis littera infirma manet ʿwaw (ܘ) nisi in verbis pe-infirmis, uti in lingua Arabica ac in Hebraica.

Littera infirma radicalis, vel extat initio radicis trilitteræ nudæ, ut ܝܪܬ (*hæres fuit*), vel in medio ut ܩܡ (*surrexit*), vel tandem in fine ut ܒܥܐ (*petiit*). Prima dicitur pe-infirma, secunda ain-infirma seu concava, tertia defectiva in lamadh seu lamadh-infirma. Verba itaque pe-infirma apud Syros sunt ea quæ habent loco pe radicis litteram jodh (ܝ), quia rarissima sunt apud Syros vocabula quæ incipiunt a littera waw, v. gr. ܘܪܕܐ (*rosa*), ܘܪܩܐ (*folium*), ܘܥܕܐ (*conventus*). Excipe tamen duo verba quæ sunt pe-waw infirma, quorum unum obsolevit in forma nuda et adhibetur in forma aucta tantum, et est ܘܥܕ (*convocavit*); secundum non occurrit nisi in participio activo, quod est ܘܠܐ (*oportet*).

330 — Verba itaque istius classis sunt omnia pe-jodh, pro quibus valent sequentes regulæ:

1 — Quoties jodh juxta normam sanorum deberet quiescere, assumit hic hhvassam (1) (n. 103) v. g. ܝܠܕ (*genuit*), ܝܩܪ (*gravis fuit*), ܝܠܝܕܐ (*genitus*), pro ܝܠܕ, ܝܩܪ, ܝܠܝܕܐ cum jodh quiescenti.

2 — Quoties jodh venit quiescens post zlamam, mutatur in alaf, et zlama lenis præcedens transit apud Orientales in duram, et apud Occidentales in hhvassam brevem (n. 36), v. g. ab ܝܠܕ (*genuit*) fit aoristus ܢܐܠܕ, ab ܝܪܬ (*hæres fuit*) fit ܢܐܪܬ, ab ܝܩܪ (*gravis fuit*) dicitur ܢܐܩܪ. Anomala sunt verba ܝܕܥ (*cognovit*), ܝܬܒ (*sedit*),

(1) Alibi notavimus istam hhvassam litteræ jodh fuisse initio zlamam (n. 103) revera ita se res habet in dialecto Chaldaica.

primum enim fit in aor. ܢܕܥ (*cognoscit*), secundum similiter ܢܬܒ, cum elisione jodh in utroque, et insuper apud Orientales cum ingeminatione litteræ quæ invenitur post præformativas aoristi, et apud Occidentales cum productione vocalis litteræ præformativæ aoristi.

3 – Quod si jodh occurrat quiescens post litteram incrementi, convertitur in waw; v. gr. ܐܘܕܥ (*informavit*), ܡܘܬܒܐ (*sessio*), ܗܘܕܥ (*informavit*).

331 – In verbis pe-jodh ‛ain seu 2a rad. habet in præterito zlamam, ut ܝܒܫ exceptis verbis in quibus tertia radicalis est littera gutturalis vel resh, tunc enim zlamæ substituitur pthahha, v. g. ܝܕܥ (*cognovit*), ܝܬܪ (*superfuit*). In aoristo autem 2a radic. habet semper pthahham, excepto dumtaxat verbo ܝܬܒ (*sedit*), cujus aoristus est cum zlama ܢܬܒ.

Hic perhibemus notiora verba pe-jodh :

ܝܐܒ	(*cupivit, desideravit*)	ܢܐܒ (1)
ܝܒܫ	(*aruit*)	ܢܐܒܫ
ܝܕܥ	(*novit*)	ܢܕܥ
ܝܙܦ	(*mutuum accepit*)	ܢܐܙܦ
ܝܟܡ	(*niger factus est*)	ܢܐܟܡ
ܝܠܕ	(*genuit*)	ܢܐܠܕ

(1) Pro ܢܐܒ

ܝܠܦ	*(didicit)*	ܢܐܠܦ
ܝܢܩ	*(suxit lac)*	ܢܐܢܩ
ܝܨܦ	*(curam habuit)*	ܢܐܨܦ
ܝܩܕ	*(arsit)*	ܢܐܩܕ
ܝܩܪ	*(gravis fuit)*	ܢܐܩܪ
ܝܪܒ	*(magnus fuit)*	ܢܐܪܒ
ܝܪܟ	*(longus fuit)*	ܢܐܪܟ
ܝܪܩ	*(viridis factus est)*	ܢܐܪܩ (1)
ܝܪܬ	*(hæres fuit)*	ܢܐܪܬ
ܝܬܒ	*(sedit)*	ܢܬܒ
ܝܬܪ	*(superfuit)*	ܢܐܬܪ

332 – Hæc omnia sunt trilittera nuda ; quod spectat ad trilittera aucta inde deducta , sciendum est formam passivam auctam incipientem per ܐܬ quæ respondet trilitteræ nudæ habere hʰvasˢam ad jodʰ (n. 103), v. gr. ܐܬܝܗܒ (*datus fuit*) , ܐܬܝܠܕ (*genitus est*) , ܐܬܝܕܥ (*agnitus fuit*) ; formam ܦܥܠ ejusque passivam ܐܬܦܥܠ esse prorsus regulares uti in verbis sanis , v. gr. ܝܣܡ (*plasmavit*) , ܐܬܝܠܡ (*edax fuit*) : excipe verbum ܝܠܦ (*didicit*) , quod in ܦܥܠ fit ܐܠܦ (*docuit*) cum alaf pro

(1) Derivatum a ورق (*folium*) siquidem nil existit in natura viridius foliis arborum.

ܐܰܠܶܦ cum jod[h], attamen excidit hoc alaf in aoristo aliisque derivatis, v. gr. ܢܰܠܶܦ *(docebit)*, ܡܰܠܶܦ *(docens)*, ܡܰܠܦܳܢܳܐ *(doctor)*, quasi esset duplicatum ut ܐܰܟܶܡ, et insuper forma passiva quæ respondet eidem ܐܰܠܶܦ est plane regularis i. e. cum jod[h] ܐܶܬ݂ܝܰܠܰܦ. In formis ܐܰܦܥܶܠ, ܫܰܦܥܶܠ earumque passivis mutatur jod[h] in waw v. gr. ܐܰܘܠܶܕ (1) *(genuit)*, ܐܶܬ݂ܺܝܠܶܕ *(genitus fuit)* ab ܝܠܶܕ; ܫܰܘܕܰܥ *(informavit)*, ܐܶܫܬ݁ܰܘܕܰܥ *(certior factus est)* ab ܝܺܕܰܥ. Anomala sunt ܐܰܝܠܶܠ *(ululavit)*, ܐܰܝܢܶܩ *(lactavit)*, in quibus jod[h] non transit in waw, potest tamen dici etiam ܐܰܘܢܶܩ. Occurrunt pleraque verba pe-jod[h] adhibita in formis auctis ܐܰܦܥܶܠ, ܫܰܦܥܶܠ, ܐܶܫܬ݁ܰܦܥܰܠ, inusitata radice nuda, v. gr. ܐܰܘܣܶܛ *(rejecit)*, ܐܰܘܕܺܝ *(confessus est)*, ܐܶܫܬ݁ܰܘܕܺܝ *(promisit)*, ܫܰܘܙܶܒ *(liberavit)*, ܫܰܘܚܶܕ *(solitarium reddidit)*, ܐܰܘܪܰܚ *(relaxatus est)*, ܐܰܝܠܶܠ *(ululavit)*, ܐܰܘܣܶܦ *(auxit)*, ܐܰܘܦܺܝ *(defecit)*, ܐܰܘܫܶܛ *(extendit)*, ܫܰܘܫܶܛ *(porrexit)*. (2)

(1) Ante waw adest penes Orientales zqafa loco pt[h]ah[h]æ (n. 20).

(2) Cave ne ad hanc classem verborum referas verbum ܫܰܘܬ݁ܶܦ associare, in hoc enim verbo waw est servilis littera non s[h]in; est enim ex ܫܬܦ, ex quo ܫܰܬ݁ܶܦ ad formam فعّل vel ܫܰܘܬ݁ܶܦ ad formam فَوْعَل, quæ omnia excepto ܫܰܘܬ݁ܶܦ ex ling. Syr. litterali exciderunt, restant tamen in Chaldaica dialecto quam conservant Hebræi.

II — DE CONJUGATIONE VERBI PE-INFIRMI

333 — Conjugatur præteritum trilitterorum verborum hujus classis juxta regulam generalem expositam n. 269, i. e. affigendo litteræ jodh zlamam in personis primæ sing. et tertiæ fœm. sing., et retinendo hhvassam immutabilem in cœteris personis, v. gr. ܡܨ (*mammam suxit*) ܡܨܘ vel ܡܨܘܢ, ܡܨܬ.... ܡܨܬ etc. Item ܝܕܥ (*novit*)... ܝܕܥܬ, ܝܕܥܬ vel ܝܕܥܬܘܢ, ܝܕܥܬ.... ܝܕܥܬ etc. Et in ܐܬܝܠܕ, in qua jodh loco hhvassæ assumit pthahham, quoties sequitur littera quiescens (v. n. 269), v. gr. ܐܬܝܠܕ (*genitus fuit*), ܐܬܝܠܕܘ etc., ܐܬܝܠܕܬ (*genita fuit*).... ܐܬܝܠܕܬ.... ܐܬܝܠܕܬ etc.

334 — In conjugando aoristo quiescere debet ʿain radicis quoties lamadh radicis movetur, v. gr. ܢܐܡܨ (1) (*mammam suget*) ܢܐܡܨܘܢ, ܐܐܡܨ, ܢܐܡܨܢ etc. usque ad ܐܡܨ cum unico alaf, ܢܐܡܨ. Item ܢܐܬܒ (*sedebit*) ܢܐܬܒܘܢ, ܐܐܬܒ, ܬܐܬܒܝܢ.... ܐܬܒ, ܢܐܬܒ. Item ܢܕܥ (*cognoscet*), ܢܕܥܘܢ etc. Item ܢܐܬܝܠܕ (*nascetur*) ܢܐܬܝܠܕܘܢ etc. In reliquis nulla difficultas.

335 — Formatur imperativus in his verbis uti in verbis regularibus, nempe ab aoristo, v. gr. ܬܒ (*sede*) a ܢܐܬܒ, ܕܥ (*nosce*) a ܢܕܥ. Porro in imperativo

(1) Orientales loco hhvassæ ponunt zlamam duram ad litteram præformativam aoristi, quando post se habet alaf.

restituitur jod[h] quod in aoristo immutatum est in alaf, v. gr. ܝܰܢܶܩ *(suge mammam)* a ܢܺܐܢܰܩ , ܝܺܪܰܬ *(hæres esto)* a ܢܺܐܪܰܬ . Conjugatur sic : ܐܺܐܢܰܩ , ܐܺܐܢܩܽܘ vel ܐܺܐܢܩܽܘܢ ; ܝܰܢܶܩ , ܝܰܢܶܩܘ vel ܝܰܢܶܩܽܘܢ , etc. Infinitivus verbalis sequitur aoristum in sua formatione , præfixo characteristico ܡ loco præformativæ aoristi, v. gr. ܡܶܕܰܥ *(cognoscere)* , ܡܶܬܰܒ *(sedere)* ab aoristis ܢܶܕܰܥ , ܢܶܬܶܒ , et ܡܺܐܠܰܕ *(generare)* ܡܺܐܪܰܬ ab ܢܺܐܠܰܕ , ܢܺܐܪܰܬ . Item ܡܶܬܺܝܠܳܕܽܘ *(nasci)* ab ܢܶܬܺܝܠܶܕ . Infinitivus nominalis formatur v. gr. ab ܐܰܘܕܰܥ *(notum fecit)* ܡܰܘܕܥܳܢܽܘܬܳܐ ; a ܫܰܘܕܰܥ *(significavit)* ܫܽܘܘܕܳܥܳܐ ; a ܫܰܘܫܶܛ *(extendit)* ܫܽܘܘܫܳܛܳܐ ; a ܫܰܘܙܶܒ *(liberavit)* ܫܽܘܘܙܳܒܳܐ cum duabus waw (1) in omnibus quæ omnia præter

(1) Hujusmodi infinitivus formæ auctæ initio per ܫ scribitur cum duobus waw , ut diximus , quando derivatur a radice pe infirma : proinde v. gr ܫܽܘܟܳܢܳܐ *(concessio)* a ܫܰܟܶܢ scribitur cum uno waw , ex eo quod ejus radix non est infirma in pe. Animadverte quoque infinitivum quem Arabes a trilitteris nudis verbi infirmi in pe formant ad typum عِدَة *(promissio)* cum elisione pe infirmæ , non adhiberi a Syris , sed extare apud Hebræos. Attamen ipsa lingua Syriaca non caret omnino hujusmodi forma infinitivi : sic v. gratia ܨܶܦܬܳܐ *(sollicitudo)*, ab ܝܨܶܦ , ܕܶܥܬܳܐ procul dubio pro ܕܶܥܕܬܳܐ a ܝܺܕܰܥ ubi euphoniæ causa dalat[h] ante taw suppressa fuit in pronunciatione quod tamen conservatum fuit in orthographia , et insuper Occidentales mutarunt ܶ in ܰ . Item ad hanc formam pertinet infinitivus ܫܶܢܬܳܐ سِنَة *(somnus)* cujus radix est ܝܫܶܢ quemadmodum ܝܕܰܥ est radix nominis ܕܶܥܬܳܐ . Horum nominum radices perditæ sunt apud Syros et servatæ manent apud Arabes , quæ sunt وَسَن , وَعَد . Huc etiam referendum ܚܶܡܬܳܐ *ira* quod est a ܝܚܰܡ vel ܚܡܰܡ , inusitato

primum sunt a forma ܡܩܰܛܳܠܘ. Per exceptionem, ab ܐܶܫܬܰܘܕܺܝ (*promisit*) fit infinitivus nominalis juxta hanc formam ܫܽܘܕܳܝܳܐ (*promissio*), quasi esset a ܫܰܘܕܺܝ quod inusitatum est.

336 — Participium activum formatur regulariter; v. gr. ܡܳܐܶܨ (*mammam sugens*) a ܡܰܨ. Participii passivi exempla ex nudis: ܡܠܺܝܚ, ܡܺܝܬܳܐ, ܡܗܰܡܶܢ; ex auctis, ܡܶܬܡܰܠܟ̣, plur. ܡܶܬܡܰܠܟ̣ܺܝܢ etc. ab ܐܶܬܡܰܠܟ̣. In reliquis nulla difficultas.

CAPUT VI

DE VERBO CONCAVO

I — DE DEFINITIONE VERBI CONCAVI ET DE EJUS FORMIS

337 — Verbum concavum est illud cujus media radicalis est littera infirma, scilicet quod in præterito trilittero ut apud Arabes et Hebræos habet loco mediæ

in Syr. litt. sed adhuc existente in dialecto Chaldaica. Hoc explicat cur ܡܫܬܐ femininum est, cum primo aspectu videatur derivatum a ܫܬܐ cum taw radicali cum reapse non sit, sed Syri posteriores a ܡܫܬܐ derivarunt verbum ܡܫܰܬ et cetera.

radicalis litteram alaf non scriptam sed expressam per zqafam (n. 92) v. gr. ܩܳܡ *(surrexit)*, ܒܳܬ *(pernoctavit)*, ܚܳܪ *(aspexit)*. Vides igitur verbum concavum trilitterum nudum distingui a geminato in præterito per zqafam , cum geminatum habeat pt^{h}ah^{h}am v. gr. ܒܰܙ , ܥܰܠ .

338 – Fere omnes regulæ quibus subjacet verbum concavum in Arabica lingua applicantur quoque huic classi verborum apud Syros, quibus tamen omissis, sufficiat singillatim proponere regulas pro formatione modorum, derivatorum nec non pro conjugatione hujusmodi verborum.

Statuimus igitur :

Præteritum nudum semper habet loco mediæ litteram alaf subintellectam nempe expressam per zqafam præcedentem , excepto unico verbo ܡܺܝܬ *(mortuus est)*.

Aoristus semper loco ʿain habet waw i. e. ʿs^{s}as^{s}am longam quæ est ʿmaqa Orientalium , v. gr. ܢܩܽܘܡ *(surget)* , ܢܡܽܘܬ *(morietur)* , excepto solo verbo ܣܳܡ *(posuit)* cujus aoristus est ܢܣܺܝܡ cum jod^{h}.

Præterea quemadmodum præteritum concavum, uti supra diximus, a præterito geminato differt in hoc quod concavum habeat zqafam , et geminatum pt^{h}ah^{h}am ad primam radicalem , ita etiam aoristus concavus differt tum ab aoristo geminato , tum ab aoristo verbi pe-nun ; nam in aoristis geminato et pe-nun litteræ præformativæ aoristi sunt mobiles (n. 314, 325) , quia sequens littera geminata est, at in aoristo concavo sunt quiescentes(184) excepta præformativa alaf quæ est mobilis. Insuper in aoristis geminato et pe-nun, waw penultima habet rwah^{h}am seu ʿs^{s}as^{s}am brevem , ast in aoristo concavo habet

maqam seu ʿsˢasˢam longam.

339 – Hisce notatis, exhibeamus hic præcipua verba concava.

ܒܳܕ	periit	ܠܡܒܘܕ
ܒܳܪ	desolatus fuit (ager)	ܠܡܒܘܪ
ܒܳܬ	pernoctavit	ܠܡܒܘܬ
ܓܳܕ	arsit	ܠܡܓܘܕ
ܓܳܙ	evanuit	ܠܡܓܘܙ
ܓܳܚ	erupit	
ܓܳܠ	effusus est	
ܓܳܒ	venatus est	
ܓܳܪ	adulterium commisit	
ܕܳܒ	liquefactus est	
ܕܳܛ	advenit	
ܕܳܢ	judicavit	
ܕܳܨ	lætatus est	
ܕܳܩ	prospexit	
ܕܳܪ	circumivit	
ܕܳܫ	conculcavit	
ܙܳܓ	ignorans fuit	
ܙܳܥ	se movit	
ܙܳܢ	sustentavit, aluit	

ܙܳܥ contremuit

ܚܳܒ victus est, succubuit

ܚܳܓ circumivit

ܚܳܛ suit

ܚܳܣ pepercit

ܚܳܩ strepuit (janua)

ܚܳܪ intuitus est

ܛܳܣ volavit

ܛܳܦ supernatavit

ܛܳܫ perunxit

ܟܳܡ abscondit, occultavit

ܟܳܢ factum est

ܟܳܫ coacervavit

ܠܳܛ maledixit

ܠܳܥ linxit

ܠܳܒ contraxit

ܠܳܫ subegit farinam

ܡܳܛ vacillavit

ܡܳܥ emunxit

ܡܳܪ emit

ܡܳܫ palpavit

ܡܺܝܬ mortuus est

ܙܳܥ concussus est

ܢܳܚ quievit

ܢܳܡ dormitavit

ܙܳܦ declinavit

ܣܳܓ sepivit

ܣܳܟ ustus est

ܣܳܡ posuit

ܣܳܦ desiit, cessavit

ܣܳܩ olfecit

ܥܳܦ defecit viribus

ܥܳܩ angustiatus est

ܪܳܓ extinxit sitim

ܪܳܚ flavit

ܪܳܡ mansit

ܨܳܦ petiit locum

ܨܳܕ venatus est, piscatus est

ܨܳܡ jejunavit

ܨܳܪ pinxit

ܨܳܬ auscultavit

ܩܳܡ surrexit, stetit

ܩܳܥ vociferatus est
ܫܳܓ݂ arsit
ܢܳܫ flavit (ventus)
ܫܳܛ contempsit
ܫܠܳܐ oblinivit
ܫܳܥ linivit
ܬ݁ܳܒ݂ rediit, illum pœnituit
ܢܳܚ quievit, cessavit
ܬ݁ܳܪ minxit

340 – Pergamus modo ad formas auctas: forma itaque ܐܶܬ݂ܦܥܶܠ habet loco ʿain infirmi litteram jodh, et assumit initio post alaf duplex taw, v. gr. a ܣܳܡ (*posuit*) dices ܐܶܬ݁ܬ݁ܣܺܝܡ (*positus est*) ܢܶܬ݁ܬ݁ܣܺܝܡ, a ܠܳܛ (*maledixit*) dices ܐܶܬ݁ܬ݁ܠܺܝܛ (*maledictus est*) ܢܶܬ݁ܬ݁ܠܺܝܛ. Forma ܦܰܥܶܠ quoque habet loco mediæ infirmæ litteram jodh, v. gr. ܩܰܝܶܡ (*instituit*) a ܩܳܡ; ܒܰܝܶܚ (*derisit, subsannavit*) a ܒܳܚ inusitato. Item forma ܐܶܬ݂ܦܰܥܰܠ v. gr. ܐܶܬ݂ܩܰܝܰܡ, ܐܶܬ݂ܒܰܝܰܚ. Forma ܐܰܦܥܶܠ loco mediæ infirmæ habet jodh quiescens et hhvassam ante jodh, v. gr. ܐܰܩܺܝܡ (*erexit*) a ܩܳܡ, ܐܰܡܺܝܬ݂ (*mortificavit, occidit*) a ܡܺܝܬ݂, ܐܰܥܺܝܪ (*excitavit*) a ܥܳܪ, ܐܰܪܺܝܡ (*elevavit*) a ܪܳܡ inusitato (1)

(1) Exstat tamen in dialecto Chaldaica, in ipsa prophetia Danielis.

ܐܰܬܺܝܪ (*excitavit a somno*) a ܬܳܪ inus. Item ܐܰܦܺܝܣ (*persuasit*), ܐܰܟܺܝܠ (*mensus est*), ܐܰܨܺܝܪ (*formavit*), ܐܰܓܺܝܒ (*respondit*), ܐܰܣܺܝܓ (*lavit*). In aoristo hujus formæ ܐܰܦܥܶܠ litteræ præformativæ omnes quiescunt, excepta alaf primæ personæ sing. v. gr. ܢܩܺܝܡ (*eriget*) ܢܪܺܝܡ, (*elevabit*), ܐܪܺܝܡ (*elevabo*), ܐܩܺܝܡ (*erigam*). Forma ܐܶܬܬܰܦܥܰܠ quæ est passiva formæ ܐܰܦܥܶܠ confunditur cum ܐܶܬܦܥܶܠ quæ est passiva formæ nudæ, dicitur enim ܐܶܬܬܪܺܝܡ (*elevatus fuit*), ܐܶܬܬܥܺܝܪ (*somno excitatus est*), ܐܶܬܬܣܺܝܓ (*lotus fuit*) a verbis ܐܰܪܺܝܡ, ܐܰܬܺܝܪ, ܐܰܣܺܝܓ pro ܐܶܬܬܰܪܺܝܡ, ܐܶܬܬܰܬܺܝܪ, ܐܶܬܬܰܣܺܝܓ. Item ab ܐܰܦܺܝܣ fit ܐܶܬܬܦܺܝܣ (*persuasus fuit*). Distingue sedulo ܐܶܬܬܦܺܝܣ (*persuasus fuit*) cum duobus taw ab ܐܶܬܛܦܺܝܣ cum t'eth quod significat obtemperavit.

II — DE CONJUGATIONE VERBI CONCAVI

341 – Verbum concavum sive trilitterum sive auctum nullam subit modificationem neque in suis litteris neve in vocalibus in conjugatione præteriti. Hinc conjugas :

ܩܳܡ (*surrexit*), ܩܳܡܘ vel ܩܳܡܘܢ (*surrexerunt*)

ܩܳܡܰܬ (*surrexit* f.), ܩܳܡܝܢ vel ܩܳܡܝܢ (*surrexerunt* f.)

ܩܳܡܬ (*surrexisti*), ܩܳܡܬܝ (*surrexisti* f.)

ܩܳܡܬܘܢ (*surrexistis*) ܩܳܡܬܝܢ (*surrexistis* f.)

ܩܡܬ (*surrexi*), ܩܡܢ vel ܩܡܢܢ (*surreximus*).

Item, ܣܡܬ, ܣܡܬܘ etc. ܣܡܬܝ, ܣܡܬܘܢ, ܣܡܬܝ, ܣܡܬܘܢ, ܣܡܬܝܢ, ܣܡܬܝܢ, ܣܡܬܝ, ܣܡܢ vel ܣܡܢܢ.

Item, ܐܬܬܩܝܡ, ܐܬܬܩܝܡܘ etc., ܐܬܬܩܝܡܬ etc.

342 – Conjugatio aoristi non subit modificationem nisi quod alaf præformativa aoristi primæ pers. sing. assumit zlamam fortem si verbum sit trilitterum nudum, et pt^{h}ah^{h}am in aoristo verbi formæ ܐܦܥܠ. Exempla: ܢܩܘܡ (*surget*), ܢܩܘܡܘܢ (*surgent*), ܬܩܘܡ (*surget* f.) ܢܩܘܡܢ (*surgent* f.), ܬܩܘܡ (*surges*), ܬܩܘܡܝܢ (*surges* f.), ܬܩܘܡܘܢ (*surgetis*), ܬܩܘܡܢ (*surgetis* fœm.), ܐܩܘܡ (1) (*surgam*); ܢܩܘܡ (2) (*surgemus*). Item ܢܣܝܡ (*ponet*), ܢܣܝܡܘܢ (*ponent*) etc. usque ad ܐܣܝܡ (*ponam*), ܢܣܝܡ (*ponemus*). Sic quoque ܢܩܝܡ (*eriget*), ܢܩܝܡܘܢ, usque ad ܐܩܝܡ (cum pt^{h}ah^{h}a), ܢܩܝܡ. In conjugatione aoristi ܐܬܬܥܝܪ dices ܢܬܬܥܝܪ (*excitabitur a somno*), ܢܬܬܥܝܪܘܢ, ܬܬܥܝܪ (cum elisione unius taw) ܬܬܥܝܪܝܢ, ܬܬܥܝܪܘܢ ... ܐܬܥܝܪ etc.

(1) Cum zlama dura et sine geminatione.

(2) Præformativæ aoristi, præter alaf, etiam possunt interdum zlamam suscipere in aoristis nudorum, et pt^{h}ah^{h}am in aoristis auctorum v. gr. ܢܩܘܡ, et ܢܣܝܡ, præsertim apud Occidentales et apud Orientales in versibus.

343 — Imperativus derivatur ab aoristo prorsus uti in verbis sanis : unde dices ܩܘܡ (*surge*) a ܢܩܘܡ, ܣܝܡ (*pone*) a ܢܣܝܡ, ܐܩܝܡ (*erige*) a ܢܩܝܡ, ܐܬܬܥܝܪ (*excitare a somno*) a ܢܬܬܥܝܪ. Sic autem conjugatur : ܩܘܡ, ܩܘܡܝ, ܩܘܡܘ vel ܩܘܡܘܢ, ܩܘܡܝ vel ܩܘܡܝܢ. Sic etiam ܐܬܬܥܝܪ, ܐܬܬܥܝܪܝ, ܐܬܬܥܝܪܘ vel ܐܬܬܥܝܪܘܢ, etc. Barhebræus meminit etiam dici ܩܘܡܝܢ f. sing. pro ܩܘܡܝ, quod extraneum est, forte ex distractione dictum.

Infinitivus a trilitteris nudis habet semper zqafam ad primam radicalem, ex. gr. ܡܩܡ (*surgere*), ܡܣܡ (*ponere*) a ܣܘܡ et ܣܝܡ, item ܡܡܬ (*mori*) a ܡܝܬ. Infinitus verborum auctorum sequitur regulam participii passivi de qua infra, ex. gr. ܡܩܡܘ (*erigere*), ܡܬܬܥܝܪܘ (*excitari a somno*), a verbis ܐܩܝܡ et ܐܬܬܥܝܪ. Hic secundus i. e. ܡܬܬܥܝܪܘ desumptus est a participio passivo supposito ܡܬܬܥܝܪ quod non usitatur quia verbum est intransitivum.

344 — In participio activo verbi nudi concavi, ʿain infirmum transit in alaf, quod tamen in ejus flexione fit jodh v. gr. a ܩܘܡ dices ܩܐܡ (1) (*surgens*),

(1) Orientales pronunciant קָאֵם (*qâém*), Occidentales vero ܩܝܡ (*qôjém*) ; videtur horum pronunciatio esse recta, quod patet ex flexione, in qua dicitur : ܩܝܡܐ, ܩܝܡܝܢ, etc. (*qâjma, qâjmin*), non ܩܐܡܐ, ܩܐܡܝܢ (*qâma, qâmin*).

ܩܳܝܡܺܝܢ (*surgentes*), ܩܳܝܡܳܐ (*surgens* f.), ܩܳܝܡܳܢ (*surgentes* f.); item a ܡܺܝܬ dices ܡܳܐܶܬ, ܡܳܝܬܺܝܢ, ܡܳܝܬܳܐ, ܡܳܝܬܳܢ. Et a verbo cujus tertia radicalis est gutturalis dicitur : ܢܳܐܶܚ, ܢܳܝܚܳܐ, ܢܳܝܚܺܝܢ, ܢܳܝܚܳܢ. Participium vero formæ ܐܰܦܥܶܠ fit per solam substisutionem characteristicæ ܡ loco præformativæ aoristi, v. gr. ܡܩܺܝܡ (*erigens*), ܡܪܺܝܡ (*elevans*), ܡܶܬܬܪܺܝܡ (*elevatus*), a verbis ܐܩܺܝܡ, ܐܪܺܝܡ, ܐܶܬܬܪܺܝܡ. Sic etiam dicitur ܡܶܬܬܪܺܝܨ ab ܐܶܬܬܪܺܝܨ, quod forma quidem est participium activum, sensu autem est participium passivum. Sic autem flectitur ܩܳܐܶܡ : ܩܳܐܶܡ ܐܢܬ vel ܩܳܝܡܰܬ cum jod[h] (*surgis*), ܩܳܝܡܳܐ ܐܢܬܝ vel ܩܳܝܡܰܬܝ, (*surgis* f.), ܩܳܝܡܺܝܢܬܽܘܢ etc. (*surgitis*), ܩܳܝܡܳܢܬܶܝܢ etc. (*surgitis* f.); ܩܳܐܶܡܢܳܐ (*surgo*), ܩܳܝܡܳܢܳܐ (*surgo* f.) ܩܳܝܡܺܝܢܰܢ (*surgimus*), ܩܳܝܡܳܢܰܢ (*surgimus* f.). Quando autem participium activum regit genitivum sic flectitur, v. gr. ܨܳܐܶܕ ܢܶܡܪܶܐ (*venator tigridum*), ܨܳܝܕܰܬ ܢܶܡܪܶܐ, ܨܳܝܕܰܝ ܢܶܡܪܶܐ, ܨܳܝܕܳܬ ܢܶܡܪܶܐ etc.; participium passivum verbi concavi trilitteri nudi formatur a præterito, addita post primam radicalem littera jod[h] cum h[h]vas[s]a præcedenti, v. gr. ܣܺܝܡ (*positus*), ܨܺܝܪ (*pictus*), a ܣܳܡ et ܨܳܪ. Verborum vero auctorum participium passivum formatur ab aoristo substituendo præformativæ aoristi characteristicam mim (ܡ) et in forma ܐܰܦܥܶܠ adjiciendo litteræ 1æ radicali

zqafam, ex. gr. ܡܩܘܡ (*statutus*), ܡܫܝܓ (*lotus*), a ܢܩܘܡ, ܢܫܝܓ. Flectitur cum pronominibus personalibus sic: ܩܐܡ ܗܘ etc. ܩܐܡ ܐܢܬ vel ܩܐܡܬ, ܩܐܡܬܘܢ, ܩܐܡܝܢ ܐܢܬܝܢ vel ܩܐܡܬܝܢ etc. Item ܡܩܝܡ ܗܘ etc. ܐܢܬ ܡܩܝܡ vel ܡܩܝܡܬ, ܐܢܬܝܢ ܡܩܝܡܝܢ vel ܡܩܝܡܬܝܢ, etc. In reliquis nulla difficultas.

345 — Plurima sunt verba quæ habent pro media radicali infirmam waw et tamen sequuntur verba sana in suis flexionibns quin flectantur ut concava, v. gr. ܦܘܚ (*peroptavit*, *cupivit*), ܫܘܚ (*pullulavit*), ܫܘܪ (*saliit*), ܪܘܙ (*gavisus est*), ܕܘܪ (*turbavit*), ܥܘܪ (*obcæcavit*), ܐܥܘܠ (*deliquit*), ܠܘܐ (*adjunxit*). Horum trilittera nuda habent semper ad ‘ain in aoristo ptʰahʰam; et quoties waw in conjugatione aoristi venit quiescens, assumit apud Occidentales pro lubitu ‘sˢasˢam ad præcedentem litteram, v. gr. ܢܪܘܪܘܢ (n. 163) et apud Orientales adsciscit waw mhagjana (n. 46) v. gr. ܢܕܘܪܘܢ. Adverte denique ex verbis concavis nunquam formari ܡܫܘܚܐ vel ܫܘܚܐ.

* * *

CAPUT VII

DE VERBO DEFICIENTE, SEU LAMAD-INFIRMA

I — DE DEFINITIONE VERBI DEFICIENTIS ET DE EJUS FORMIS

346 — Verbum deficiens seu defectivum in lamadh est illud cujus lamadh est littera infirma, quæ quidem littera infirma in præterito quidem in formis nudis est vel alaf cum zqafa præcedente, v. gr. ܩܪܳܐ *(vocavit)*, quod sequitur typum جَرَى, vel jodh cum præcedente hhvassa, v. gr. ܣܪܺܝ *(fœtuit)*, quod pertinet ad typum خَشِيَ : in cœteris formis est semper jodh præcedente hhvassa, v. gr. ܫܰܪܺܝ *(incepit)*, ܐܰܬܟܶܠ *(orbavit)*. Hæc quoad præteritum; in aoristo vero littera infirma est semper alaf cum rvasa longa præcedente, v. gr. ܢܶܚܕܶܐ *(lœtabitur)*, ܢܫܰܪܶܐ *(incipiet)*. (1)

347 — Præcipua verba nuda deficientia in lamadh sunt sequentia :

(1) Notandum est verbum deficiens apud Arabes finalem litteram habere vel A, vel U, vel I; apud Hebræos vero et Syros illud desinere in A, vel E, vel I. Insuper notatu dignum est Arabes grammaticos alaf finale verborum hujus classis fere semper scribere per figuram ja, quod ex eo repetendum esse videtur quod Arabes cum hujus verbi orthographiam statuere voluerint ad Syros (a quibus scripturam didicerunt) respexerunt qui tertiam radicalem hujus verbi fere semper scribunt per jodh (juxta orthographiam Chaldaicam seu illam quæ viget in dialecto Aramaica quam Judæi conservarunt, non juxta orthographiam dialecti nostræ quam litteralem nuncupamus).

1 – Quæ habent alaf pro lamadh:

ܕܪܳܐ	effudivit	ܚܝܳܐ	vixit
ܒܟܳܐ	flevit	ܫܘܳܐ	conformis fuit
ܒܢܳܐ	ædificavit	ܛܥܳܐ	oblitus est
ܒܣܳܐ	contempsit, despexit	ܛܫܳܐ	occultus fuit
ܒܥܳܐ	petiit	ܟܠܳܐ	impedivit
ܒܩܳܐ	probavit	ܟܣܳܐ	texit
ܒܪܳܐ	creavit	ܟܡܳܐ	coacervavit
ܓܒܳܐ	elegit	ܠܚܳܐ	delevit
ܓܠܳܐ	revelavit	ܡܚܳܐ	verberavit
ܓܢܳܐ	cubuit	ܡܛܳܐ	pervenit
ܓܣܳܐ	eructavit	ܡܠܳܐ	implevit
ܓܥܳܐ	clamavit	ܡܢܳܐ	numeravit
ܕܚܳܐ	expulit	ܡܨܳܐ	potuit
ܕܠܳܐ	hausit	ܢܟܳܐ	nocuit
ܕܡܳܐ	similis fuit	ܢܨܳܐ	litigavit
ܕܪܳܐ	disseminavit	ܢܩܳܐ	se paravit
ܗܘܳܐ	fuit	ܣܚܳܐ	natavit
ܙܟܳܐ	vicit	ܣܛܳܐ	deflexit
ܚܙܳܐ	vidit	ܣܠܳܐ	abjecit
ܚܛܳܐ	peccavit	ܣܢܳܐ	odit

ܣܛܳܐ	calummiatus est, cucurrit	ܩܪܳܐ	legit vel vocavit
ܥܛܳܐ	irruit	ܪܒܳܐ	crevit
ܥܦܳܐ	delevit	ܪܦܳܐ	mollis fuit
ܥܨܳܐ	coegit	ܪܕܳܐ	fluxit
ܥܢܳܐ	comprehendit	ܪܘܳܐ	ebrius fuit
ܦܗܳܐ	evagatus est	ܪܥܳܐ	pavit
ܦܢܳܐ	rediit	ܪܫܳܐ	objurgavit
ܦܥܳܐ	balavit	ܫܒܳܐ	captivum duxit
ܦܪܳܐ	productus est	ܫܓܳܐ	erravit
ܦܬܳܐ	latus fuit	ܫܕܳܐ	dejecit
ܨܒܳܐ	voluit	ܫܚܳܐ	refriguit
ܨܠܳܐ	inclinatus est	ܫܘܳܐ	dignus effectus est
ܨܪܳܐ	scidit	ܫܛܳܐ	stultus fuit
ܩܒܳܐ	congregata est aqua	ܫܠܳܐ	requievit
ܩܗܳܐ	obtusus fuit	ܫܢܳܐ	insanivit
ܩܢܳܐ	possedit	ܫܪܳܐ	absolvit, habitavit
ܩܥܳܐ	clamavit	ܬܠܳܐ	appendit
ܩܨܳܐ	fregit	ܬܢܳܐ	repetiit

2 – Quæ habent jod^h pro lamad^h :

ܒܠܝ	consumptus est vetustate
ܓܐܝ	majestatem habuit

ܕܘܝ miser fuit

ܕܟܝ mundus fuit

ܐܗܝ illustris fuit

ܢܩܝ sanctus fuit

ܚܕܝ gavisus est

ܚܠܝ dulcis fuit

ܟܪܝ brevis fuit, vel displicuit aliquid alicui

ܠܐܝ defessus est

ܣܓܝ multus fuit

ܣܡܝ cœcus fuit

ܣܪܝ fœtuit

ܥܒܝ crassus fuit

ܝܐܝ decuit

ܨܐܝ sordidus fuit

ܨܗܝ sitivit

ܦܪܝ menstrua habuit

ܪܘܝ inebriatus est

ܫܠܝ quievit

Quæ omnia sunt intransitiva.

348 – Aucta hujus classis verborum fiunt juxta jam dicta : ex forma nuda v. gr. ܐܬܩܪܝ *(vocatus est)* ܐܬܩܪܝܐ ; ܐܫܬܪܝ *(solutus est)* ܐܫܬܪܐ . Ex forma ܐܘܕܝ

v. gr. ܐܪܡܝ (*injecit*) ܡܪܡܐ, ܐܗܡܝ (*neglexit*) ܡܗܡܐ, ܐܛܥܝ (*decepit*) ܡܛܥܐ; cum incremento ܐܬ v. gr. ܐܬܛܥܝ (*in errorem inductus fuit*), ܡܬܛܥܝܢܐ. Ex forma ܦܥܠ v. gr. ܦܨܝ (*lætificavit*) ܡܦܨܝܢܐ, ܩܘܝ (1) (*permansit*) ܡܩܘܝܢܐ (1), ܕܠܝ (*extraxit*) ܡܕܠܝܢܐ, cum incremento ܐܬ v. gr. ܐܬܥܠܝ (*exaltatus est*) ܡܬܥܠܝܢܐ, ܐܫܬܪܝ (*epulatus est*) ܡܫܬܪܝܢܐ. Ex forma ܫܦܥܠ v. gr. ܫܓܢܝ (*mutavit*) ܡܫܓܢܝܢܐ, ܫܡܠܝ (*perfecit*) ܡܫܡܠܝܢܐ, a ܓܢܐ et ܡܠܐ, ܕܠܗܝ (*stuporem incussit*) ܡܕܠܗܝܢܐ; cum incremento ܐܬ v. gr. ܐܫܬܥܠܝ (*se extulit*) ܡܫܬܥܠܝܢܐ, ܐܬܕܠܗܝ (*obstupefactus est*) ܡܬܕܠܗܝܢܐ; cum incremento ܐܬ quæ respondet formæ quinilitteræ, v. gr. ܐܬܣܪܘܝ (*imaginatus est*) ܡܬܣܪܘܝܢܐ, ܐܬܬܟܘܟܝ (*deceptus fuit*) ܡܬܬܟܘܟܝܢܐ.

II – DE DERIVATIONE VERBI DEFECTIVI IN LAMAD[H] EJUSDEMQUE CONJUGATIONE

349 – In tota conjugatione præteriti hujus classis verborum tertia radicalis infirma debet esse semper jod[h], exceptis tertia plur. masc. et tertia sing. fœm. in quibus abjicitur omnino tertia radicalis infirma si ipsa fuerit alaf, v. gr. ܒܥܘ (*petierunt* m.) ܒܥܬ (*petiit* f.) a verbo ܒܥܐ; secus, scilicet si verbum defectivum in lamad[h]

(1) Cum zqafa pro pt[h]ah[h]a apud Orientales (n. 20).

habuerit jodh loco tertiæ radicalis, tunc perseverat jodh in tota conjugatione etiam in 3a plur. masc. et in 3a sing. fœm. Nota autem hoc jodh quiescere in omnibus personis per integrum præteritum, excepta 3a fœm. sing., in qua jodh assumit pthahham, v. gr. ܚܕܝܬ (*gavisa est*). Nota quoque waw adformativum 3æ plur. masc. in præterito istorum verborum necnon in imperativo legi i. e. pronuntiari post pthahham vel hhvassam. (1)

Paradigma conjugationis præteriti verbi defectivi in lamadh habentis alaf:

ܩܪܐ (*rocavit*), ܩܪܘ (pron. *qrâw*) vel ܩܪܘܢ (*qrawûm*) (*rocarunt*), ܩܪܬ cum zqafa (*rocavit* f.) ܩܪܝ, (*qrâj*) cum pthahha vel ܩܪܝܢ (*rocarunt* f.), ܩܪܝܬ (*vocasti*), ܩܪܝܬܝ (*rocasti* f.), ܩܪܝܬܘܢ (*rocastis*) ܩܪܝܬܝܢ (*rocastis* f.), ܩܪܝܬ (2) (*rocavi*) ܩܪܝܢ vel ܩܪܝܢܢ (*rocavimus*).

Paradigma conjugationis præteriti verbi defectivi in lamadh jodh:

ܚܕܝ (*gavisus est*), ܚܕܝܘ tantum, cum waw pronuncianda (*gavisi sunt*).

ܚܕܝܬ cum jodh (*gavisa est*), ܚܕܝ vel ܚܕܝܢ (*gavisæ sunt*).

ܚܕܝܬ (*gavisus es*), ܚܕܝܬܝ (*gavisa es*), ܚܕܝܬܘܢ (*gavisi estis*).

(1) Syri qui Syriam incolunt hisce temporibus non pronunciant waw in hisce casibus in verbis defectivis in lamadh ut in cœteris verbis, quod tamen error evidens est et contra regulas grammaticales.

(2) Cum zlama dura apud Orientales.

ܚܕܝܬܝܢ (*gavisæ estis*), ܚܕܝܬ (1) (*gavisus sum*).

ܚܕܝܢ vel ܚܕܝܢܢ (*gavisi sumus*).

Anomala sunt duo verba ܕܠܒ (*dilapsus est, consumptus est*), ܪܘܝ (*sitivit*) in 3ª fœm. sing., quæ est ܕܠܬ (*consumpta est*), ܪܘܬ (*sitivit* f.) ad instar ܩܡܬ.

Paradigma conjugationis præteriti verbi aucti defectivi in lamadh:

1 — ܐܘܕܝ, ܐܘܕܝܘ tantum, cum pronunciatione waw, ܐܘܕܝܬ, ܐܘܕܝ vel ܐܘܕܝܝܢ, ܐܘܕܝܬ, ܐܘܕܝܬܝ, ܐܘܕܝܬܘܢ, ܐܘܕܝܬܝܢ, ܐܘܕܝܬ (1), ܐܘܕܝܢ vel ܐܘܕܝܢܢ.
Eadem ratione dicitur: ܕܠܘܝ, ܕܠܘܝܘ, ܕܠܘܝܬ, etc.

2 — ܫܪܝ, ܫܪܝܘ, ܫܪܝܬ, ܫܪܝ vel ܫܪܝܝܢ, ܫܪܝܬ ... usque ad ܫܪܝܬ, ܫܪܝܢ vel ܫܪܝܢܢ, ܐܬܐܘܕܝ (*injectus fuit*), ܐܬܐܘܕܝܘ, ܐܬܐܘܕܝܬ, ܐܬܐܘܕܝ vel ܐܬܐܘܕܝܝܢ, ܐܬܐܘܕܝܬ etc. Sic et ܐܬܕܠܘܝ, ܐܬܕܠܘܝܘ, ܐܬܕܠܘܝܬ, etc.

350 — In conjugatione aoristi cum adformativis 2æ personæ plur. masc. et 3æ pers. plur. masc. mutatur ʿsˢasˢa longa i. e. ʿmaqa in ʿsˢasˢam brevem seu rwahham, v. gr. ܢܩܪܘܢ (*vocabunt*), ܬܩܪܘܢ (*vocabitis*), et cum adformativa 2æ pers. sing. fœm. mutatur hhvasˢa in zlamam fortem, v. gr. ܬܩܪܝܢ (*vocabis* f.), et tandem

(1) Etiam Orientales uti Occidentales habent ad ultimam syllabam hhvassam minime vero zlamam duram in his exemplis cæterisque similibus.

cum adformativis 2æ personæ plur. fœm. et 3æ pers. plur. fœm. littera infirma fit jodh constanter.

Hinc sit sequens paradigma conjugationis aoristi verbi defectivi in lamadh :

ܢܩܪܐ (*vocabit*), ܢܩܪܘܢ (*vocabunt*), ܬܩܪܐ (*vocabit* f.), ܢܩܪܝܢ (*vocabunt* f.), ܬܩܪܐ (*vocabis*), ܬܩܪܘܢ (*vocabitis*), ܬܩܪܝܢ (*vocabis* f.), ܬܩܪܝܢ (*vocabitis* f.), ܐܩܪܐ (*vocabo*), ܢܩܪܐ (*vocabimus*).

Item : ܢܨܠܐ (*orabit*), ܢܨܠܘܢ, ܬܨܠܐ, ܢܨܠܝܢ, ܬܨܠܐ, ܬܨܠܘܢ, ܬܨܠܝܢ, ܬܨܠܝܢ, ܐܨܠܐ, ܢܨܠܐ.

Item : ܢܪܡܐ (*injiciet*) ܢܪܡܘܢ, ܬܪܡܐ, ܢܪܡܝܢ, ܬܪܡܐ, ܬܪܡܘܢ, ܬܪܡܝܢ, ܬܪܡܝܢ, ܐܪܡܐ, ܢܪܡܐ.

Item: ܢܕܠܗܐ (*consternabit*), ܢܕܠܗܘܢ, ܬܕܠܗܐ, ܢܕܠܗܝܢ, ... ܐܕܠܗܐ, ܢܕܠܗܐ.

351 — Imperativus derivatur ab aoristo demendo litteram præformativam aoristi, et tertia radicalis infirma in formis nudis quidem regulariter fit in imperativo jodh, ut ܩܪܝ (*voca*), ܚܕܝ (*gaude*); in formis vero auctis fit alaf præcedente zqafa, v. gr. ܐܪܡܐ (*injice*) a ܢܪܡܐ, ܨܠܐ (*ora*) a ܢܨܠܐ, ܐܬܥܠܐ (*exaltare*) a ܢܬܥܠܐ. Excipe formam ܐܬܦܥܠ, cujus imperativus apud Occidentales terminatur in jodh præcedente pthahha, v. gr. ܐܬܓܠܝ (*revelare*) a ܢܬܓܠܐ, et apud Orientales terminatur in duo jodh quæ non leguntur, et proinde

littera prima radicalis assumit pt[h]ah[h]am v. gr. ܐܬܓܠܝܬ, ܐܬܪܕܝܬ *(erudire)* ab aoristis ܢܬܓܠܐ, ܢܬܪܕܐ. In imperativo verbi ܐܬܦܢܝ *(sese convertit)*, excidit tum in pronunciatione tum in orthographia jod[h] finale tum apud Orientales tum apud Occidentales, sed dumtaxat quando sermo dirigitur ad Deum, v. gr. ܐܬܦܢ ܡܪܝ *(convertere Domine)*; secus imperativus hujus verbi sequitur regulam modo traditam de imperativo formæ ܐܬܦܥܠ, unde dicitur v. gr. ܐܬܦܢܝ ܘܫܪܪ ܐܚܝܟ *(convertere et confirma fratres tuos)*. Non inutile tamen est animadvertere in hujusmodi elisione extremæ imperativi litteræ vestigium apparare elisionis Arabicæ quæ dicitur جَزْم *gazmum*, ut إِرْمِ *(jace)* ex رَمَى *(jecit)*. Quæ adhuc frequentior est apud Hebræos quam apud Syros.

Imperativus autem verbi defectivi in lamad[h] in sua conjugatione, ante jod[h] adformativum 2æ pers. sing. fœm., et ante waw adformativ. 2æ plur. masc. assumit apud Orientales zqafam, (1) et apud Occidentales pt[h]ah[h]am; denique ante jod[h] adformativ. 2æ pers. plur. fœm. assumit zqafam, quo fit ut confundatur imperativus 2æ fœm. plur. cum imperativo 2æ fœm. sing. et ille ab isto nonnisi per siame appositum distinguatur.

Paradigma conjugationis imperativi :

1 - ܩܪܝ *(voca)*, ܩܪܘ vel ܩܪܐܘܢ *qrawùn (vocate)*;

ܩܪܝ *(voca* f.*)*, ܩܪ̈ܝ vel ܩܪܝܝܢ *(vocate* f.*)*.

(1) Regula exigit ut sit zqafa non pt[h]ah[h]a, et proinde usus Orientalium quoad hoc rectius est usu Occidentalium.

2 - ܫܪܐ (*incipe*), ܫܪܘ vel ܫܪܐܘܢ, etc., ܫܪܝܢ, ܫܪܝܢ vel ܫܪܝܝܢ.

3 – ܐܪܡܐ (*injice*), ܐܪܡܘ etc. ܐܪܡܝܢ, ܐܪܡܝܢ vel ܐܪܡܝܝܢ.

4 – ܐܫܬܘܝ, ܐܫܬܘܘ etc. ܐܫܬܘܝܢ, ܐܫܬܘܝܢ.

5 – ܐܬܦܢܐ vel ܐܬܦܢܝ (*convertere*), ܐܬܦܢܘ etc., ܐܬܦܢܝܢ ܐܬܦܢܝܢ etc.

352 – Infinitivus verbalis in formis nudis hujus classis verborum desinit in alaf præcedente zqafa, et in formis auctis in jod[h] præcedente zekap zqafa et sequente ʿsˢasˢa (n. 281), v. gr. ܡܩܪܐ (*advocare vel legere*), ܡܚܕܐ (*gaudere*), ܡܨܠܝܘ (*precari*), ܡܪܡܝܘ (*jacere*), ܡܫܬܘܝܘ (*dignari*). Exempla infinitivi nominalis v. gr. ܫܘܪܝܐ (*principium*) a ܫܪܝ, ܫܪܝܐ (*solutio*) a ܫܪܐ.

353 – Participium activum a formis nudis formatur ut in sequentibus exemplis: ܩܪܐ (*vocans*), ܩܪܝܐ (*vocans* f.), ܩܪܝܢ (*vocantes*), ܩܪܝܢ (*vocantes* f.).

Item: ܚܕܐ, ܚܕܝܐ, ܚܕܝܢ, ܚܕܝܢ. A formis autem auctis formatur regulariter per simplicem substitutionem præformativæ mim loco litteræ præformativæ aoristi, v. gr. ܡܨܠܐ (*orans*), ܡܪܡܐ (*injiciens*), ܡܫܬܘܐ (*dignus effectus*), ܡܫܬܡܠܐ (*perfectionem suscipiens*) a ܨܠܐ,

ܢܫܬܡܠܝܢ̈, ܬܫܬܡܠܘܢ, ܢܫܬܡܠܐ, et flectitur sic : ܡܫܪܐ, ܡܫܪܝܬܐ, ܡܫܪܝܢ̈, ܡܫܪܝܢ etc.

Flectitur participium cum pronominibus personalibus sequenti modo : ܩܪܐ (*vocat*), ܩܪܝܐ (*vocat* f.), ܩܪܝܢ (*vocant*) ܩܪܝ̈ܢ (*vocant* f.), ܩܪܐ ܐܢܬ vel ܩܪܝܬ (*vocas*), ܩܪܝܐ ܐܢܬܝ vel ܩܪܝܬܝ (*vocas* f.), ܩܪܝܬܘܢ etc. (*vocatis*), ܩܪܝܬܝܢ etc. (*vocatis* f.), ܩܪܐ ܐܢܐ (*voco*), ܩܪܝܐ ܐܢܐ (*voco* f.), ܩܪܝܢܢ etc. (*vocamus*), ܩܪܝ̈ܢܢ etc. (*vocamus* f.).

Item: ܡܬܩܪܐ (*vocatur*), etc. ܡܬܩܪܐ ܐܢܬ vel ܡܬܩܪܝܬ, ܡܬܩܪܝܐ ܐܢܬܝ vel ܡܬܩܪܝܬܝ etc.

Participii verbale activum regens genitivum flectitur ut sequitur : ܫܪܐ ܐܣܝܪ̈ܐ (*absolvens captivos*), ܫܪܝܬ, ܫܪܝܢܝ, ܫܪܝܬ.

Item : ܡܫܪܐ, ܡܫܪܝܬ, ܡܫܪܝܢܝ, ܡܫܪܝܬ. Et sic de reliquis.

Participii nominalis exempla : a ܒܨܐ (*perscrutatus est*) ܒܨܘܝܐ (*perscrutator*), ab ܐܪܡܝ ܡܪܡܝܢܐ (*injiciens*), a ܫܡܠܝ (*perficere*), ܡܫܡܠܝܢܐ (*perficiens*).

354 – Participium passivum formatur in formis nudis hujus classis verborum ad typum فعّل non فعيل quod hujus classis verbis proprium est, ideo participium habet zlamam duram in secunda radicali, sequente alaf, v. gr. ܩܪܝܐ (*vocatus*), ܡܚܝܐ (*deletus*), a

ܡܢܐ ܓܠܝܐ·

Inflectitur autem ut sequitur: ܡܢܐ, ܡܢܝܢ, ܡܢܝܐ, ܡܢܝ̈ܢ; item ܓܠܝܐ, ܓܠܝܢ, ܓܠܝܐ, ܓܠܝ̈ܢ. In verbis autem auctis desinit hujusmodi participium in jodh praecedente pthhahha, v. gr. ܡܥܠܝ (exaltatus), ܡܫܕܝ (injectus), ܡܫܡܠܝ (perfectus), a ܥܠܐ, ܫܕܐ, ܫܡܠܐ. In cujus flexione dicis v. gr. ܡܥܠܝ, ܡܥܠܝܢ, ܡܥܠܝܐ, ܡܥܠܝ̈ܢ·

Cum pronominibus autem personalibus inflectitur ita: ܡܢܐ ܗܘ, ܡܢܝܢ ܐܢܘܢ, ܡܢܝܐ ܗܝ, ܡܢܝ̈ܢ ܐܢܝܢ, ܡܢܐ ܐܢܬ vel ܡܢܝܬ, ܡܢܝܢ ܐܢܬܘܢ vel ܡܢܝܬܘܢ, ܡܢܝ̈ܢ ܐܢܬܝܢ vel ܡܢܝܬܝܢ, ܡܢܐ ܐܢܐ, ܡܢܝܐ ܐܢܐ, ܡܢܝܢ ܚܢܢ vel ܡܢܝܢܢ·

Exemplum flexionis participii deducti a verbis auctis cum pronominibus personalibus: ܡܥܠܝ ܗܘ, ܡܥܠܝܢ ܐܢܘܢ, ܡܥܠܝܐ ܗܝ, ܡܥܠܝ̈ܢ ܐܢܝܢ, ܡܥܠܝ ܐܢܬ, ܡܥܠܝܢ ܐܢܬܘܢ etc.

Participium passivum in casu constructo inflectitur sic: ܡܠܐ ܫܠܡܐ (plenus pace), ܡܠܝܬ, ܡܠܝܝ, ܡܠܝ̈ܬ·

Item: ܡܥܠܝ, ܡܥܠܝܬ, ܡܥܠܝܝ, ܡܥܠܝ̈ܬ·

355 — Occurrunt quaedam verba quae in quibusdam suis derivatis considerantur ut hamzata in lamadh, v. gr. ܣܢܐ (odit), ܗܢܐ (jucundus fuit), ܣܓܝ (abundavit), ܡܠܐ (implevit); quae quidem omnia sunt

in Arabica lingua hamzata in lamadh (excepto ܣܓܝ quod nullum vestigium habet in hac lingua) شاء، جاء، ملأ.
Sic participium nominale ex ܣܢܐ est ܣܢܐܐ (*inimicus*) ad typum ܟܬܘܒܐ; participium autem passivum formatur sive juxta verba defectiva in lamadh ܣܢܐ, sive juxta verba hamzata ܣܢܝܐܐ; infinitus nominalis ܣܢܐܬܐ cum hamza.

Adjectivum a verbo ܗܢܐ est ܗܢܝܐܐ (*jucundus*), cum hamza; at infinitus nominalis est ܗܢܝܬܐ (*jucunditas*) cum littera infirma.

Infinitus nominalis a ܡܠܐ est ܡܠܐܐ (*plenitudo*) cum zqafa apud Occidentales, quod rectum est, et zlama apud Orientales qui dicunt ܡܠܝܐ. Adjectivum a verbo ܣܓܐ est ܣܓܝܐܐ (*multus*), cujus apocopatum est ܣܓܝ, et tandem infinitus nominalis ejusdem verbi est ܣܘܓܐܐ (*multitudo*). Sic autem flectitur ܣܢܐܐ, ܣܢܐܬܐ; ܣܢܐܐ, ܣܢܐܬܐ; sed cum gdama absoluto revertitur defectivum: ܣܢܐ, ܣܢܝܐ, ܣܢܝܢ, ܣܢܝܢ; item cum gdama constructionis ut defectivum: ܣܢܐ ܫܪܪܐ (*osor veritatis*), ܣܢܝܬ, ܣܢܝܝ, ܣܢܝܬ. Adjectiva quidem ܣܢܝܐܐ, ܣܓܝܐܐ, ܗܢܝܐܐ sunt et ipsa defectiva, cum alaf in ipsis non sit hamza sed est pro jodh, pronunciantur enim ܣܢܝܝܐ, ܣܓܝܝܐ,

ܗܢܝܐ (l. *snija* , *saggíja*, *hannija* , non *sni'a* , *saggi'a* , *hanni'a*). Sic autem flectuntur : ܡܣܓܝܢܐ , ܡܣܓܝܢܝܬܐ , ܡܣܓܝ̈ܢܐ , ܡܣܓܝ̈ܢܝܬܐ ; cum gdama absoluto: ܡܣܓܐ , ܡܣܓܝܐ , ܡܣܓܝܢ , ܡܣܓܝ̈ܢ ; et cum gdama constructionis: ܡܣܓܐ, ܡܣܓܝܬ , ܡܣܓܝܢ , ܡܣܓܝ̈ܬ : eadem ratione conjugantur ܗܢܝܐ , et ܣܢܝܐ. In quibus omnibus alaf mobile est pro jod^h^, et pronunciatur ut jod^h^.

CAPUT VIII

DE VERBIS DUPLICITER IMPERFECTIS

I — DE VERBIS DEFECTIVIS IN LAMAD^H^ ET SIMUL HAMZATIS IN PE

356 — Occurrunt apud Syros ut apud Arabes nonnulla verba quæ sunt in duabus radicalibus imperfecta, et proinde in suis inflexionibus sequuntur regulas utriusque imperfectionis. Incipiamus a verbis defectivis in lamad^h^ et simul hamzatis in pe. Ex. gr. ܐܬܐ (*venit*), ܐܠܐ (1) (*ejulavit*) , ܐܦܐ (1) (*panem confecit*). Hujusmodi verba itaque sequuntur regulas verbi hamzati in pe et simul regulas verbi defectivi in lamad^h^. Exempla formæ

(1) Orientales uti videbimus apponunt ad alaf initiale in istis duobus verbis pt^h^ah^h^am loco zlamæ.

ܦܰܥܶܠ ab hujusmodi verbis : ܐܰܣܺܝ (*sanavit*) ܡܰܐܣܝܳܐ , ܐܰܘܒܶܠ (*attulit*) ܡܰܘܒܠܳܐ , ܐܰܘܺܝ (1) (*concordare fecit*) ܡܰܘܝܳܐ, quæ derivantur a radicibus inusitatis ܐܣܳܐ , ܝܒܰܠ , ܐܘܳܐ .

Passivum ܐܰܣܺܝ est ܐܶܬܐܰܣܺܝ (*sanatus fuit*) ܡܶܬܐܰܣܝܳܐ per retractionem ptḥaḥæ ab alaf ad taw (n. 6. 2). Exemplum formæ ܐܰܦܥܶܠ est ܐܰܝܬܺܝ (*attulit*) pro ܐܰܐܬܺܝ (302) ܡܰܝܬܝܳܐ derivatum a radice ܐܶܬܳܐ . Hujus passivum fit ܐܶܬܺܝܬܺܝ (*allatus fuit*) ܡܶܬܺܝܬܝܳܐ .

357 – Conjugatio præteriti nudi: ܐܶܬܳܐ , ܐܶܬܳܬ , ܐܶܬܺܝܬ (2), ܐܶܬܰܘ̈ , ܐܶܬܰܝܬ , ܐܶܬܰܝܬܽܘܢ , ܐܶܬܰܝܬܝ , ܐܶܬܰܝܬܶܝܢ , ܐܶܬܰܝܢ (3) , ܐܶܬܶܝܢ vel ܐܶܬܝܳܢ .

Conjugatio aoristi ܢܺܐܬܶܐ (4) , ܢܺܐܬܽܘܢ , ܬܺܐܬܶܐ , ܢܺܐܬܝܳܢ , ܬܺܐܬܶܐ , ܬܺܐܬܶܝܢ , ܬܺܐܬܽܘܢ , ܬܺܐܬܝܳܢ , ܐܺܬܶܐ , ܢܺܐܬܶܐ .

Imperativus hujus verbi ܐܶܬܳܐ est exceptionalis ita: ܬܳܐ , ܬܰܘ , vel ܬܰܐܘ (5), ܬܳܝ , ܬܶܝ vel ܬܶܝܶܝܢ . Regulariter vero imperativus fit a ceteris verbis , uti v. gr. ܐܰܦܺܝ (*panem confice*) , ܐܰܦܰܘ , ܐܰܦܳܝ etc.

Infinitivus verbalis est v. gr. ܡܶܐܬܳܐ cum rwasa

(1) Orientales habent ad alaf initiale zqafam (n. 20).

(2) Recentiores Orientales scribunt ܐܶܬܺܝܬ cum ptḥaḥa quod error est uti patet.

(3) Cum zlama dura ante jodh.

(4) Zlama dura pro ḥvassa.

(5) Alaf pronunciatur ut waw.

non cum hhvassa.

Infinitivus nominalis ut ܡܐܬܝܐ vel ܡܐܬܝܬܐ (1) cum ܐ post ܡ.

Participium activum : ܐܬܐ, ܐܬܝܢ, ܐܬܝܐ, ܐܬܝܢ.

358 — Conjugatio præteriti in forma ܐܦܥܠ v. gr. ܐܝܬܝ, ܐܝܬܝܘ, ܐܝܬܝܬ etc.

Conjugatio aoristi ejusdem formæ : ܢܐܝܬܐ, ܢܐܝܬܘܢ, ܬܐܝܬܐ.... usque ad ܐܝܬܐ, ܢܐܝܬܐ cum alaf post litteram præformativam aoristi, excepta prima persona singulari. Imperativus : ܐܝܬܐ, ܐܝܬܘ etc. Infinitivus ܡܐܝܬܝܘ; participium activum ܡܐܝܬܐ, ܡܐܝܬܝܢ etc.; participum passivum ܡܐܝܬܝ, ܡܐܝܬܝܢ etc.

Nota Orientales supprimere in pronunciatione et sæpe scriptura alaf post litteras præformativas aoristi, vel post ܡ præformativum infinitivi et utriusque participii, unde legunt ܢܝܬܐ, ܢܝܬܘܢ, ܡܝܬܐ etc. pro ܢܐܝܬܐ, ܢܐܝܬܘܢ, ܡܐܝܬܐ etc.

II — DE VERBO PE-NUN ET DEFECTIVO IN LAMADH

359 — Extant aliqua verba quæ sunt eodem tempore pe-nun et infirma in lamadh, ac proinde eis applicandæ sunt regulæ tum verbi pe-nun, tum verbi defectivi in lamadh. Præcipua hujusmodi verba sunt

(1) Cave ne scribas ܡܬܝܬܐ sine alaf.

tria, scilicet ܢܟܐ (*nocuit*) ܢܟܐ, ܢܨܐ (*litigavit*) ܢܨܐ, ܢܫܐ (*oblitus est*) ܢܫܐ. In forma ܐܦܥܠ fiunt ܐܟܝ (*læsit*) ܢܟܐ, ܐܫܝ (*oblivisci fecit*) ܢܫܐ sine alaf in aoristo.

360 — Conjugatio præteriti nudi : ܢܟܐ, ܢܟܘ, ܢܟܬ, ܢܟܝ etc. Conjugatio aoristi : ܢܟܐ, ܢܟܘܢ, ܬܟܐ, ܬܟܝܢ, ܬܟܐ, ܬܟܘܢ, ܬܟܝܢ, ܬܟܝܢ, ܐܟܐ, ܢܟܐ. Imperativ. ܢܟܝ etc. Infinit. ܡܟܐ. Partic. activ. ܢܟܐ etc. Partic. passiv. ܢܟܐ, ܢܟܝܢ etc.

361 — Conjugatio aucti in Præt. ܐܟܝ, ܐܟܝܘ, ܐܟܝܬ etc. Aor. ܢܟܐ, ܢܟܘܢ, ܬܟܐ etc. Imper. ܐܟܐ etc. Infinit. ܡܟܝܘ. Partic. act. ܡܟܐ. Partic. pass. ܡܟܝ, ubique sine alaf post litteras præformativas aoristi, infinit. et utriusque particip.

III — DE VERBO PE-INFIRMO ET UNA HAMZATO ET DEFECTIVO IN LAMADH

362 — Verbum pe infirmum potest esse simul hamzatum ʿain, ut ܝܐܒ (*cupivit*), ܝܐܝܒ (scribitur sæpius ܝܐܒ). Præteritum sic conjugatur : ܝܐܒ, ... ܝܐܒܬ ... ܝܐܒܬ ... ܝܐܒܬ, etc. Aoristus : ܢܐܒ, ܢܐܒܘܢ, ܬܐܒ, ... ܐܐܒ, ܢܐܒ. Partic. act. ܝܐܒ, ܝܐܒܝܢ. In forma ܐܬܦܥܠ ܐܬܝܐܒ (*desideravit*), ܡܬܝܐܒ, ܡܬܝܐܒܐ.

Dicitur etiam ܐܬܐܘܕܝ, ܐܬܘܕܝ.

Item adsunt verba infirma in pe et in lamad[h] simul, quorum principaliora sunt ܝܡܐ *(juravit)* ܢܐܡܐ (1), ܝܥܐ *(germinavit)* ܢܥܐ. In forma ܐܦܥܠ dicitur ܐܘܡܝ *(adjuravit)* ܢܘܡܐ, ܐܘܥܝ *(germinare fecit)* ܢܘܥܐ.

363 — Conjugatio præteriti nudi: ܝܡܐ, ܝܡܘ (2), ܝܡܬ, ܝܡܝ, ܝܡܝܬ, ܝܡܝܬܘܢ, ܝܡܝܬܝܢ, ܝܡܝܬܝ, ܝܡܝܬ (3), ܝܡܝܢ vel ܝܡܝܢܢ. Conjugatio aoristi ejusdem: ܢܐܡܐ (4), ܢܐܡܘܢ, ܬܐܡܐ, ܢܐܡܝܢ, ܬܐܡܐ, ܬܐܡܝܢ... usque ad ܐܐܡܐ, ܢܐܡܐ. Imperativus: ܝܡܝ (5), ܝܡܝ, ܝܡܘ etc. Infinitiv. ܡܐܡܐ. Partic. activ. ܝܐܡܐ etc. Nulla difficultas in cœteris.

364 — Inter verba infirma in pe et in lamad[h] simul, extat radix haud usitata nisi in participio activo quod est ܘܠܐ *(necesse est)* ܘܠܝܢ, ܘܠܝܐ, ܘܠܝܢ.

---

(1) Cum zlama dura ad litteram præformativam aoristi.

(2) Dicitur quoque ܝܡܝܘ.

(3) Orientales etiam ut Occidentales hic ante ܬ habent h[h]vas[s]am non zlamam duram contra regulam; quemadmodum enim dicitur ܣܓܕܬ dici quoque deberet ܣܓܕܬ. Attamen hujus h[h]vas[s]æ ratio est quia ܢܦܩ est pro ܢܦܩ quod frequenter occurrit et ideo ut ex ܢܩܒ, dicitur ܢܩܒܬ cum h[h]vas[s]a. Item dicendum de ܢܦܩ.

(4) Cum zlama dura.

(5) Juxta analogiam dici deberet ܝܡܝܢ ut dicitur ܓܠܝܢ, et sic refert Barhebræus in sua gramm. magna.

IV — DE VERBIS HAMZATIS IN ʿAIN ET INFIRMIS IN LAMAD^H NECNON DE VERBIS INFIRMIS IN ʿAIN ET IN LAMAD^H SIMUL

365 — Verba nonnulla hamzata in ʿain, sunt quoque infirma in lamad^h, quod in quibusdam est alaf, v. gr. ܟܐܐ *(increpavit)*, ܢܟܐܐ, ܝܐܐ inusitatum præterquam in suo participio activo ܝܐܐ *(conveniens)*, ܝܐܝܢ, ܝܐܝܐ, ܝܐܝܢ; in aliis est jod^h, v. gr. ܨܐܠ *(claruit)*, ܢܨܐܠ, ܠܐܝ *(defessus est)* ܢܠܐܐ, ܒܐܝ *(docuit)* ܢܒܐܐ, ܛܐܝ *(sordidus fuit)* ܢܛܐܐ. In forma ܦܥܠ v. gr. ܛܐܝ *(fœdavit)* ܢܛܐܐ (1), cujus passivum per ܐܬ est ܐܬܨܐܠ *(clarificatus est)* ܢܬܨܐܠ, ܐܬܛܐܝ *(sordidus factus est)* ܢܬܛܐܐ. Formæ ܐܦܥܠ exemplum: ܐܠܐܝ *(laborare fecit)* ܢܠܐܐ.

Conjugatio præteriti: ܟܐܐ, ܟܐܬ, ܟܐܬܐ, ܟܐܝ etc. ܠܐܝ, ܠܐܝܬ, ܠܐܝܬܝ, ܠܐܝܢ, ܠܐܝܬܘܢ.... usque ad ܠܐܝܬܝܢ, ܠܐܝܢ vel ܠܐܝܢ. Item ܛܐܝ, ܛܐܝܬ, ܛܐܝܬܝ etc. ܐܠܐܝ, ܐܠܐܝܬ, ܐܠܐܝܬܝ (2) etc. ܐܬܨܐܠ, ܐܬܨܐܠܬ, ܐܬܨܐܠܬܝ etc.

Conjugatio aoristi: ܢܠܐܐ, ܢܠܐܘܢ, ܬܠܐܐ, ܢܠܐܝܢ (2) etc.

(1) Mirum est quod Occidentales moderni dicant ܛܐܐ, ܢܛܐܐ et infirma cum incremento ܬ dicant ܐܬܛܐܐ quasi radix esset hamza-ʿain et lamad^h.

(2) Orientales pronunciant cum mhagjana, Occidentales vero cum rvassa ad lamad^h.

ܐܬܝܢ, ܐܬܝ̈ܢܘܢ, ܐܬܝܬܝܢ .... usque ad ܐܬܝ, ܐܬܝܢ — ܢܐܬܐ, ܢܐܬܘܢ etc. ܢܬܓܠܐ (1), ܢܬܓܠܘܢ, ܬܬܓܠܐ, ܢܬܓܠܝܢ etc.

Imperativus ܬܐ, ܓܠܝ etc. ܬܝ, ܬܐܝ etc. Infinitivus ܡܐܬܐ, ܡܐܬܝܘ, ܡܐܬܝܘ̈, ܡܬܓܠܝܘ. — Particip. activ. ܐܬܐ, ܐܬܝܐ, ܐܬܝܢ, ܐܬܝ̈ܢ· ܡܐܬܝܐ, ܡܐܬܝܢ, ܡܐܬܝܐ, ܡܐܬܝܢ· ܡܬܓܠܐ (2), ܡܬܓܠܝܢ, ܡܬܓܠܝܐ, ܡܬܓܠܝܢ. — Participium passiv. seu adjectivum simplex : ܓܠܐ, ܓܠܝܐ etc. Auctum ܡܐܬܝܐ, ܡܐܬܝܢ etc.

367 — Interdum occurrunt apud Syros verba infirma simul in ʿain et lamadh, v. gr. ܗܘܐ (*fuit*), ܠܘܐ (*comitatus est*), ܫܘܐ (*æqualis fuit*), ܕܘܝ (*miser fuit*), ܚܝܐ (*vixit*). Hujusmodi verba in omnibus flectuntur ut verba defectiva in lamadh, præter ܚܝܐ quod videbitur infra. In forma فعّل habemus ex. gr. verbum ܫܘܝ, ܫܘܝܬ, ܫܘܝܐ, ܫܘܝܘܬܐ etc. (apud Orientales ܫܘܝ, ܫܘܝܬ, ܫܘܝܬ etc.)

368 — Attamen verbum ܗܘܐ in aoristo duplicem formam in sequentibus personis habet, i. e. ܢܗܐ (*erit* et *erimus*), ܬܗܐ (*eris* et *erit* f.), et ܬܗܝܢ (*eris* f.) pro ܢܗܘܐ, ܬܗܘܐ, ܬܗܘܝܢ. Sic denique conjugatur participium activum a ܫܘܐ (*meruit*) ܫܘܐ, ܫܘܝܢ, etc. Participium pas-

(1) Cave ne scribas ܢܬܓܠܐ.

(2) Cave ne dicas aut scribas ܡܬܓܠܐ.

sivum : ܫܘܝܐ *(æqualis)*, ܫܘܝܢ, ܫܘܝܬܐ, ܫܘܝܢ cum ptʰahʰa in his duobus extremis, etiam apud Orientales (n. 23).

CAPUT IX

DE VERBIS ANOMALIS ET VERBIS INFLEXIBILIBUS

I – DE CONJUGATIONE VERBI ܝܗܒ

369 – Inter verba anomala computatur verbum ܝܗܒ *(dedit)*. Anomalia ejus consistit in eo quod ejus ܗ excidat omnino in integro præterito apud Orientales, et penes Occidentales tantummodo quoties sequens ܒ reperitur quiescens, unde sic conjugatur: ܝܗܒ, ܝܗܒܘ vel ܝܗܒܘܢ (1), ܝܗܒܬ (1), ܝܗܒܝ vel ܝܗܒܝܢ (1), ܝܗܒܬ, ܝܗܒܬܘܢ, ܝܗܒܬܝ, ܝܗܒܬܝܢ, ܝܗܒܬ (1), ܝܗܒܢ vel ܝܗܒܢܢ. In aoristo non existit ܢܗܒ sed pro eo adhibetur aoristus qui non habet præteritum et est ܢܬܠ (2) *(dabit)*, et conjugatur ita : ܢܬܠ, ܢܬܠܘܢ (3), ܐܬܠ, etc. Impe-

(1) Orientales reticent ܗ et Occidentales illud pronunciant.

(2) Hoc verbum excidit in præterito apud Syros sed extat apud Hebræos cum nun pro lamadʰ.

(3) In aoristo verbi ܬܠܐ *(suspendit)* dicitur ܢܬܠܘܢ cum ruccakʰ et cum rwahʰa, cum quod est in textu habet qusshaj et ɛmaqam.

rativus est ܗܒ cum rejectione jodh initialis. Infinitivus verbalis est ܡܬܠ; infinitivus nominalis est ܡܬܠܘ. Participium activum ܝܗܒ; participium nominale est ܝܗܘܒܐ (*donator*). Participium passivum est ܝܗܝܒ. Forma passiva est ܐܬܝܗܒ (*datus fuit*), (n. 103) et Orientales quidem etiam in ista forma aucta passiva abjiciunt ܗ in pronunciatione quoties ipsa quiescit, v. gr. : ܐܬܝܗܒܬ (*data fuit*), ܐܬܝܗܒܘ (*dati erunt*). Occidentales autem pronunciant h in tota conjugatione ܐܬܝܗܒ.

II – DE CONJUGATIONE VERBI ܐܙܠ

370 – In flexione istius verbi ܐܙܠ (*ivit*), excidit lamadh in pronunciatione tantum quoties juxta regulam ejus secunda radicalis i. e. zain deberet esse quiescens, et ejus tertia i. e. lamadh mobilis, in quo casu vocalis litteræ lamadh retrahitur ad zain, et lamadh otiatur, quod evenit in præterito, aoristo, et participio activo tantum, unde conjugatur præteritum : ܐܙܠ, ܐܙܠܗ, ܐܙܠܬ (pronunc. tanquam ܐܙܬ), ܐܙܠܢ, ܐܙܠܬ etc. ܐܙܠܬ (pronunc. tanquam ܐܙܬ), ܐܙܠܘ etc. Aoristus : ܢܐܙܠ (1), ܢܐܙܠܘܢ, ܬܐܙܠܘܢ (leguntur ܢܐܙܘܢ, ܬܐܙܘܢ). In reliquis nulla difficultas. Imperativus ܙܠ. Infinitivus verbalis

(1) Apud Orientales cum zlama dura.

ܡܐܙܠ , infinitus nominalis ܡܐܙܠܐ (pronunc. ܡܙܠܐ).
Particip. activum est ܐܙܠ, ܐܙܠܝܢ, ܐܙܠܐ, ܐܙ̈ܠܢ (lege ܐܙܢ, ܐܙܐ, ܐܙ̈ܢ etc. In cœteris nulla difficultas.

Nota lamadh in participio activo hujus verbi ܐܙܠ non excidere seu non *otiari* si verbum ܐܙܠ adhibetur sensu *profuit, utilitati fuit*, v. gr. ܠܐ ܠܐܪܥܐ ܘܠܐ ܠܙܒܠܐ ܠܐ ܐܙܠܐ (*neque in terram neque in sterquilinium utile est)* (sal).

III — DE CONJUGANDIS VERBIS ܣܠܩ ET ܐܫܬܝ

371 — Verbum ܣܠܩ (*ascendit*) anomalium patitur in aoristo et cœteris quæ ab aoristo derivantur, i. e. quotiescumque lamadh secunda radicalis quiescit in medio vocis, tunc in pronunciatione et in orthographia simul abjicitur, et ejus vocalis retrahitur ad litteram præcedentem, v. gr. ܢܣܩ *(ascendet , ascendemus)* pro ܢܣܠܩ. Hinc ܢܣܩ conjugatur ad instar ܢܦܩ (n. 325). Imperativus ܣܩ etc. Infinitiv. verbalis ܡܣܩ ; infinitiv. nominalis ܡܣܩܬܐ (*ascensio*). Forma ܐܦܥܠ fit ܐܣܩ *(ascendere fecit)* ܢܣܩ, in forma ܐܬܦܥܠ dicitur ܐܣܬܠܩ.

372 — Verbum ܐܫܬܝ *(bibit)* est anomalum in suo præterito , et in imperativo. Conjugatio præteriti : ܐܫܬܝ, ܐܫܬܝܘ (1), ܐܫܬܝܬ, ܐܫܬ̈ܝ, ܐܫܬܝܬ, ܐܫܬܝܬܘܢ,

(1) Pronunciatur waw (Cf. n. 349).

ܐܫܠܬܘܢ, ܐܫܠܬܝܢ, ܐܫܠܬܝ, ܐܫܠܢ vel ܐܫܠܢܢ. Aoristus ܢܫܠ ut ܢܦܐ (n. 350). Imperat. ܐܫܠܢ, ܐܫܠܘ, ܐܫܠܝܢ, ܐܫܠܝ̈ܢ etc. Forma passiva est ܐܬܫܠܢ, ܢܬܫܠ. In reliquis est regulare.

IV — DE CONJUGATIONE VERBORUM ܐܫܟܚ, ܪܗܛ, ܘܠܐ

373 — Primum ex his tribus verbis quæ sunt anomala conjugatur in præterito sic : ܐܫܟܚ (*invenit*) ܐܫܟܚܘ etc. ܐܫܟܚܬ, ܐܫܟܚ̈ܝ etc. ܐܫܟܚܬ.... ܐܫܟܚܬ, ܐܫܟܚܢ vel ܐܫܟܚܢܢ. Aoristus ܢܫܟܚ, ܢܫܟܚܘܢ etc. Imperativ. ܐܫܟܚ etc. Infinitiv. ܡܫܟܚܘ. Particip. activ. ܡܫܟܚ, ܡܫܟܚܐ, ܡܫܟܚܝܢ, ܡܫܟܚ̈ܢ. Particip. passiv. ܫܟܝܚ etc. Forma passiva ܐܬܫܟܚ (*inventus fuit*), ܢܬܫܟܚ.

374 — Inter anomala quoque recensetur verbum ܪܗܛ (*cucurrit*) ܢܪܗܛ cujus imperativus est ܗܪܛ per metathesim litteræ ܗ, loco ܪܗܛ.

Inter verba sana unicum verbum ܘܠܐ non inflectitur nisi in participio activo quo exprimitur tempus præsens : ܘܠܐ (*necesse est*), ܘܠܝܐ, ܘܠܝܢ, ܘܠܝ̈ܢ.

V — DE CONJUGATIONE VERBI ܚܝܐ

375 — Verbum ܚܝܐ *(vixit)* est dupliciter defectivum nempe in ʿain et in lamadh. Conjugatur in præt. ܚܝܐ , ܚܝܘ etc. ܚܝܬ , ܚܝܝܬ etc. ܚܝܝܬ ... ܚܝܝܬ , ܚܝܝܢ vel ܚܝܝܢܢ.

Aoristus est cum hbvassa ad litteras præformativas apud Occidentales , et cum ziama leni apud Orientales: ܢܚܐ , ܢܚܘܢ , ܬܚܐ , ܬܚܝܢ , ܐܚܐ , ܐܚܘܢ , ܐܚܝܢ , ܐܚܝܢ , ܐܚܐ , ܢܚܐ. Imperativ. ܚܝܝ , ܚܝܘ etc. Infinitiv. ܡܚܐ et apud Orientales ܡܚܝܐ. Particip. activ. ܚܐܐ , ܚܐܝܢ , ܚܝܐ , ܚܝܢ. Adjectivum ܚܝܐ *(vivis)* , ܚܝܬܐ , ܚܝܐ , ܚܝܬܐ. Et cum gdama : ܚܝܝ , ܚܝܐ , ܚܝܝܢ , ܚܝܝܢ. In forma ܐܦܥܠ fit ܐܚܝ *(vivificavit)* ܢܚܐ; imperativ. ܐܚܐ; infinitiv. ܡܚܝܘ; partic. act. ܡܚܐ; partic. pass. ܡܚܝ: in quibus omnibus post litteras præformativas cave ne addas alaf post ܚܝ. Participium adjectivum ܡܚܝܢܐ *(vivificator)*.

VI — DE CONJUGATIONE QUINQUE VERBORUM ANOMALUM APUD ORIENTALES

376 — Hæc quinque verba sunt omnia hamzata in pe , et prima duo sunt insuper defectiva in lamadh ,

et sunt ܐܦܐ (*panem confecit*), ܐܠܐ (*luxit*), ܐܠܨ (*coegit*), ܐܪܥ (*occurrit*), ܐܟܡ (*rancorem concepit*). Jam vero apud Orientales hæc verba pro zlama habent ptʰahʰam ad hamzam ܐܦܐ, ܐܠܐ, ܐܠܨ, ܐܪܥ, ܐܟܡ (1).

377 — Verbum ܐܦܐ in præt. conjugatur : ܐܦܐ, ܐܦܘ, ܐܦܝܬ, ܐܦܝܢ, ܐܦܝܬ, ܐܦܝܬܘܢ, ܐܦܝܬܝܢ, ܐܦܝܢ, ܐܦܝܬ, ܐܦܝܢ vel ܐܦܝܢܢ prorsus ad normam ܓܠܐ cum ptʰahʰa apud Orientales et cum rvasˢa apud Occidentales. Aoristus : ܢܐܦܐ, et apud Orientales ܢܐܦܐ, et est regularis. Imperativ. ܐܦܝ cum hvasˢa, ܐܦܘ, ܐܦܝ, ܐܦܝܢ etc., et apud Occidentales ܐܦܝ, ܐܦܘ etc. juxta regulam imperativi ܡܢܝ (n. 351). Infinitivus ܡܐܦܐ, et apud Orientales ܡܐܦܐ. Particip. activ. ܐܦܐ. Partic. pass. ܐܦܐ, ܐܦܝܢ, ܐܦܝܐ, ܐܦܝܢ ad normam ܐܡܠ et ܐܡܢ. Et ita conjugatur quoque ܐܠܐ.

378 — Conjugatio verbi ܐܠܨ in præt. ܐܠܨ, ܐܠܨܘ, ܐܠܨܬ, ܐܠܨܬܘܢ etc. ܐܠܨܬ....usque ad ܐܠܨܢ, ܐܠܨܢ vel ܐܠܨܢܢ. Reliqua sunt regularia ad normam ܐܡܠ (n. 303).

379 — Scilicet in aoristo fit ܢܐܠܘܨ, in imper. ܐܠܘܨ, idque tum apud Orientales tum apud Occidentales. Duo alia verba ܐܟܡ et ܐܪܥ conformantur conjugationi ܐܠܨ.

(1) Ptʰahʰa Orientalium correctior est quam zlama Occidentalium, teste antiquissima dialecto Babylonensi quæ dicitur Chaldaica.

VII – DE VERBO INFLEXIBILI ܐܺܝܬ (1)

380 – Hoc unicum verbum inflexibile penes Syros extat nempe ܐܺܝܬ, et significat *est* simpliciter. Quando solum sine suffixo adhibetur, est ad instar copulæ inter subjectum indeterminatum et attributum respondetque Italico *ci è*, Gallico *il y a*, Anglico *there is*, v. gr. ܗܳܪܟܳܐ ܐܺܝܬ ܢܶܫ̈ܶܐ (*hic sunt mulieres*), ܒܒܰܝܬܳܐ ܐܺܝܬ ܒܰܪܢܳܫܳܐ (*est homo in domo*); Gallice : *il y a ici des femmes, il y a un homme à la maison.*

Quando vero ܐܺܝܬ connectitur cum suffixis, tunc indicat copulam inter subjectum determinatum et ejus attributum, ad instar pronominum personalium separatorum apud Arabes uti in exemplo هذا هو جاري (*hic est vicinus meus*), seu ad instar verbum *esse* apud Latinos. Porro suffixa subjunguntur voci ܐܺܝܬ modo pluralium scilicet ut sequitur : ܐܺܝܬܰܘܗ̱ܝ *est*, ܐܺܝܬܰܝܗܽܘܢ *sunt*, ܐܺܝܬܶܝܗ̇ *est* f., ܐܺܝܬܰܝܗܶܝܢ *sunt* f., ܐܺܝܬܰܝܟ *es*, ܐܺܝܬܰܝܟܽܘܢ *estis*, ܐܺܝܬܶܝܟܝ *es* f., ܐܺܝܬܰܝܟܶܝܢ *estis* f., ܐܺܝܬܰܝ *sum*, ܐܺܝܬܰܝܢ *sumus* (2).

(1) Ista vox extat apud Hebræos יֵשׁ (n. 91) sed apud Arabes excidit. Imo in omnibus fere linguis priscis existit, siquidem copula inter subjectum et attributum in linguis Indorum, Persarum, Latinorum, Græcorum, Germanorum exprimitur per verbum substantivum *est*. Vides igitur ܐܺܝܬ Syrorum fuisse in origine ܐܺܝܬܰܝ.

(2) Quemadmodum ܐܺܝܬ erat in origine ܐܺܝܬܰܝ, ita quoque ܠܰܝܬ

381 — In negatione pro ܐܺܝܬ݂ ܠܳܐ dicitur etiam ܠܰܝܬ݂ per contractionem. Et huic etiam ܐܺܝܬ݂ subjunguntur prorsus ut ܐܺܝܬ݂ suffixa, sequenti modo: ܠܰܝܬ݂ܰܘܗ݈ܝ *non est*, ܠܰܝܬ݂ܰܝܗܽܘܢ *non sunt*, ܠܰܝܬ݂ܶܝܗ̇ *non est* fœm., ܠܰܝܬ݂ܰܝܗܶܝܢ *non sunt* f., ܠܰܝܬ݂ܳܟ݂ *non es*, ܠܰܝܬ݂ܰܝܟ݂ܽܘܢ *non estis*, ܠܰܝܬ݂ܶܟ݂ܝ *non es* f., ܠܰܝܬ݂ܰܝܟ݂ܶܝܢ *non estis* f., ܠܰܝܬ݂ܝ *non sum*, ܠܰܝܬ݂ܰܝܢ *non sumus*.

CAPUT X

DE DERIVATIS NOMINALIBUS

I — DE INFINITIVO NOMINALI

382 — Jam vidimus (n. 281) duos esse infinitivos penes Syros, alterum verbalem, alterum nominalem; huncque (qui est nomen substantivum abstractum) certam regulam non sequi sed multas habere formas, seu typos, a verbis derivatos. Quapropter hic præcipuos

est pro ܠܰܝܫ, quæ quidem vox ܠܰܝܫ extat penes Arabes لَيْسَ, quamvis ipsi non servaverint ܐܝܫ a quo derivat ܠܰܝܫ, quoque erat إِيس. Ceterum analogia exigit ut dicatur arabice أَيْثٌ cum t^h, quia s^hin Hebræi cum quod est taw Syriace, est semper (ثـ) t^h arabice; ex. gr. Hebr. ܫܘܪ, Syr. ܬܘܪ, Arab. ثور. Rarissimum exemplum defectionis in lingua Arabica!

typos hujusmodi infinitivi nominalis colligere operæ pretium existimamus, in quo negotio adhibebimus, de more, paradigma فعل Arabicum majoris claritatis ergo. Præcipui itaque infinitivorum nominalium typi sunt (1):

1 – فَعْل v. gr. ܛܥܡܐ *(gustus)*, ܢܘܚܐ *(quies)*, ܚܫܐ *(passio)*.

2 – فِعْل v. gr. ܩܛܠܐ *(occisio)*, ܫܒܝܐ *(captivitas)*, ܕܝܢܐ *(judicium)*, ܛܒܐ ex radice geminata *(fama)*.

3 – فُعْل v. gr. ܫܘܒܒܐ *(vicinitas)*, ܥܘܡܣܐ *(onus)*, ܐܘܟܠܐ *(manducatio)*, ܒܘܚܢܐ *(examen)*, ܚܘܒܐ ex radice geminata *(dilectio)*.

4 – فَعْلَة v. gr. ܐܒܕܢܐ *(perditio)*, ܢܘܡܢܐ *(dormitatio)*, ܚܝܘܬܐ *(vita)*.

5 – فِعْلَة v. gr. ܪܚܡܬܐ *(amicitia)*, ܫܐܠܬܐ (2), *(quæstio)* ܒܙܬܐ gemin. *(prædatio)* ܨܦܬܐ ex radice pe-jod[h] pro ܝܨܦܬܐ *(cura)*, ܣܢܐܬܐ (3) *(odium)*, ܠܐܘܬܐ ex radice ain hamza et lamad[h] defectivo *(labor)*.

(1) Exempla, quantum poterimus, ex verbis sanis et ex diversis generibus verborum non sanorum exhibebimus.

(2) Orientales more suo dicunt ܫܐܠܬܐ per mhagjanam cum zlama leni ad ܫ et ܠ et cum ingeminatione ac ܬ. Occidentales vero plerumque pronunciant ܠ cum rvassa, unde dicunt ܫܐܠܬܐ.

(3) Per mhagjanam i. e. per adjectionem zlamæ lenis ad ܣ et per ingeminationem ܣ ac ܬ apud Orientales.

6 — فَعْلَة v. gr. ܒܘܪܟܬܐ (*benedictio*), ܐܘܚܕܬܐ (*aenigma*).

7 — فُعْلَة v. gr. ܣܒܪܬܐ (*anuntiatio*), Cf. n. 102 ܡܕܥܬܐ (*scientia*) Cf. n. 103.

8 — فِعْلَة v. gr. ܪܓܫܬܐ (*sensatio*), ܡܙܘܦܬܐ (*mutuum*) n. 103.

9 — فَعَلَة v. gr. ܒܥܘܬܐ, ܨܠܘܬܐ (*oratio*).

10 — فَعَال v. gr. ܥܒܕܐ (*operatio*), ܚܢܢܐ (*misericordia*), ܫܪܝܐ (*absolutio*), ܗܘܝܐ (*existentia*), ܐܝܩܪܐ (*veneratio*) Cf. n. 103.

11 — فَعُول v. gr. ܙܩܘܪܐ (*textura*).

12 — فَعِيل v. gr. ܪܬܝܬܐ (1) (*tremor*) a ܪܬ geminata.

13 — فُعَالَة v. gr. ܛܥܡܬܐ (*gustus*), ܫܠܝܬܐ (*quies*), ܒܥܬܐ defect. in lamadh (*petitio*), ܟܐܬܐ a radice hamzata in ʿain et defectiva in lamadh (*increpatio*).

14 — فَعِيلَة v. gr. ܥܒܝܕܬܐ (*facinus*), ܚܛܝܬܐ (*peccatum*) pro ܚܛܝܝܬܐ cum duobus jodh, ܟܝܒܬܐ (*malum*) pro ܟܐܝܒܬܐ a ܟܐܒ.

15 — فَعُولَة v. gr. ܡܫܘܚܬܐ (*mensura*), ܣܢܝܬܐ (*odium*) pro ܣܢܘܬܐ cum duobus waw.

16 — فَعُولاء v. gr. ܥܪܘܩܝܐ (*fuga*).

(1) Cum zlama dura apud Orientales.

17 – فِعال v. gr. ܣܬܘܪܐ (*patrocinium*).

18 – فُعّال v. gr. ܫܘܕܠܐ (*adulatio*), ܫܘܓܠܐ (*lotio*), ܟܘܢܫܐ (*conventio*), ܟܘܘܢܐ (*reprehensio*), ܒܘܠܒܠܐ (*confusio*), ܚܘܘܝܐ (*demonstratio*); formatur regulariter a quolibet verbo in forma ܦܥܠ.

19 – فَعّلة v. gr. ܗܠܟܬܐ (*iter*, *deambulatio*).

20 – فَعْلان v. gr. ܝܩܕܢܐ (*incendium*), ܐܒܕܢܐ (*perditio*).

21 – فُعْلان v. gr. ܚܘܠܡܢܐ (*sanitas*), ܝܘܬܪܢܐ (*utilitas*), ܐܘܚܕܢܐ (*provincia*).

22 – فِعلان v. gr. ܪܝܫܢܐ (*excellentia*).

23 – فُعلال v. gr. ܫܘܓܪܬܐ (*conflagratio*), ܦܘܣܦܣܬܐ (*dilaniatio*), ܬܘܗܡܬܐ (*stupor*), ܫܘܘܕܝܐ (*promissio*): efformatur regulariter a quovis verbo habente quatuor litteras.

24 – فَعلالة v. gr. ܬܘܪܣܝܬܐ (*alimentum*).

25 – تَفعال v. gr. ܬܘܣܦܬܐ (*additio*).

26 – تَفعيل v. gr. ܬܫܢܝܩܐ (*cruciatus*).

27 – تَفعول v. gr. ܬܟܬܘܫܐ (*pugna*).

28 – تَفعِلة v. gr. ܬܟܫܦܬܐ (1) (*supplicatio*), ܬܕܟܝܬܐ (*purificatio*), ܬܘܕܝܬܐ (*confessio*), ܬܪܥܝܬܐ (*intentio*), ܬܫܡܫܬܐ (*ministerium*).

(1) Apud Orientales cum pthahha pro zlama.

29 - تفعلة v. gr. ܐܬܚܢܢܬܐ *(pietas)*, ܐܬܛܘܫܬܐ *(impuritas)*.

30 - تفعلة v. gr. ܐܬܕܡܘܪܬܐ *(miraculum)*, ܐܬܪܥܘܬܐ defectivo lamadh *(satisfactio)*, ܐܬܟܬܫܘܬܐ *(pugna)*.

31 - تفعالة v. gr. ܐܘܚܪܬܐ *(cunctatio)*.

32 - مفعِل v. gr. ܡܕܡܟܐ *(dormitio)*, ܡܫܬܚܐ *(potio)*, ܡܥܠܐ gemin. *(ingressus)*, ܡܦܩܐ pe-nun *(egressio)*, ܡܐܬܝܐ *(adventus)*, ܡܐܙܠܐ *(discessio)*, ܡܐܡܪܐ *(sermo)*, ܡܩܡܐ *(statio)*.

33 - مفعلة v. gr. ܡܚܫܒܬܐ *(cogitatio)*, ܡܘܗܒܬܐ *(donum)*, ܡܚܬܬܐ *(descensus)*, ܡܣܩܬܐ pro ܡܣܠܩܬܐ *(ascensus)*.

34 - مفعلة v. gr. ܡܪܥܝܬܐ *(grex)*, ܡܐܬܝܬܐ *(adventio)*.

35 - مفعلة v. gr. ܡܐܟܘܠܬܐ *(cibus)*, ܡܦܘܠܬܐ pe-nun *(lapsus)*, ܡܨܘܬܐ pe-nun et defectivo in lamadh *(litigium)*, ܡܪܫܝܢܘܬܐ *(accusatio)*, ܡܪܩܕܘܬܐ *(luctus)*.

36 - مفعال v. gr. ܡܕܢܚܐ *(oriens)*, ܡܥܪܒܐ *(occidens)*, ܡܘܠܕܐ *(nativitas)*, item ܡܣܩܐ *(ascensus)*, ܡܦܩܐ *(egressus)*, ܡܥܠܐ *(ingressus)*, in quibus tribus ultimis exemplis elisa fuit una littera quæque sunt pro ܡܣܠܩܐ, ܡܢܦܩܐ, ܡܥܠܠܐ.

37 - مفعالة v. gr. ܡܐܣܘܪܬܐ *(ligamen)*.

383 – Præterea ex adjectivis imo substantivis solent Syri nomen concretum eandem rationem habens ac infinitivum nominalem universali regula efformare, scilicet suffigendo ultimæ litteræ nominis vel adjectivi taw feminini carentis ʿsˢasˢam longam, et addendo terminationem in ܬܐ: unde plurima et fere innumera nova substantiva oriuntur. Sic v. gr. formant ex ܩܕܝܫܐ *(sanctus)* ܩܕܝܫܘܬܐ *(sanctitas)*, ex ܫܘܬܦܐ *(particeps)* ܫܘܬܦܘܬܐ *(participatio)*, ex ܒܪܘܝܐ *(creator)* ܒܪܘܝܘܬܐ *(qualitas creatoris)*, ex ܡܫܝܚܐ *(unctus)* ܡܫܝܚܘܬܐ *(unctio)*, ex ܛܠܝܐ *(puer)* ܛܠܝܘܬܐ *(pueritia)*, ex ܟܘܡܪܐ *(sacerdos)* ܟܘܡܪܘܬܐ *(sacerdotium)*, ex ܢܒܝܐ *(propheta)* ܢܒܝܘܬܐ *(prophetia)*, ex ܚܠܝܐ *(dulcis)* ܚܠܝܘܬܐ *(dulcedo)*, ex ܡܠܟܐ *(rex)* ܡܠܟܘܬܐ *(regnum)*, ex ܫܝܛܐ *(vilis)* ܫܝܛܘܬܐ *(vilitas)*, ex ܡܪܚܡܢܐ *(misericors)* ܡܪܚܡܢܘܬܐ *(misericordia)*, ex ܡܘܕܝܢܐ *(confessor)* ܡܘܕܝܢܘܬܐ *(confessio)*, ex ܡܬܚܙܝܢܐ *(visibilis)* ܡܬܚܙܝܢܘܬܐ *(visibilitas)*, ex ܡܣܝܒܪܢܐ *(tolerabilis)*, ܡܣܝܒܪܢܘܬܐ *(tolerabilitas)*, ex ܡܫܬܡܥܢܐ *(obediens)* ܡܫܬܡܥܢܘܬܐ *(obedientia)*, ex ܡܫܡܠܝܐ *(perfectus)* ܡܫܡܠܝܘܬܐ *(perfectio)*, ex ܡܫܬܥܒܕܢܐ *(submissus)* ܡܫܬܥܒܕܢܘܬܐ *(submissio)*, ex ܛܒܐ *(bonus)* ܛܒܘܬܐ *(bonitas)*, ex ܒܝܫܐ *(malus)* ܒܝܫܘܬܐ *(malitia)*, ex

ܟܡܝܪܐ (*miser*) ܟܡܝܪܘܬܐ (*miseria*). Excipe ܬܝܒܘܬܐ (*pœnitentia*), ex ܬܝܒܐ (*pœnitens*); ܣܝܒܘܬܐ (*senectus*), ex ܣܒܐ (*senex*); ܐܝܬܝܘܬܐ (*existentia*), ex ܐܝܬܝܐ (*ens*); ܗܝܡܢܘܬܐ (*fides*), ex ܡܗܝܡܢܐ (*fidelis*). Item dicitur ܡܙܗܪܘܬܐ cum ptʰahʰa ad ܡ (*admonitio*) quamvis verbum sit ܐܙܗܪ (*admonuit*).

Quemadmodum autem notio negativi in adjectivis exprimitur per ܠܐ quæ adjectivo copulatur ita intime ut unum fere vocabulum forment, ut ܠܐ ܡܝܩܪܐ (*inhonestus*), ܠܐ ܡܗܝܡܢܐ (*infidelis*), ita ipsa ܠܐ nomini abstracto copulatur ad significandam illius negationem seu inexistentiam, ut ܠܐ ܒܪܢܫܘܬܐ (*inhumanitas*), ܠܐ ܗܝܡܢܘܬܐ (*infidelitas*).

II — DE FORMIS ADJECTIVORUM EORUMQUE FLEXIONE

384 — Formæ adjectivorum apud Syros ut apud Arabes sunt multæ, pro quorum tamen applicatione singulis casibus certa regula assignari nequit, si excipias adjectiva quæ proveniunt a radicibus trilitteris nudis, inter quæ nihilominus plurima anomala sunt. Porro adjectivorum alia significationem activam, alia passivam habent; sola praxis ad dignoscenda activa a passivis te adjuvare potest. Excipe tamen adjectiva quæ natura sua indicunt sensum activum ut participium activum, vel sensum passivum ut participium passivum. Plurima inter adjectiva habent significationem amplificationis alterius adjectivi aut verbi a quo derivatur.

385 – Pro majori claritate hic exhibemus diversas formas adjectivorum, adhibito, de more, paradigmate نعل Arabico :

1 – فَعْل cum *a*, *u*, vel *i*. Plurima quæ habent *a* ; ex. gr. ܫܠܡܐ (*sanus, perfectus*), ܫܘܝܐ (*æqualis*), ܪܒܐ (*magnus*), ܚܝܐ (*vivus*); hæc forma est prævalens in adjectivis quorum radix est defectiva in lamadh, v. gr. ܩܕܝܫܐ (*sanctus*), ܕܟܝܐ (*purus*), ܓܠܝܐ (*evidens*). Adjectiva quorum radix est concava habent plerumque zqafam pro pthahha ad primam radicalem, verb. grat. : ܛܒܐ (*bonus*), ܣܒܐ (*senex*), ܪܡܐ (*altus*). Rarissima sunt quæ habent *u* ut ܟܘܪܐ (*incultus*), ܚܪܫܐ (*surdus*), vel *i*, ut ܣܟܠܐ (*fatuus*), ܟܐܢܐ (*justus*) pro ܟܐܢܐ cum zlama leni.

2 – فاعل v. gr. ܟܪܘܡܐ (*viticola*), ܐܣܝܐ (*medicus*), ܪܘܝܐ (*ebrius*), ܣܢܐܐ (1) mutando litteram infirmam in hamzam (*osor*).

3 – فعيل ex. gr. ܚܣܝܢܐ (*munitus, inaccessus*), ܒܟܝܐ (*flebilis*), ܥܒܝܫܐ (*spissus*). Adjectiva hujus formæ quæ derivantur a radice habente initio hamzam assumunt pthahham ad pe, quin tamen ingeminetur littera sequens vel aspera reddatur si est ex litteris ܒܓܕܟܦܬ v. gr. ܐܒܝܠܐ (*lugens*), ܐܓܝܪܐ (*mercenarius*),

(1) Cave ne scribas ut nonnulli ܣܢܝܐܐ.

ܐܟܝܠܐ (*manducatus*). Adjectiva hujus formæ quæ secundam radicalem habent hamzam vel litteram infirmam, secundam radicalem amittunt, v. gr. ܕܝܢܐ (*judicatus*), pro ܕܐܝܢܐ, ܒܝܫܐ (*malus*) pro ܒܐܝܫܐ. Adjectivorum ejusdem formæ quæ pertinent ad radicem defectivam in lamadh littera infirma est semper jodh quæ tamen scribitur alaf, v. gr. ܣܢܝܐ (*odibilis*), l. *snijâ*.

4 — فَعُول v. gr. ܪܚܘܡܐ (*dilectus*), ܙܥܘܪܐ (*parvus*).

5 — فَعَّال cum pthahha v. gr. ܢܓܪܐ (*faber*, *lignarius*), ܓܝܣܐ (*latro*), ܛܢܢܐ (*zelator*), ܚܙܝܐ (*videns*), ܥܘܠܐ (*iniquus*). Vel cum ʿsassa, v. gr. ܣܘܡܩܐ (*ruber*), ܐܘܟܡܐ (*niger*). Vel cum zlama, ut ܚܘܪܐ (*albus*).

6 — فَعَّال ex. gr. ܓܒܚܐ (*calvus*), ܫܒܒܐ (*vicinus*).

7 — فَعِيل ex. gr. ܪܚܝܩܐ (*remotus*), ܗܢܝܐ (1) (*jucundus*), ܥܫܝܢܐ (*fortis*), ܐܒܝܕܐ cum beth aspero, et apud Orientales in geminato (*perditus*), ܡܝܬܐ (*mortuus*), ܡܐܢܝܐ (*piger*), ܐܬܝܐ (*veniens*).

8 — فَعُول v. gr. ܥܡܘܛܐ (*obscurus*), ܩܕܘܡܐ (2) (*præfactus*).

9 — فاعول v. gr. ܥܒܘܕܐ (*factor*), ܩܪܘܝܐ (*lector*), ܣܡܘܟܐ (*auctor*), ܒܙܘܙܐ (*prædator*).

(1) Alaf pronunciatur ut jodh.

(2) Occidentales dicunt ܩܕܘܡܐ cum zqafa ad ܩ.

10 – فَعْلال v. gr. ܦܰܪܢܳܣܳܐ (*gubernator*), ܬܰܪܓܡܳܢܳܐ (*interpres*), ܫܰܘܬܳܦܳܐ (*particeps*), ܪܰܥܝܳܢܳܐ (*pastor*).

11 – فَعْلان v. gr. ܪܰܚܡܳܢܳܐ (*misericors*), ܣܰܢܝܳܢܳܐ (*malignus*), ܟܰܪܣܳܢܳܐ (*ventruosus*).

12 – فَعْلاي tantum ex radice defectiva in lamadh, v. gr. ܒܰܪܳܝܳܐ (*anachoreta*), ܫܰܪܝܳܝܳܐ (*novitius*), ܟܽܘܫܳܝܳܐ (*alienigena*), ܚܰܪܝܳܝܳܐ (*litigiosus*), ܐܰܟܣܢܳܝܳܐ (*peregrinus*).

13 – فُعْلان v. gr. ܚܨܽܘܦܳܢܳܐ (*procax*).

14 – فَعُولَتان v. gr. ܒܰܪܽܘܪܬܳܢܳܐ (*impudens*).

15 – فعالتان v. gr. ܩܪܳܒܬܳܢܳܐ (*bellicosus*) pro ܩܪܳܒܬܳܢܳܐ cum zqafa.

16 – فَعْلَتان cum *a*, v. gr. ܫܰܠܛܬܳܢܳܐ (*fortis*); vel cum *e*, v. gr. ܫܶܘܗܪܬܳܢܳܐ (*superbus*), ܪܶܓܬܳܢܳܐ (*cupidus*).

17 – فَعُولتان v. gr. ܝܰܕܽܘܥܬܳܢܳܐ (*peritus*), ܦܰܐܝܽܘܬܳܢܳܐ (*magnificus*).

18 – فَعْلَلان v. gr. ܬܰܪܓܡܳܢܳܐ (*interpres*), ܫܰܒܗܪܳܢܳܐ (*superbus*).

19 – فَعَلان v. gr. ܡܰܒܠܳܢܳܐ (1) (*piger*).

20 – مفعلان v. gr. ܡܫܰܡܠܝܳܢܳܐ (*perfectus*), ܡܕܰܒܪܳܢܳܐ (*director*), ܡܚܰܣܢܳܢܳܐ (*fortificator*), ܡܫܰܝܓܳܢܳܐ (*lotor*).

(1) Apud Orientales ܒ habet zlamam.

21 - مُفَعِّلان v. gr. ܡܥܡܕܢܐ (*baptista*), ܡܘܒܕܢܐ (*exterminator*), ܡܝܬܝܢܐ (*allator*), ܡܚܫܢܐ (*passionem inferens*), ܡܟܣܢܐ (*reprehendens*), ܡܠܦܢܐ pro ܡܠܦܢܐ (*doctor*), ܡܩܝܡܢܐ (*constitutor*), ܡܚܝܢܐ (*vivificator*).

22 - مُفَعْلِلان v. gr. ܡܫܡܠܝܢܐ (*perfector*), ܡܫܥܒܕܢܐ (*subjugator*), ܡܣܝܒܪܢܐ (*animo constans heros*).

23 - ܡܫܘܕܥܬܐ aut ܡܫܘܕܥܬܐ cum taw emphatico, ut ܡܘܕܥܬܐ (*familiaris, notus*), ܡܚܣܢܬܐ (*cognatus hæres*).

24 - فَعْلَلِيل v. gr. ܡܫܡܠܠܐ (*perfectus*), ܥܩܠܩܠܐ (*tortuosus*).

Si rite istas formas adjectivorum perpendas, vides eas numero longe superare formas adjectivorum Arabicas, easque, etsi sint paucæ pro adjectivis derivatis a radicibus nudis, tamen pro adjectivis quæ a radicibus auctis derivantur multas esse. Præterea animadverte formam nominalem أَفْعَل frequentem apud Arabes nullomodo reperiri apud Syros. Tandem adjectiva concava et defectiva in lamadh in omnibus recensitis formis habere loco litteræ infirmæ litteram jodh, excepto adjectivo ܠܘܛܐ propterea quod derivatur a verbo ܐܠܘܛ quod anomalum est in sua formatione.

Porro licet pro adjectivis adhibere ex verbis activis sive nudis sive auctis participium activum, dummodo participium construatur cum suo nomine accusativo per constructionem regiminis, (n. 172), v. gr. ܦܬܚ ܬܪܥܐ

(nectens coronas), ܒܳܨܶܐ ܠܶܒ̈ܶܐ *(scrutator cordium)*, ܡܰܫܕܶܐ ܡ̈ܰܝܳܐ *(effundens aquas)*, ܡܦܰܫܩܳܐ ܐܘܪܚܳܐ *(explanans viam)*, ܡܗܰܠܟ݂ܳܐ ܡܶܢ ܢܰܦܫܶܗ *(deambulans ex se)*. Ex verbis activis nudis licet adhibere pro adjectivo participium passivum sive sensu activo sive passivo (Cf. n. 298) v. gr. ܐܰܚܺܝܕ ܟܽܠ *(tenens omnia* i. e. *omnipotens)*, ܠܒܺܝܫ ܢܘܗܪܳܐ *(amplectens lucem)*, ܐܳܬܶܐ ܡܶܢ ܢܰܦܫܶܗ ΑΥΤΟΚΛΗΤΟΣ *(sponte veniens)*.

386 – Porro adjectiva flectuntur prorsus eodem modo ac nomina substantiva (n. 183), sic dicitur v. gr. ܡܫܰܠܡܳܐ, ܡܫܰܠܡܬܳܐ, ܡܫܰܠܡ̈ܶܐ, ܡܫܰܠܡ̈ܳܬܳܐ; item ܐܠܳܗܳܝܳܐ, ܐܠܳܗܳܝܬܳܐ, ܐܠܳܗܳܝ̈ܶܐ, ܐܠܳܗܳܝ̈ܳܬܳܐ. In contractis dices: ܡܫܰܠܰܡ, ܡܫܰܠܡܳܐ, ܡܫܰܠܡܺܝܢ, ܡܫܰܠܡ̈ܳܢ; et ܐܠܳܗܳܝ, ܐܠܳܗܳܝܬܳܐ, ܐܠܳܗܳܝܺܝܢ, ܐܠܳܗܳܝܳܢ. Adjectiva vero quæ sunt participia, in contractione sequuntur semper regulas traditas n. 172 et 177, v. gr. ܢܳܛܰܪ ܓܰܢܬܳܐ *(custos horti)*, ܢܳܛܪܰܬ ܓܰܢܬܳܐ, ܢܳܛܪ̈ܰܝ ܓܰܢܬܳܐ, ܢܳܛܪ̈ܳܬ ܓܰܢܬܳܐ.

III – DE NOMINIBUS LOCI ET TEMPORIS NEC NON DE NOMINE INSTRUMENTI


387 – Solet deduci ex plurimis verbis nomen quod indicat tempus vel locum in quibus actio verbi contingit vel est res: frequentius formatur hujusmodi nomen loci vel temporis ad normam typi ܡܰܦܥܠܳܐ مَفْعِل, observatis regulis supra expositis de immutatione vel

elisione vel contractione in radicibus pe-nun, vel geminatis vel hamzatis vel infirmis etc. v. gr. ex radice sana ܡܩܕܫܐ *(sanctuarium)*, ܡܕܢܚܐ *(oriens)*; ex rad. pe-inf. ܡܘܬܒܐ *(sessio)*; ex rad. gem. ܡܥܠܠܐ *(locus ingrediendi)*; ex rad. pe-nun ܡܦܩܐ *(locus egrediendi)*; ex anomalis ܡܣܩܐ pro ܡܣܠܩܐ *(ascensus)*; ex radice lamadh inf. ܡܫܪܝܐ *(habitaculum)*; ex rad. concava ܡܩܡܐ *(statio)*.

Sæpe uti in Arabica lingua etiam in Syriaca loci nomen assumit ܬ finale, v. gr. ܡܫܪܝܬܐ *(castra)*, ܡܛܫܝܘܬܐ *(latebra)*, ܡܥܒܪܬܐ *(pons, transitus)*.

388 — Frequentissime tamen pro nomine loci adhibent Syri vocem ܒܝܬ sequente infinitivo, v. gr. ܒܝܬ ܐܣܝܪܘܬܐ *(carcer)*, ܒܝܬ ܩܒܘܪܐ *(cœmeterium)*, ܒܝܬ ܓܘܣܐ *(asylum)*, ܒܝܬ ܕܝܢܐ *(tribunal)*, ܒܝܬ ܓܙܐ *(gazophilacium)*, ܒܝܬ ܒܟܝܐ *(domus fletus, luctus)*. Quæ vox ܒܟܝܐ nonnisi in plurali adhibetur, construitur autem juxta regulam pluralium, ut ܒܝܬ ܒܟܝܢ *(luctus noster)*. Interdum ܒܝܬ redundat ante nomen loci, v. gr. ܒܝܬ ܡܥܪܩܐ *(effugium)*, ܒܝܬ ܡܥܡܪܐ *(habitaculum)*. Quandoque adhibetur ܒܝܬ pro nomine temporis, v. gr. ܒܝܬ ܝܠܕܗ ܕܡܪܢ *(natalitia Domini nostri)*, ܒܝܬ ܒܟܝܐ *(tempus luctus)*.

389 — Nomen instrumenti plerumque formatur juxta typos Arabicos præcipue juxta مفعال v. gr. ܡܟܚܘܠܐ *(instrumentum pro stibio linendo)*, ܡܠܩܘܛܐ *(instrumentum pro legendis pilis* etc.*)* in rad. pe-nun excidit nun, v. gr. ܡܣܘܪܐ *(serra)*. Interdum juxta مفعل, v. gr. ܡܪܘܚܐ *(ventilabrum)*, ܡܓܠܐ *(falx)* pro ܡܢܓܠܐ.



CAPUT XI

DE SUFFIXIS VERBORUM

I — PRÆLIMINARIA DE SUFFIXIS IN GENERE

390 — Vidimus lib. III cap. II pronomina personalia quæ suffiguntur nominibus et respondent pronominibus possessivis Latinorum, subnecti quoque verbis activis istorumque casum accusativum referre; confer quæ illic diximus. Jam vero quando suffiguntur verbis, tum ipsa suffixa tum verbum subeunt aliquam modificationem. Quædam tamen præmittenda sunt in genere antequam de ista modificatione agamus :

391 — Suffixa itaque solent esse quiescentia, et proinde necessario ultima littera verbi cui adjunguntur movenda est (n. 104), exceptis suffixis 2æ pers. plur. masc. ܟܘܢ et 2æ pers. plur. fœm. ܟܝܢ, quæ ex eo quod incipiunt a motione non movent ultimam litteram verbi cui suffiguntur. Memineris autem jodh 1æ personæ sing.

assumere semper cum verbis post se nun adscititium, per quod 1ª pers. sing. confunditur semper cum prima pers. plur.

392 — Pronomina personalia 3æ pers. plur. tum masc. tum fœm. non suffiguntur verbis, sed ipsa pronomina separata ܐܢܘܢ (*illi*) et ܐܢܝܢ (*illas*) pro suffixis adhibentur, v. gr. ܩܛܠܬ ܐܢܘܢ (*occidi eos*), ܩܪܝ ܐܢܝܢ (*voca eas*). Et proinde omnia quæ hic de suffixis tradituri sumus non pertinent ad hæc duo pronomina. (1)

393 — Pronomina suffixa nonnisi præterito, aoristo, imperativo et infinitivo verbali, minime vero infinito nominali suffiguntur et cum eis coalescunt. Suffixa itaque cum participio activo non coalescunt, sed illis præfigitur præpositio ܠ, v. gr. ܩܪܐ ܠܝ (*vocat me*), ܡܫܒܚܝܢܢ ܠܟ (*laudamus te*).

394 — Cum præteritum in tribus personis desinat in taw quod duos habet sonos, i. e. in 1ª sing., in 2ª sing. masc., et in 3ª sing. fœm., notandum est quod hæc littera adformativa fit lenis cum suffixo 3æ sing. fœm. v. gr. ܫܒܩܬܢܝ (*dereliquit* f. *me*), et aspera cum suffixis 1æ sing. et 2æ sing. masc. v. gr. ܫܒܩܬܟ (*dereliqui te*), ܫܒܩܬܟܘܢ (*dereliqui vos*), ܫܒܩܬܢܝ (*tu dereliquisti me*). Attamen taw adformativum 1æ sing. fit lene cum suffixis, quoties habet ante se hʰvasˢam (2) et verbum est trilitterum nudum, exemp. grat. ܩܛܠܬܟ

(1) Hæc duo pronomina usurpantur suffixa cum verbis in dialecto antiqua Chaldaica, dicitur enim, v. gr. ܩܛܠܬܢܘܢ , ܩܛܠܬܢܝܢ cum hwasˢa ad taw.

(2) Zlamam duram.

(vocavi te), minime vero si verbum non sit trilitterum nudum etiam si taw veniat post hhvassam, ut ܚܘܝܬܟ *(ostendi tibi)*, ܚܘܝܬܟܘܢ *(ostendi vobis)*.

II — DE SUFFIXIS PRÆTERITI

395 — Præteritum quando suscipit suffixa, reassumit in sua conjugatione pro singulis personis desinentias primitivas, quales habentur in Arabica lingua, scilicet : littera adformativa 1æ plur. assumit zqafam quod æquivalet fathhæ Arabicæ productæ ; adformativa 2æ pers. sing. masc. adsumit quoque zqafam ; 2æ sing. fœm. adscissit hhvassam quod respondet casræ Arabicæ ; adformativa 2æ plur. masc. suscipit zqafam productam pro dsamma Arabica quæ afficit desinentiam hujus personæ apud Arabes, quæ quidem dsamma plerumque est producta; adformativa 2æ plur. fœm. assumit etiam zqafam ; adformativa 3æ plur. masc. adscissit ɪssassam, et propterea quiescit littera quæ est ante waw, et reapparet vocalis litteræ quæ præcedit istam litteram quiescentem (n. 104); tandem adformativa 3æ plur. fœm. restituitur et assumit zqafam; licet tamen ad libitum hoc nun supprimere sed tunc adjicitur zqafa ultimæ litteræ verbi cum suffixis 1æ personæ tum sing. tum plur. et 2æ pers. sing. masc. Adformativa autem taw 1æ sing. et taw 3æ sing. fœm. manent invariabiles. Sequens tabula elucidet hactenus exposita :

1a plur.	ܩܛܠܢܐ	*(occidimus)*
2a sing. masc.	ܩܛܠܬܐ	*(occidisti)*

2a sing. fœm. ܩܛܠܬܝ (*occidisti tu* fœm.)

2a plur. masc. ܩܛܠܬܘܢ (*occidistis*)

2a plur. fœm. ܩܛܠܬܝܢ (*occidistis vos* fœm.)

3a plur. masc. ܩܛܠܘ (*occiderunt*)

3a plur. fœm. ܩܛܠܐ (1) vel ܩܛܠܝܢ (*occiderunt ipsæ*)

Nota — Si hæc regula accurate præ oculis habeas, facile suffigere pronomina personalia verbo præterito poteris.

396 — Hisce præmissis, sint sequentes canones:

1 — Si persona quæ debet suscipere suffixum desinat in vocalem, i. e. una ex 7 quas mox exposuimus in tabella, vel 3a sing. masc. desinens in alaf post zqafam tunc nec verbum nec suffixum subit mutationem, excepto suffixo ܗ 3æ pers. sing. masc. quod assumit post se jodh et aliquando etiam ante se aliud jodh, v. gr. si 2æ personæ sing. masc. ܩܛܠܬ adjungas suffixum ܗ 3æ sing. masc., dices ܩܛܠܬܝܗܝ (2) (*occidisti cum*), in quo tamen ultimæ duæ litteræ ܗܝ otiantur (n. 225); item si 3æ plur. masc. ܩܛܠܘ suffigas idem

(1) In lingua Syr. Chaldaica, ultima radicalis præteriti in 3a plur. fœm. assumit zqafam cum alaf sequenti, v. gr. ܥܒܕܐ (*fecerunt f.*) pro ܥܒܕܝ est sufturata i. e. brevis.

(2) Syri olim igitur dicebant ܩܛܠܬܝܗܝ sed deinde suppresserunt in pronunciatione ܗ cum sua vocali.

suffixum ܗ, habebis ܩܛܠܘܗܝ (1), cum ܗ otiante (n. 225).

2 — Si persona præteriti quæ debet suscipere suffixum habeat ultimam litteram quiescentem, tunc hæc littera quiescens assumit pt^h^ah^h^am ante suffixum 1æ sing. (ܢܝ) nec non ante suffixum 1æ plur. (ܢ); assumit vero zqafam ante suffixum 2æ pers. sing. masc. (ܟ) nec non ante suffixum 3æ sing. fœm. (ܗ); assumit tandem zlamam ante suffixum 2æ sing. fœm. (ܟܝ) et ante suffixum 3æ sing. masc. (ܗ) : ante suffixa autem 2æ plur. masc. et fœm. manet quiescens ut vidimus (n. 228). Præterea quoties ultima præteriti ante suffixa assumit vocalem, tunc quiescere debet littera quæ illam præcedit (n. 104) ideoque littera quæ præcedit hanc litteram effectam quiescentem reassumit vocalem quam habebat in origine (n. 102). – Exemplum 1i sit ܐܘܕܥ *(notificavit)*, cui si adnectas suffixum 2æ sing. masc. (ܟ) debet ܥ assumere zqafam hinc quiescit ܕ, unde habes ܐܘܕܥܟ *(notificavit tibi)*. – Exemplum 2i sit ܩܛܠ *(occidit)*, cui si adnectas suffix. 3æ sing. fœm. (ܗ), non solum ܠ assumit zqafam, et ܛ quiescit, sed præterea ܩ reassumit pth^h^ah^h^am primitivam quæ exclusa erat propter pt^h^ah^h^am litteræ ܛ sequentis (n. 102) unde habebis ܩܛܠܗ *(occidit eam)*.

397 – Paradigma pronominum suffixorum verbo præterito :

(1) Syri olim dicebant ܩܛܠܘܗܝ, et postea suppresserunt in pronunciatione litteram ܗ conservantes tamen ejus vocalem.

A — Et primo personis præteriti quæ desinunt in litteram quiescentem :

1 — Suffixa adjuncta 3æ sing. masc.

A — Cum ܩܛܠ : ܩܛܠܢܝ (*occidit me*), ܩܛܠܢ (*occidit nos*), ܩܛܠܟ (*occidit te*), ܩܛܠܟܝ (*occidit te f.*), ܩܛܠܟܘܢ (*occidit vos*), ܩܛܠܟܝܢ (*occidit vos f.*), ܩܛܠܗ (*occidit eum*), ܩܛܠܗ (*occidit eam*). Ita quoque cum ܐܚܕ (*apprehendit*), ܐܚܕܢܝ, ܐܚܕܟ, ܐܚܕܟܘܢ, etc. Cum ܪܚܡ (*dilexit*) : ܪܚܡܢܝ, etc., ܪܚܡܟܘܢ etc., ܪܚܡܗ etc. Cum ܝܠܕ (*genuit*) : ܝܠܕܢܝ, ܝܠܕܟܘܢ etc.

B — Cum ܩܒܠ (*accepit*): ܩܒܠܢܝ etc., ܩܒܠܟ etc., ܩܒܠܟܘܢ etc. Cum ܐܣܪ : ܐܣܪܗ, ܐܣܪܟܘܢ etc.

C — Cum ܐܪܓܙ (*irritavit*) : ܐܪܓܙܢܝ etc. ܐܪܓܙܟ etc. ܐܪܓܙܟܘܢ etc.

D — Cum ܒܙ (*prædatus est*) : ܒܙܢܝ, ܒܙܢ, ܒܙܟ, ܒܙܟܝ, ܒܙܟܘܢ, ܒܙܟܝܢ, ܒܙܗ, ܒܙܗ.

E — Cum ܨܪ (*figuravit, pinxit*) : ܨܪܢܝ etc. ܨܪܟ etc. ܨܪܟܘܢ etc.

F — Cum ܚܘܝ (*ostendit*) : ܚܘܝܢܝ etc. ܚܘܝܟ etc. ܚܘܝܟܘܢ, ܚܘܝܟܝܢ, ܚܘܝܗ etc.

G — Cum ܐܪܦܝ (*laxavit, dimisit*) : ܐܪܦܝܢܝ etc. ܐܪܦܝܟܘܢ etc.

H – Cum ܐܰܪܺܝܡ (*extulit*) : ܐܰܪܺܝܡܰܢ etc. ܐܰܪܺܝܡܟ݂ܽܘܢ etc.

J – Cum ܒܰܝܺܐ (*solatus est*): ܒܰܝܺܐܰܢ etc. ܒܰܝܺܐܟ݂ܽܘܢ etc.

2 – Exempla pronominum suffixorum 3æ sing. fœm.

A – Cum ܩܶܛܠܰܬ݂ (*occidit* f.) : ܩܰܛܠܰܬ݂ܰܢܝ (*occidit* f. *me*), ܩܰܛܠܰܬ݂ܰܢ (*occidit* f. *nos*) , ܩܰܛܠܰܬ݂ܳܟ݂ (*occidit* f. *te*), ܩܰܛܠܰܬ݂ܶܟ݂ܝ (*occidit* f. *te* fœm.) , ܩܰܛܠܰܬ݂ܟ݂ܽܘܢ (*occidit* f. *vos*) , ܩܰܛܠܰܬ݂ܟ݂ܶܝܢ (*occidit* f. *vos* fœm.), ܩܰܛܠܰܬ݂ܶܗ (*occidit* f. *eum*) , ܩܰܛܠܰܬ݂ܳܗ (*occidit* f. *eam*). Ita quoque ܝܶܗܒܰܬ݂ (*dedit* f.) : ܝܰܗܒܰܬ݂ܰܢܝ, .. ܝܰܗܒܰܬ݂ܳܟ݂, ... ܝܰܗܒܰܬ݂ܟ݂ܽܘܢ (1), etc.

B – Cum ܪܶܚܡܰܬ݂ (*dilexit* f.) : ܪܚܶܡܬ݂ܰܢܝ etc. ܪܚܶܡܬ݂ܟ݂ܽܘܢ etc. Et sic etiam cum ܝܶܠܕܰܬ݂ (*genuit* fœm.): ܝܠܶܕܬ݂ܰܢܝ etc. ܝܠܶܕܬ݂ܟ݂ܽܘܢ etc. Et cum ܝܶܗܒܰܬ݂ (*dedit* f.) : ܝܗܰܒܬ݂ܶܗ , ܝܗܰܒܬ݂ܟ݂ܽܘܢ, etc.

C – Cum ܩܰܒܶܠܬ݂ (*accepit* f.) : ܩܰܒܠܰܬ݂ܰܢܝ etc. ܩܰܒܶܠܬ݂ܟ݂ܽܘܢ etc. Et cum ܫܰܒܰܚܬ݂ (*glorificavit* f.) : ܫܰܒܚܰܬ݂ܳܟ݂ , ܫܰܒܰܚܬ݂ܟ݂ܽܘܢ, etc.

D – Cum ܐܰܪܓ݂ܙܰܬ݂ (*irritavit* f.) : ܐܰܪܓ݂ܙܰܬ݂ܰܢܝ etc. ܐܰܪܓ݂ܙܰܬ݂ܟ݂ܽܘܢ etc. Cum ܐܰܫܡܥܰܬ݂ (*audire fecit* f.): ܐܰܫܡܥܰܬ݂ܶܗ, ܐܰܫܡܥܰܬ݂ܟ݂ܽܘܢ , etc.

(1) Orientales hic quoque elidunt litteram h in pronunciatione (n. 369).

E - Cum ܪܓܝܒܬ (*concupivit* f.) : ܪܓܝܒܬܢܝ etc., ܪܓܝܒܬܟܘܢ etc.

F - Cum ܨܪܬ (*pinxit* f.) : ܨܪܬܢܝ etc. ܨܪܬܟܘܢ etc.

G - Cum ܚܘܝܬ (*ostendit* f.) : ܚܘܝܬܢܝ etc., ܚܘܝܬܟܘܢ etc., utique cum pthʰahʰa ad jodʰ : Orientales tamen pro pthʰahʰa ubique habent zqafam sic : ܚܘܝܬܢܝ etc. ܚܘܝܬܟܘܢ etc.

H - Cum ܐܪܦܝܬ (*laxavit* f.) : similiter ac cum præcedenti : ܐܪܦܝܬܢܝ etc. ܐܪܦܝܬܟܘܢ etc. Orientales : ܐܪܦܝܬܢܝ etc.

I - Cum ܐܪܝܡܬ (*extulit* f.) : ܐܪܝܡܬܢܝ etc., ܐܪܝܡܬܟܘܢ etc.

J - Cum ܒܝܐܬ (*consolata est*) : ܒܝܐܬܢܝ etc., ܒܝܐܬܟܘܢ etc.

3 - Exempla suffixorum quæ adjunguntur 1æ personæ singulari.

A - Cum ܩܛܠܬ (*occidi*) : ܩܛܠܬܟ (*occidi te*), ܩܛܠܬܟܝ (*occidi te* fœm.), ܩܛܠܬܟܘܢ (*occidi vos*), ܩܛܠܬܟܝܢ (*occidi vos* fœm.), ܩܛܠܬܗ (*occidi eum*), ܩܛܠܬܗ (*occidi eam*).

B - Cum ܪܚܡܬ (*dilexi*) : ܪܚܡܬܟ etc., ܪܚܡܬܟܘܢ etc., et sic cum ܝܠܕܬ (*genui*). ܝܠܕܬܟ etc.

ܡܰܠܺܝܬܳܟ݂ܽܘܢ etc.

C – Cum ܩܶܒ݂ܠܶܬ (*accepi*) : ܩܰܒ݂ܠܶܬܳܟ݂ etc. ܩܰܒ݂ܠܶܬܟ݂ܶܝܢ, ܩܰܒ݂ܠܶܬܟ݂ܽܘܢ etc. et ita quoque cum ܫܰܒܰܚܶܬ (*glorificavi*) a ܫܰܒܰܚ : ܫܰܒܰܚܬܳܟ݂ etc. ܫܰܒܰܚܬܟ݂ܽܘܢ etc.

D – Cum ܐܰܪܓܶܙܶܬ (*irritavi*) : ܐܰܪܓܶܙܬܳܟ݂ etc. ܐܰܪܓܶܙܬܟ݂ܽܘܢ etc. ; item cum ܐܰܫܡܥܶܬ (*audire feci*) ex ܐܰܫܡܰܥ : ܐܰܫܡܰܥܬܳܟ݂ etc. ܐܰܫܡܰܥܬܟ݂ܽܘܢ etc.

E – Cum ܒܶܙܶܬ (*prædatus sum*) : ܒܙܰܬܳܟ݂ et cætera, ܒܙܰܬܟ݂ܽܘܢ etc.

F – Cum ܨܪܶܬ (*pinxi*) : ܨܽܪܬܳܟ݂ etc. ܨܪܰܬܟ݂ܽܘܢ etc.

G – Cum ܩܪܺܝܬ (*vocavi*) : ܩܪܺܝܬܳܟ݂ (cum ܬ leni), etc. ܩܪܺܝܬܟ݂ܽܘܢ etc.

H – Cum ܚܰܘܺܝܬ (*ostendi*) : ܚܰܘܺܝܬܳܟ݂ (cum ܬ aspero), etc. ܚܰܘܺܝܬܟ݂ܽܘܢ. Et sic de cæteris.

B – Exempla suffixorum quæ cum personis præteriti habentibus finales mobiles :

1 – Suffixa connexa cum 3ᵃ pers. sing. masc.

Cum ܩܪܳܐ (*vocavit*) : ܩܪܳܢܝ (*vocavit me*), ܩܪܳܢ (*vocavit nos*), ܩܪܳܟ݂ (*vocavit te*), ܩܪܳܟ݂ܝ (*vocavit te* f.), ܩܪܳܟ݂ܽܘܢ (*vocavit vos*), ܩܪܳܟ݂ܶܝܢ (*vocavit vos* f.), ܩܪܳܝܗ݈ܝ (*vocavit eum*), ܩܪܳܗ̇ (*vocavit eam*).

Nota — Verbum defectivum in lamad[h], cujus ultima radicalis in præt. est jod[h] habens ante se h[h]vas[s]am, non sequitur ܦܪܩ in suscipiendis suffixis, sed consideratur ut quiescens in fine, proinde suffixa cum verbo ܐܝܬܝ *(attulit)* : ܐܝܬܝܢܝ etc. ܐܝܬܝܟ, ܐܝܬܝܟܘܢ, etc. ܐܝܬܝܟܝܢ etc. Item cum ܫܘܝ etc.

2 — Suffixa quæ connectuntur cum 1ª pers. plur. Cum ܩܛܠܢ *(occidimus)* (ܩܛܠܢܢ): ܩܛܠܢܟ *(occidimus te)*, ܩܛܠܢܟܝ *(occidimus te* fœm.*)*, ܩܛܠܢܟܘܢ *(occidimus vos)*, ܩܛܠܢܟܝܢ *(occidimus vos* f.*)*, ܩܛܠܢܝܗܝ *(occidimus eum)*, ܩܛܠܢܗ *(occidimus eam)*.

3 — Suffixa cum 2ª pers. sing. masc. Cum ܩܛܠܬ *(occidisti tu)* (ܩܛܠܬܐ) : ܩܛܠܬܢܝ *(occidisti me)*, ܩܛܠܬܢ *(occidisti nos)*, ܩܛܠܬܝܗܝ *(occidisti eum)*, ܩܛܠܬܗ *(occidisti eam)*.

4 — Suffixa cum 2ª pers. sing. fœm. Cum ܩܛܠܬܝ *(occidisti tu* f.*)* (ܩܛܠܬܝ) : ܩܛܠܬܝܢܝ *(occidisti* f. *me)*, ܩܛܠܬܝܢ *(occidisti* f. *nos)*, ܩܛܠܬܝܗܝ *(occidisti* f. *eum)*, ܩܛܠܬܝܗ *(occidisti* f. *eam)*.

5 — Suffixa cum 2ª pers. plur. masc. Cum ܩܛܠܬܘܢ *(occidistis)*, (ܩܛܠܬܘܢܐ) : ܩܛܠܬܘܢܝ *(occidistis me)*, ܩܛܠܬܘܢ *(occidistis nos)*, ܩܛܠܬܘܢܝܗܝ *(occidisti eum)*, ܩܛܠܬܘܢܗ *(occidisti eam)*.

6 – Suffixa cum 2ª pers. plur. fœm.

Cum ܩܛܠܬܝܢ *(occidistis* f.*)* (ܩܛܠܬܝܢ̈) : ܩܛܠܬܝܢܢܝ *(occidistis* f. *me)* , ܩܛܠܬܝܢܗܝ *(occidisti* f. *eum)*, etc.

7 – Suffixa cum 3ª plur. masc.

A – Cum ܩܛܠܘ *(occiderunt)* (ܩܛܠܘ) : ܩܛܠܘܢܝ *(occiderunt me)* , etc. ܩܛܠܘܟ *(occiderunt te)* , ܩܛܠܘܟܝ *(occiderunt te* fœm.*)*, ܩܛܠܘܟܘܢ *(occiderunt vos)* , ܩܛܠܘܟܝܢ *(occiderunt vos* f.*)* , ܩܛܠܘܗܝ *(occiderunt eum)* , ܩܛܠܘܗ *(occiderunt eam)*. Cum ܪܡܫܘ, ܐܣܝܘ, ܡܠܝܘ dicitur ܪܡܫܘܢܝ, ܐܣܝܘܢܝ, ܡܠܝܘܢܝ, etc.

B – Cum ܩܒܠܘ *(acceperunt)* : ܩܒܠܘܢܝ etc. et sic cum ܐܪܓܙܘ *(irritarunt)* : ܐܪܓܙܘܢܝ etc. Item cum ܒܙܘ *(deprædati sunt)* : ܒܙܘܢܝ cum geminatione , etc.

C – Cum ܕܢܘ *(judicarunt)* : ܕܢܘܢܝ etc.

D – Cum ܐܪܝܡܘ *(extulerunt)* : ܐܪܝܡܘܢܝ , etc.

E – Cum ܒܝܐܘ *(solati sunt)* : ܒܝܐܘܢܝ (1) , etc.

F – Cum ܚܘܝܘ *(monstrarunt)* : ܚܘܝܘܢܝ , etc.

G – Cum ܩܪܘ *(vocarunt)* : ܩܪܐܘܢܝ etc., ܩܪܐܘܟ, ܩܪܐܘܟܝ , ܩܪܐܘܟܘܢ , ܩܪܐܘܟܝܢ , ܩܪܐܘܗܝ , ܩܪܐܘܗ. In his vocibus et similibus alaf legitur ut waw (n. 8).

(1) Lege *bâj'ûn* Arabicis figuris بَيَاوُن cum jodh quiescente , etsi Barhebræus dixerit jodh pronunciari cum ptʰahʰa , certe per distractionem.

Cave itaque ab errore quorumdam inter vulgus qui hæc et similia exempla cum duobus waw v. gr. ܩܪܘܘܗܝ perperam scribunt. Item dic de suffixis verb. ܚܘܘ (*ostenderunt*) ܚܘܘܢܝ etc.

Ista pers. 3ª plur. masc.

Cum suffixis potest etiam assumere ante suffixa nun redundans, unde sic : ܩܛܠܘܢܢܝ , ܩܛܠܘܢܝ , ܩܛܠܘܢܢ , ܩܛܠܘܢܟܝ , ܩܛܠܘܢܟܘܢ , ܩܛܠܘܢܟܝܢ , ܩܛܠܘܢܗܘܢ , ܩܛܠܘܢܗܝ . Et ita de cœteris.

8 – Suffixa cum 3ª plur. fœm.

A – Cum ܩܛܠܝܢ (*occiderunt* f.) (ܩܛܠܝ) : ܩܛܠܢܝ (*occiderunt* f. *me*), ܩܛܠܢ (*occiderunt* f. *nos*), ܩܛܠܟ (*occiderunt* f. *te*), ܩܛܠܟܝ (*occiderunt* f. *te* fœm.) ܩܛܠܟܘܢ (*occiderunt* f. *vos*), ܩܛܠܟܝܢ (*occiderunt* f. *vos* fœm.) ܩܛܠܝܗܝ (*occiderunt* f. *eum*), ܩܛܠܝܗ (*occiderunt* f. *eam*). Potest etiam dici aliter: ܩܛܠܝܢܢܝ etc., ܩܛܠܝܢܢ , ܩܛܠܝܢܟ , ܩܛܠܝܢܟܘܢ , ܩܛܠܝܢܟܝܢ , ܩܛܠܝܢܗܘܢ , ܩܛܠܝܢܗ . Adest quoque tertius modus suffigendi pronomina personalia huic personæ, per adjectionem litteræ nun primitivæ voci ܩܛܠܝ ante suffixa, unde : ܩܛܠܢܢܝ etc., ܩܛܠܢܢ , ܩܛܠܢܟ , ܩܛܠܢܟܘܢ , ܩܛܠܢܟܝܢ , ܩܛܠܢܗܘܢ etc.

Et item dic de verbis geminatis.

B – Cum ܩܒܠܝ (*acceperunt* f.) : ܩܒܠܢܝ cum beth quiescenti, ܩܒܠܟ etc. Aliter ܩܒܠܝܢܢܝ etc. cum zlama ad beth.

Et ita de omnibus verbis quæ constant quatuor litteris v. gr. ܐܘܪܒܢܝ (*magnificarunt* f. *me*), ܪܡܪܡܢܢܝ (*exaltarunt* f. *me*), ܫܥܒܕܢܢܝ etc.

C – Cum ܩܪܝ (*vocarunt* f.), (ܩܪܝܐ) : ܩܪܝܢܝ (*vocarunt* f. *me*), ܩܪܝܟ, ܩܪܝܟܝ, ܩܪܝܟܘܢ, ܩܪܝܟܝܢ, ܩܪܝܗܝܢ, ܩܪܝܗ. Licet etiam ܩܪܝܢܢܝ etc. ܩܪܝܢܟ, ܩܪܝܢܟܘܢ, ܩܪܝܢܟܝܢ etc.

D – Cum ܨܪܝ (*pinxerunt* f.), (ܨܪܐ) : ܨܪܝܢ (*ipsæ*), etc. ܨܪܟ, ܨܪܟܝ, ܨܪܟܘܢ, ܨܪܟܝܢ, ܨܪܝܗܝܢ, ܨܪܗ. Vel ܨܪܝܢܢܝ etc. ܨܪܝܢܟ etc.

398 – Nota : Alaf et jod litteræ quiescentes initio verbi quæ ad facilius pronunciandum adsciscunt vocalem analogam, uti vidimus in conjugationibus verborum, deponunt hanc vocalem et assumunt vocalem quam exigit regula quando iis suffixa adjunguntur, si tunc littera quæ sequitur alaf vel jod sit quiescens; si vero illa littera sit mobilis tunc alaf et jod retinent motionem quam ante suffixionem habent, v. gr. in adjungendis suffixis voci ܝܠܕܘ (*genuerunt*) dicitur : ܝܠܕܘܢܝ (*genuerunt me*), ܝܠܕܟ (*genuit te*), et cum

ܐܟܠ dicis ܐܟܠܢܝ *(manducavit me)*, ܐܟܠܘܗܝ *(manducarunt eum)*: contra cum ܝܠܕܬ *(genui)* et cum ܐܟܠܬ *(manducavit f.)* dicitur ܝܠܕܬܟܝ *(genui te)*, ܐܟܠܬܗ *(manducavit f. eum)*.

III — DE SUFFIXIS ADJUNGENDIS AORISTO

399 — Suffixa omnia exceptis duobus ܟܘܢ et ܟܝܢ, quando adjunguntur personis aoristi quarum finales quiescunt, movent illas finales, quemadmodum de suffixis præteriti diximus; et tunc ܗ suffixum 3ᵃᵉ sing. masc. assumit ante se jodʰ cum hʰvasˢa et waw quiescens, et post se jodʰ quiescens et ܗ suffixum 3ᵃᵉ sing. fœm. adscissit ante se jodʰ præcedente hʰvasˢa. Quando autem quiescentes finales aoristi assumunt vocalem ante suffixa, tunc littera quæ præcedit finalem, quacumque vocali clausa mota sit, debet omnino quiescere. Sic, v. gr. ܢܫܒܘܩ *(relinquet)*, si illi adjungas suffixum primæ sing., assumit ܩ pthʰahʰam (n. 229) et proinde quiescit ܘ, unde ܢܫܒܘܩܢܝ *(relinquet me)*. Et sic ܢܫܒܘܩܝܘܗܝ *(relinquet eum)*, ܢܫܒܘܩܝܗ *(relinquet eam)*.

400 — Quando finalis aoristi est mobilis invariabilis manet cum suffixis, tamen ܗ suffixum 3ᵃᵉ sing. masc. adscissit duo jodʰ, alterum ante, alterum post. Porro personæ quæ censentur finalem mobilem habere in aoristo, sunt illæ quæ desinunt in litteram nun adformativam, nempe 2ᵃ persona sing. fœm., et plur. tum

masc. tum fœm., nec non 3ª plur. masc. et fæm. et hæc nun ante suffixa assumit zqafam. Item aoristus verbi defectivi in lamadh censetur habere in sua conjugatione finalem mobilem, et personæ quidem ejus assumunt jodh pro alaf ante suffixa, v. gr. ܢܩܪܝܢܝ (*vocabit me*) a ܢܩܪܐ (*vocabit*); hoc jodh comitatur verbum defectivum cum omnibus suffixis, et littera quæ illud præcedit habet semper vocalem zlamam.

401 — Exempla suffixorum connexorum cum aoristo quiescenti in fine :

A - Cum ܢܩܛܘܠ (*occidet*) : ܢܩܛܠܢܝ , ܢܩܛܠܟ , ܢܩܛܠܝܘܗܝ, ܢܩܛܘܠܟܝܢ, ܢܩܛܘܠܟܘܢ, ܢܩܛܠܢ, ܢܩܛܠܟܝ, ܢܩܛܠܝܗ . Interdum occurrit ܢܩܛܠܗ pro ܢܩܛܠܝܘܗܝ quod frequentissimum est in versione Bibliorum dicta Pshittta, et item dicendum de exemplis sequentibus.

B - Cum ܐܫܡܥ (*audiet* f.) : ܐܫܡܥܢܝ , ܐܫܡܥܟ , ܐܫܡܥܟܘܢ , ܐܫܡܥܟܝ etc.

C - Cum ܐܒܙܘܙ (*prædabor*) : ܐܒܙܙܟܘܢ, ܐܒܙܙܟܝܢ, ܐܒܙܙܟܝ etc.

D - Cum ܢܫܠܡ (*tradet*) : ܢܫܠܡܢܝ, etc. ܢܫܠܡܟܝ , ܢܫܠܡܟܘܢ, etc.

E - Cum ܬܩܝܡ (*eriget* f.) : ܬܩܝܡܢܝ, etc. ܬܩܝܡܝܘܗܝ, ܬܩܝܡܟܘܢ, etc.

402 - Exempla suffixorum cum aoristo mobili in fine :

A – Cum ܢܩܪܐ (*vocabit*): ܢܩܪܝܢܝ , ܢܩܪܝܟ , ܢܩܪܝܟܝ , ܢܩܪܝܗܝ , ܢܩܪܝܗ̇ , ܢܩܪܝܢ , ܢܩܪܝܟܘܢ , ܢܩܪܝܟܝܢ , ܢܩܪܝܗܘܢ .

B – Cum ܢܩܛܠܘܢ (*occident*) (ܢܩܛܠܘܢܐ): ܢܩܛܠܘܢܢܝ , ܢܩܛܠܘܢܟ , ܢܩܛܠܘܢܟܝ , ܢܩܛܠܘܢܝܗܝ , ܢܩܛܠܘܢܗ̇ , ܢܩܛܠܘܢܢ , ܢܩܛܠܘܢܟܘܢ , ܢܩܛܠܘܢܝܗܘܢ . Et sic cum ܬܩܛܠܘܢ (*occidetis*).

C – Cum ܬܩܛܠܢ (*occidetis* f.) (ܬܩܛܠܢܐ): ܬܩܛܠܢܢܝ etc. ܬܩܛܠܢܝܗܘܢ , ܬܩܛܠܢܗ̇ . Et sic etiam cum ܢܩܛܠܢ (*occident* f.).

D – Cum ܬܩܛܠܝܢ (*occides* f.) (ܬܩܛܠܝܢܐ): ܬܩܛܠܝܢܢܝ etc. ܬܩܛܠܝܢܝܗܘܢ , ܬܩܛܠܝܢܗ̇ .

403 Dicitur etiam ܬܩܛܠܝܢܝܢܝ pro ܬܩܛܠܝܢܢܝ , et ܢܩܛܠܘܢܗ̇ pro ܢܩܛܠܘܢܝܗܘܢ . Interdum nun adformativa 3ᵃᵉ plur. masc., 2ᵃᵉ sing. fœm., et 2ᵃᵉ plur. masc. (vid. n. 275) eliditur ante suffixa, v. g. ܢܥܝܪܘܗܝ (*excitent eum*), ܬܥܒܕܘܗ̇ (*facietis eam*), ܬܐܚܕܝܗܘܢ (*apprehendes* f. *eum*) pro ܢܥܝܪܘܢܝܗܝ , ܬܥܒܕܘܢܗ̇ et ܬܐܚܕܝܢܝܗܘܢ .

IV — DE SUFFIXIS QUÆ SUBNECTUNTUR IMPERATIVO AC PROHIBITIVO

404 — Imperativo nonnisi suffixa 1ᵃᵉ et 3ᵃᵉ personæ subnectuntur, et tunc quidem reapparent in

pronunciatione litteræ finales imperativi quæ non legebantur. Porro suffixa si subnectantur personis quæ habent finales mobiles, nullam modificationem subeunt, præter suffixum ܗ 3^{æ} masc.sing. quod semper assumit post se jod^{h}, ante se autem assumit waw si præcedit h^{h}vas^{s}a, et jod^{h} si præcedit zquafa, nulla inducta mutatione in verbum, præterquam in 2^{am} personam masc. plur. verbi sani trilitteri nudi tunc enim i. e. cum illi ܗ masc. suffigitur, quiescit illius penultima, et ejusdem prima assumit ts^{s}as^{s}am, v.g. ܐܘܚܕܘܗܝ (*tenete eum*) ab ܐܚܘܕܘ (*tenete*).

Quando autem pronomina litteræ quiescenti suffiguntur, hæc littera accipit pt^{h}ah^{h}am in 1^{a} pers. sing. et plur., et tunc imperativum assumit jod^{h} quiescens ante suffixum ; at accipit zquafam in 3^{a} pers. m. et zlamam duram non h^{h}vas^{s}am in 3^{a} pers. f. ; et in isto utroque casu assumit imperativus jod^{h} ut supra ac præterea aliud jod^{h} post litteram ܗ 3^{æ} pers. m. quod secundum jod^{h} silet cum ipso he. In omnibus his casibus quiescit 2^{a} radicalis in omnibus verbi typis præter trilitterum simplicem in omnibus personis imperativi excepta 2^{a} masc. sing. Primi exempla ܣܬܪܝܢܝ (*protege* f. *me*), ܣܬܪܝܘܗܝ (*protege* f. *eum*), a ܣܬܪܝ ; ܒܪܟܘܢܝ (*benedicite me*), ܒܪܟܘܗ (*benedicite eam*), a ܒܪܟܘ. Exempla secundi : ܣܬܪܝܢܝ (*protege* masc. *me*) ܣܬܪܝܗܝ (*protege eum*), a ܣܬܪ ; ܐܥܡܕܝܢ (*baptiza nos*), ܐܥܡܕܝܗ (*baptiza eam*) ab ܐܥܡܕ.

405 – Paradigma suffixorum quæ subnectuntur imperativo mobili in fine :

1 - Cum ܩܪܝ (*voca*) : ܩܪܝܢܝ (*voca me*) , ܩܪܝܢ (*voca nos*) , ܩܪܝܘܗܝ (*voca eum*), ܩܪܝܗ (*voca eam*). Dicitur quoque ܩܪܝܝܢܝ etc. ܩܪܝܝܘܗܝ, ܩܪܝܝܗ.

2 - Cum ܚܘܐ (*ostende*) : ܚܘܢܝ, ܚܘܢ, ܚܘܘܗܝ, ܚܘܗ. Dicitur etiam ܚܘܝܢܝ, ܚܘܝܘܗܝ etc. (1)

3 - Cum ܩܛܘܠܝ (*occide* f.): ܩܛܘܠܝܢܝ, ܩܛܘܠܝܢ, ܩܛܘܠܝܘܗܝ, ܩܛܘܠܝܗ.

4 - Cum ܐܘܪܒܝ (*magnifica* f.) : ܐܘܪܒܝܢܝ cum ܪ quiescenti , etc.

5 - Cum ܩܒܠܝ (*accipe* f.) : ܩܒܠܝܢܝ cum ܒ quiescenti , etc.

Item dicendum de subnexione suffixorum imperativis quadrilitteris, excepto verbo ʿain-hamza, verb. grat. ܐܣܐܢܝ (*calcea me*) ad facilitandam pronunciationem hamzæ.

6 - Cum ܩܛܘܠܘ (*occidite*) : ܩܛܘܠܘܢܝ (2) (*occidite me*), ܩܛܘܠܘܢ , ܩܛܘܠܘܗܝ , ܩܛܘܠܘܗ — Dicitur quoque ܩܛܘܠܘܢܢܝ etc. ܩܛܘܠܘܢܘܗܝ, ܩܛܘܠܘܢܗ.

7 - Cum ܪܚܡܘ (*diligite*) : ܪܚܡܘܢܝ etc.

---

(1) Licet scribere ܚܘܐܘܗܝ , ܚܘܐܗ cum alaf, quod tamen pronunciatur ut jodh (n. 8).

(2) Cum ʿmaqa ad utrumque waw.

ܙܘ ܡܥܒܘܗܘܢ etc. vel ܙܘ ܡܥܒܘܢܝ etc.

8 – Cum ܒܙܘ (*prædamini*) : ܒܙܘܢܝ (1) etc.

9 – Cum ܩܒܠܘ (*accipite*) : ܩܒܠܘܢܝ cum bet^h quiescente, etc. Vel ܩܒܠܘܢܢܝ cum bet^h mobili. – Item cum ܒܠܐܘ : ܒܠܐܘܢܝ cum alaf quiescente, etc.

10 – ܐܘܕܥܘ (*notum facite*) : ܐܘܕܥܘܢܝ cum dalat^h quiescente, etc. Vel ܐܘܕܥܘܢܢܝ cum dalat^h mobili. Hæc sequuntur cœtera quadrilitera, exceptis ʿain – hamzatis, eorum enim hamza non quiescit etiam in prima forma quando nempe non adjicitur nun ante suffixum, etc., v. g. ܐܣܐܢܘ (*calceate*) : ܐܣܐܢܘܢܝ etc.

11 – Cum ܐܚܕܪܩܘ (*circumdate*) : ܐܚܕܪܩܘܢܝ etc. Vel ܐܚܕܘܪܩܘܢܝ cum waw ad instar verbi nudi.

12 – Cum ܩܬܠܢ (*occidite* f.) (ܩܬܠܢ) : ܩܬܠܢܢܝ, ܩܬܠܢܟ, ܩܬܠܢܟܘܢ, ܩܬܠܢܗ – Vel etiam ܩܬܠܢܢܢܝ etc. ܩܬܠܢܢܟܘܢ, ܩܬܠܢܢܗ.

13 – Cum ܐܣܡܥܢ (*audire facite* f.) : ܐܣܡܥܢܢܝ cum *mim* quiescente, vel ܐܣܡܥܢܢܢܝ, etc.

14 – Cum ܩܒܠܢ (*accipite vos* f.) : ܩܒܠܢܢܝ cum bet^h quiescente, vel ܩܒܠܢܢܢܝ cum bet^h mobili – Ita cum ceteris quadriliteris.

(1) Cum rwah^h a ad primum waw.

406 - Paradigma suffixorum quæ subnectuntur imperativo cujus finalis quiescens est :

1 - Cum ܩܛܘܠ (*occide*) : ܩܛܘܠܝܢܝ , ܩܛܘܠܝܗܝ , ܩܛܘܠܝܗܝܢ (1) , ܩܛܘܠܝܗܝ cum zlama, non cum hhvassa.

2 - Cum ܪܚܡ (*dilige*): ܪܚܡܝܢܝ , etc. ܪܚܡܝܗܝܢ , ܪܚܡܝܗܝ .

3 - Cum ܥܒܕ (*fac*): ܥܒܕܝܢܝ , etc. ܥܒܕܝܗܝܢ , ܥܒܕܝܗܝ .

4 - Cum ܒܘܙ (*prædare*) : ܒܘܙܝܢܝ etc. Ita quoque cum cœteris imperativis 2æ pers. sing. masc. qui constant duabus litteris tantum , v. g. ܓܪܘܪܝܢܝ (*trahe me*) – Nota dici quoque ܗܒܝܗܝ (*da eum*), ܗܒܝܗܝ (*da f. ei*), ܗܒܘܗܝ (*date eum*), ܣܒܘܗ̇ (*accipite eam*), cum prima littera quiescente .

5 - Cum ܩܒܠ (*accipe*): ܩܒܠܝܢܝ cum bethh mobili, etc. Item dicendum de cœteris quadrilitteris , v. g. ܐܪܒܝܢܝ (*magnifica me*), ܐܦܩܝܢܝ (*educ me*). Sic ܫܒܚ (*glorifica*): ܫܒܚܝܢܝ , etc.

6 - Cum ܐܬܕܟܪ (*memento*): ܐܬܕܟܪܝܢܝ , etc.

7 - Cum ܐܪܝܡ (*extolle*) : ܐܪܝܡܝܢܝ , etc.

407 – Cum verbis defectivis in lamadh :

1 - Cum ܩܪܝ (*voca* f.): ܩܪܝܢܝ vel ܩܪܐܝܢܝ , etc. ,

(1) Orientales loco zqafæ apponunt pthahham v. g. ܩܛܘܠܝܗܝܢ .

ܩܪܐܝܘܗܝ tantum, ܩܪܐܝܗ tantum.

2 - Cum ܩܪܘ (*vocate*): ܩܪܐܘܢܝ (1), etc. ܩܪܐܘܗܝ, ܩܪܐܘܗ. Vel ܩܪܐܘܢܢܝ etc., ܩܪܐܘܢܘܗܝ, ܩܪܐܘܢܗ. In quibus omnibus alaf effertur ut waw (n. 8).

3 - ܩܪܝܢ (*vocate f.*): ܩܪܝܢܢܝ, ܩܪܝܢܢ, ܩܪܝܢܝܘܗܝ, ܩܪܝܢܗ. Vel ܩܪܐܝܢܢܝ, ܩܪܐܝܢܢ, ܩܪܐܝܢܝܘܗܝ, ܩܪܐܝܢܗ. In quibus omnibus alaf pronunciatur ut jodh.

408 - Aoristo prohibitivo connectuntur suffixa interdum modo quo connectuntur imperativo, verb. grat. ܠܐ ܬܫܒܘܩܝܢܝ (*ne relinquas me*), pro ܠܐ ܬܫܒܩܝܢܝ, et ܠܐ ܬܘܒܕܝܘܗܝ (*ne perdas illum*) pro ܠܐ ܬܘܒܕܝܘܗܝ. E contra quandoque aoristus adsciscit sibi suffixa modo quo ea adsciscit imperativus etiamsi aoristus non sit prohibitivus, v. gr. ܟܕ ܬܠܦܝܢܝ (*cum docebis me*), pro ܟܕ ܬܠܦܢܝ.

V - DE SUFFIGENDIS PRONOMINIBUS PERSONALIBUS INFINITIVO VERBALI

409 - Infinitivus verbalis ex verbis trilitteris ad instar verbi adsciscit sibi nun ante suffixum 1æ sing. Nota porro suffixa subnecti infinitivo verborum triliterorum nudorum juxta regulas subnexionis suffixorum præterito cujus finalis sit quiescens (n. 396, 2). Sint sequentia exempla:

(1) Orientales cum zqafa ad resh ܩܪܐܘܢܝ, etsi resh separatum sit a waw per alaf, quia hoc alaf pronunciatur ut waw.

1 – Cum ܡܶܩܛܰܠ (*occidere*): – ܡܶܩܛܠܳܟ݂, ܡܶܩܛܠܶܟ݂ܝ, ܡܶܩܛܠܶܗ, ܡܶܩܛܰܠܟ݂ܶܝܢ, ܡܶܩܛܰܠܟ݂ܽܘܢ, ܡܶܩܛܠܰܢ, ܡܶܩܛܠܝ ܡܶܩܛܠܳܗ̇.

2 – Cum ܡܶܒܰܙ (*prædari*): ܡܶܒܙܳܟ݂, etc., ܡܶܒܰܙܟ݂ܽܘܢ etc., ܡܶܒܙܶܗ etc.

3 – ܡܶܨܰܪ (*pingere*): ܡܶܨܪܳܟ݂, ܡܶܨܰܪܟ݂ܽܘܢ etc.

4 – ܡܶܩܪܳܐ (*invocare*): ܡܶܩܪܝܳܟ݂, ܡܶܩܪܝܶܟ݂ܝ, ܡܶܩܪܝܰܢ, ܡܶܩܪܝܳܗ̇, ܡܶܩܪܝܶܗ, ܡܶܩܪܝܟ݂ܶܝܢ, ܡܶܩܪܝܟ݂ܽܘܢ, ܡܶܩܪܝܳܟ݂ cum vocali ad jod[h] in omnibus.

Vidimus infinitivos cœterarum formarum extra trilitteras nudas adsciscere in fine terminationem ܬ, unde ipsis subnectuntur suffixa, modo quo subnectuntur nominibus femininis desinentibus in ܬ fœm. (n. 235, 3). Hi infinitivi desinentes in ܬ non adsciscunt nun cum suffixo 1æ sing., v. gr. ܠܡܦܰܪܩܽܘܬ݂ܝ (*ad liberandum me*). In poesi tamen occurrit nun, ut in hoc versu Jacobi Sarugensis: ܐܰܦܫܶܛ ܥܰܠ ܐܰܙܠܰܘܗ̱ܝ ܠܡܦܰܫܛܽܘܬ݂ܳܢܝ (*diffudit super me tela sua*) pro ܠܡܦܰܫܛܽܘܬ݂ܝ.

LIBER VI

DE PARTICULIS



CAPUT I

DE ADVERBIO

410 — Hactenus de nominum et verborum formatione, flexione, conjugatione et derivatione. Restat ut de Particulis agamus. Prima species Particularum est Adverbium.

Adverbium Syri grammatici post Græcos barbara voce ܠܘܬ ܡܠܬܐ (liberaliter *ad verbum*) vocant ; eandem habet significationem apud eos ac apud Latinos.

411 — Porro adverbium apud Syros vel a nomine vel a verbo vel a neutro formatur sine lege vel regula certa. Frequentiora adverbia sunt sequentia : ܣܓܝ (*multum*) ; ܩܠܝܠ (*parum*) ; ܐܟܚܕܐ (*simul*) (compositum ex ܐܟ et ܚܕܐ) ; dicitur etiam ܐܟܚܕ ; ܠܩܘܕܡ (*antecedenter*) (compositum ex ܠ præpositione et ܩܕܡܐ gdhamato irregulariter); ܡܚܕܐ (*statim*)

(compositum ex ܩܕܡ et ܡܘܪܐ) ; ܩܕܡܝܬ (1) *(primo)* (est ܩܕܡܝܬܐ gdhamatum); ܐܚܪܝܬ (1) *(postremo, denique)* (est ܐܚܪܝܬܐ gdhamatum) ; ܒܪܫܝܬ (2) *(in principio)* (ex ܒ præpositione et ܪܫܝܬ quod est ܪܫܝܬܐ gdha-matum) ; ܡܢܫܠܝ *(subito)* (ex ܡܢ et ܫܠܝ quod est ܫܠܝܐ gdhamatum) ; ܥܓܠ vel ܒܥܓܠ *(cito)* ; ܛܒ *(bene, magis)* ; ܠܡܥܣܢ *(vix)* (ex ܠ præpositione et ܡܥܣܢ quod separatum est inusitatum ; ܒܓܠܐ (3) ܓܠܝܢ *(palam)* (ܓܠܝܢ est ܓܠܝܢܐ gdhamatum et ܒܓܠܐ compositum ex præpositione ܒ et ܓܠܐ quod est participium passivum verbi ܓܠܐ) ; ܚܝܝܬ *(durante vita)* (est ܚܝܝܬܐ gdhamatum) ; ܥܪܛܠܐܝܬ *(nude)* ; ܝܬܝܪ *(magis , plus)* ; ܬܢܝܢܘܬ *(denuo , secundo)* ; ܡܢܕܪܝܫ *(denuo)* (ex ܡܢ et ܕ præpositionibus et ܪܫ quod est ܪܫܐ gdhamatum) ; ܬܠܝܬܝܘܬ *(tertio)* ; ܢܘܓܪܐ *(diu)* ; ܒܟܪܝܢ *(olim)* (ex ܒ præp. et ܟܪܝܐ gdhamato) ; ܡܓܢ *(gratis)* ; ܨܘܡ *(jejune)* ; ܛܒ *(valde)* (est ܛܒܬܐ gdhamatum) ; ܙܒܢܝܬ *(ex tempore)* ; ܒܪ ܫܥܬܗ *(illico, statim)* (indeclinabile

(1) Orientales pro jod[h] pronunciant alaf seu hamzam .

(2) Orientales pronunciant res[h] cum zqafa pro hhvas[s]a pro quo testantur linguæ Hebraica et Arabica .

(3) Apud Orientales cum zlama forti .

est) ; ܐܝܟ ܕܒܣܓܝܐܬܐ (*sæpius*) ; ܡܢ ܠܩܘܕܡܝܢ (*antiquitus*) (secunda vox ex ܠ præpos. et ܩܘܕܡܝܢ quod est ܩܘܕܡܐ gdhamatum irregulariter) ; ܐܝܟ ܕܠܩܘܫܬܡ (*vere*) (secunda vox ex ܕ et ܠ præpositionibus et ܩܘܫܬܐ inusitato gdhamato) ; ܕܚܕܘܬܡ (*recenter*) (ex ܕ præpositione et ܚܕܘܬܡ quod est ܚܕܘܬܐ irregulariter gdhamatum). Adverte nomina quæ adhibentur sine regula ad significandum adverbium , esse fere semper contracta seu gdhamata ; et si feminina sunt , subire gdhamam constructionis , non status absoluti. Imo plura nomina nunquam exeunt in alaf emphaticum quasi ab origine ad exprimendum adverbium posita sint , ut ܬܘܒ, ܠܚܘܕ, ܫܦܝܪ, ܠܡܚܪ.

412 — Frequenter tamen adverbia regulariter formantur ab adjectivis per additionem terminationis ܐܝܬ adjectivo masculino desinenti in alaf emphaticum , ex. gr. ܩܕܝܫܐ (*sanctus*), ܩܕܝܫܐܝܬ (*sancte*) ; ܩܠܝܠܐ (*velox*) , ܩܠܝܠܐܝܬ (*velociter*) ; ܟܐܢܐ (*justus*) , ܟܐܢܐܝܬ (*juste*) ; ܓܠܝܐ (*evidens*) , ܓܠܝܐܝܬ (*evidenter*). Ex adjectivis vero gentilitiis seu relationis terminatis in jodh sequente alaf formantur adverbia per additionem terminationis ܐܝܬ suppresso tamen prius jodh , v. gr. ܣܘܪܝܝܐ (*Syrus*), ܣܘܪܝܐܝܬ (*syriace*) ; ܝܘܢܝܐ (*Græcus*), ܝܘܢܐܝܬ (*græce*) ; ܓܘܢܝܐ (*universalis*) , ܓܘܢܐܝܬ

(*universaliter*) ; ܐܠܗܝܐ (*Divinus*) , ܐܠܗܐܝܬ (*divinitus*); ܐܢܫܝܐ (*humanus*) , ܐܢܫܐܝܬ (*humane*). Item formantur adverbia ex substantivis quæ tunc considerantur ut habentia jod^{h} relationis, ut ܩܡܨܐ (*locusta*), ܩܡܨܐܝܬ (per modum *locustarum*) ; ܟܐܦܐ (*petra*) , ܟܐܦܐܝܬ (ad instar *petræ*) , essent e ܩܡܨܝܐ et ܟܐܦܝܐ .

413 – Hic exhibemus aliqua adverbia temporis, loci , modi , etc. : ܐܝܟܐ (*ubi*) compositum ex ܐܝ pronomine interrogativo (qui , quæ , quod etc.) et ܟܐ inusitato, quod significat locum, et forsan provenit a voce ܡܟܢܐ مكان، (*locus*), quæ ex Syriaca lingua excidit , remansit autem in Arabica. Porro ܐܝܟܐ cum ܗܘ coalescit in ܐܝܟܘ pro ܐܝܟܐ ܗܘ (*ubi est ?*) .

ܠܟܐ (*huc*) compositum ex ܠ et ܟܐ de quo nuper .

ܗܪܟܐ (*hic*) in origine erat ܗܐ particula nutus et ܠܟܐ (*huc*) , attamen ܠ mutatum est in ܪ (1) .

(1) Nota litteram caf in voce ܟܐ habere sonum asperum in ܗܪܟܐ , tamen in Syriaco sermone vulgari Assyriæ ea lenis est in voce ܗܪܟܐ , quia ibidem per corruptionem dicitur ܗܪܟܐ pro ܗܠܟܐ quæ est pro ܗܐ ܠܟܐ sicut est in dialecto Bab. Item in Syriaco vulgari Maʿlulæ ubi dicitur ܗܟܐ : sed in vulgari Turabdin caf in voce ܗܪܟܐ est asperum , ibi enim dicitur ܗܪܟܐ cum sono aspero et conservatione res^{h} et mutatione zquafæ in rvas^{s}am .

ܡܟܝܠ (*hinc et amodo*) pro ܡܢ ܗܫܐ (1).

ܐܡܟܐ (*unde*) compositum ex ܐܝ (*quid ? etc.*), ܡܢ (*ex*), et ܗܪܐ (2) (*hic*).

ܬܡܢ (*ibi*). Est ثَمَّ Arabicum.

ܗܘܪܟܐ (*illuc*) pro ܗܘ ܠܬܡܢ (conf. ܗܘܪܟܐ).

ܠܗܠ (*ibi remote*).

ܡܟܝܠ ܘܠܗܠ (*ex hinc in posterum*).

ܠܬܚܬ (*infra*).

ܡܢ ܠܬܚܬ (*deorsum*).

ܠܥܠ (*supra*).

ܡܢ ܠܥܠ (*desuper*).

ܠܓܘ (*intus*).

Nota has tres extremas particulas per præpositionem lamad^h evadere adverbia; sine lamad^h enim sunt præpositiones: ܬܚܝܬ cum jod^h redundante et zlama, ܥܠ cum pt^hah^ha et ܓܘ.

(1) Nota hic assimilationem nun præpositionis ܡܢ cum littera sequenti, quæ est inusitata in lingua Syr. litterali, nisi in hac similibusque particulis; est autem regularis in dialecto Chald., quod est clarum argumentum antiquitatis hujus dialecti derivationisque Syriasmi nostri ab ea.

(2) Nota hic quomodo particula interrogationis ܐܝ præcedit præpositionem quæ eam regit, contra regulam omnium linguarum quæ habent præpositiones præfixas, est enim vox ܐܡܟܐ pro ܡܢ, ܐܝ et ܟܐ (*ex quo loco ?*) Idem dicatur de ܐܟܢܐ quod est pro ܟܡ seu ܐܝܟ, ܐܝ et ܢܐ (*ut quis modus ?*) In dialecto Chaldaica, eodem modo res se habet.

ܠܒܪ (*extra*), compositum ex lamad^h præpositione et ܒܪ (*foris*) quod sic nudum in Syr. litterali inusitatum est, extat tamen in Syr. Babyl.

ܠܣܛܪ (*scorsim*), compositum ex ܠ et ܣܛܪ.

ܬܢܢ (*hic*).

ܡܟܝܠ (1) (*ex nunc*) pro ܡܢ (*ex*) et ܟܝܠ contracto a ܟܝܠܐ (*mensura temporis*).

ܗܟܝܠ (*unde*) pro ܗܐ (*ecce*) et ܟܝܠ (*prædicto*).

ܐܡܬܝ (*quando?*), pro ܐܝ ܡܬܝ cujus primæ vocis diphthongus soluta est in ܐܝ, ut testatur dialectus Chaldaica, et jod^h orthographice expuncta est .

ܐܬܡܠܝ (2) (*heri*).

ܡܢܬܡܠܝ (2) (*nudius tertius*).

ܐܫܬܩܕܝ (*anno prælerito*). Ex ܫܢܬܐ (*annus*) et ܩܕܡܝܐ (*primus*), ܠܡܢܚܝ (*anno proximo*), ex lamad^h ܡܢ (*quis*) et ܚܝ (*vivus*). Dicitur etiam ܡܢܚܝ sine lamad^h; quasi dicatur: (*Quis vivet? vel si vivemus*).

ܝܘܡܢܐ (*hodie*) compositum ex ܝܘܡܐ (*dies*) et ܗܢܐ (*hic*).

---

(1) Cum zlama forti.

(2) Jacobus Edessenus qui floruit sæc. VII statuit hanc vocem scribendam absque jod^h finali, nihilominus communiter scribitur cum jod^h. V. not. ad n. 67.

ܗܫܐ (*modo*) compositum ex ܗܐ (*ecce*) et ܫܥܬܐ (*hora*).

ܒܝܘܡ (*olim* vel *quadam die*).

ܡܚܪ vel ܠܡܚܪ (*cras*) compositum ex ܝܘܡܐ, et ܐܚܪܢܐ.

ܗܝܕܝܢ (*tunc*) compositum ex ܗܐ (*ecce*) et ܕܝܢ (*hic*) in antiquo sermone Syr. qui dicitur Chaldaicus. Hæc vox est una ex rarissimis vocibus quas Syr. litt. ex antiquitate conservaverit, quarumque ratio nonnisi in dialecto Chaldaica invenitur.

ܗܝܕܝܟ (*tunc*) loquendo tantummodo de re præterita. Et hæc vox pure Chaldaica est, composita ex ܗܐ (*ecce*) et ܕܝܟ (*ille*) (Arab. ذاك) in dialecto Chaldaica.En testis luculentissimus pro antiquitate Chaldaismi.

ܥܕܟܝܠ (*adhuc*) compositum ex ܥܕ (*usque*) et ܟܝܠ de quo diximus ad ܡܟܝܠ.

ܥܕܡܫܐ cum ptʰahʰa ad dalatʰ et ad mim (*hucusque*) compositum ex ܥܕ (*usque*), ܡܐ (copula conjugativa) et ܗܫܐ (*modo*). Mim deberet habere zqafam.

ܒܬܪ et ܒܬܪܟܢ (*deinde*).

ܟܡ (*porro*). Vos incertæ originis.

ܠܐ ܟܡ (*a fortiori*).

ܠܠܝ ܐܝܡܡ (*die noctuque*) seu potius *noctu*

dicque; vox prima est contracta a sing. ܠܠܝܐ (*nox*) inusitato, et ideo non notatur signo siame.

ܡܬܘܡ (1) (*nunquam*), item ܡܢܡܬܘܡ pro ܡܢ ܡܬܘܡ.

ܟܠܠ (*omnino*).

ܟܕܘ (*satis*).

ܡܢ ܟܕܘ (*jam*).

ܒܪ ܫܥܬܗ (*extemplo*), et est indeclinabile.

ܐܝܢ (*utique*).

ܛܟܐ (*forsan*). Vox Græca TAXA.

ܟܒܪ (*forsitan*).

ܟܝܬ (1) (*id est, scilicet*).

ܗܘ ܕܝܢ (*hoc est, id est, nempe*).

ܐܝܟܢܐ (*quomodo, quemadmodum*) compositum a ܐܝܟ (*qui etc.*) et ܢܐ quod est pro ܕܗܟܢܐ seu ܐܝܟ ܗܢܐ (*sicut hic*). Hic apparet evidenter antiquus Aramaismus qui est superstes in Chaldaismo Babylonensi ab Hebræis culto, in quo littera caf sola est particula similitudinis ut in Arabica lingua. Contrahitur ܐܝܟܢܐ in ܐܝܟܢ.

ܗܟܢܐ (*sic*) compositum a ܗܐ (*ecce*) et ܟܢܐ. Contrahitur ܗܟܢܐ in ܗܟܢ.

(1) Cum rwahha.

ܗܳܟܰܢܳܐ (*sic , ita*) ; compositum ex ܗܳܐ (*ecce*) , et ܟܰܢܳܐ quod est pro ܐܶܟܰܢܳܐ . Hoc autem ܐܶܟܰܢܳܐ compositum est ex ܐܰܝܟ seu potius ܟ (*ut*) et ܐܢܳܐ quod est gdhama ܐܢ̈ܳܐ (*signum* seu *species*) .

ܡܶܛܽܠܡܳܢ, ܡܶܛܽܠܡܳܢܳܐ, ܕܰܠܡܳܢ, ܕܰܠܡܳܢܳܐ, ܠܡܳܢ, ܠܡܳܢܳܐ

et non raro solum ܡܳܢܳܐ vel ܡܳܢ (*cur , quare ?*) .

ܠܡܳܐ (*num ? num non ? nonne ?*) .

ܟܡܳܐ ܙܒ̈ܢܳܐ (*aliquoties , nonnunquam*) .

II DE PRÆPOSITIONIBUS

414 - Sub hoc nomine veniunt omnes particulæ quæ regunt sive nomen sive pronomen . Hanc sermonis partem etiam Syri grammatici post Græcos ܡܩܰܕܡܽܘܬ ܫܡܳܐ , i. e. præpositionem nuncupant . Quædam ex hujusmodi particulis tam arcte connectuntur nomine sive pronomine tum quoad orthographiam tum quoad pronunciationem , ut cum eo in unam veluti vocem , prorsus uti penes Arabes , coalescant ; hujusmodi sunt ܒ (*in*) , ܕ (1) signum regiminis, ܠ (signum dativi , *ad*): cœteræ sejunctum scribuntur et leguntur.

(1) Hæc præpositio est origine ܕܝ , Arabicum ذو , Hebraicum ܙܗ . Arabes tamen et Hebræi eam non adhibent nisi ut pronomen relativum. Apud Syros , in omnibus dialectis tum mortuis tum vivis ܕ est præpositio regiminis seu constructionis , excepta dialecto Maʿlulæ e qua amissa est. In inscriptionibus Palmyrenis est modo ܕ solum , modo ܕܝ .

415 – Præterea quædam ex hisce præpositionibus habent sibi adnexa suffixa modo nominum singularium; aliæ vero modo nominum pluralium, aliæ non admittunt suffixa, cœteræ denique exigunt mediam aliam præpositionem inter se et nomen cui præponuntur. De singulis breviter agamus.

416 – Præpositiones ergo quæ exigunt suffixa nominum singularium sunt: ܐܝܟ (1) *(ad instar, veluti)*, ܒ *(in)*, ܒܓܘ *(intus)*, ܒܝܬ *(inter)*, ܒܬܪ *(post, retro)*, ܒܬܪ *(post)* (2), ܕ (signum regiminis), ܠ (signum dativi, *ad*), ܠܘܩܒܠ (3) *(coram)*, ܠܘܬ (4) *(ad, apud)*, ܠܘܩܒܠ *(secundum)*, ܡܛܠ *(propter, ob)*, ܡܢ *(ex)*, ܠܘܬ ܓܢܒ *(ad latus, juxta)*, ܠܘܬ *(apud, secus)*, ܥܡ *(cum)*. Ex his tres, ܒ, ܕ et ܠ ita nominibus ac pronominibus adhærent ut una vox ex præpositione et nomine vel pronomine formetur, ut diximus. Porro ܒ et ܠ cum pronomine ܝ 1æ pers. sing. recipiunt hhvasˢam: ܒܝ *(per me)*, ܠܝ *(mihi)*; cum suffixis autem

(1) Scribitur jodh ante caf, sed non legitur. In origine hæc particula constabat ex caf tantum ut in Arabica et Hebraica linguis et in Chaldaica dialecto. Antiquitus jodh legebatur, teste dialecto Chaldaica in qua alaf et jodh hujus vocis formant diphthongum solutam in zlamam duram.

(2) Est pro ܒ et ܐܬܪ, et sic est in dialecto Chaldaica.

(3) Derivata a ܩܘܒܠ, pro ܠܩܘܒܠ ex ܩܘܒܠܐ.

(4) Compositum ex lamadh et ܘܬ quod est pro ܐܬ quod est fere inusitatum in Syr. litter., restat tamen in dialecto Chaldaica.

ܗܘܢ ، ܗܝܢ ، ܒܗܘܢ ، ܒܗܝܢ quiescentes sunt ; denique cum ceteris suffixis variat vocalis , ut ܒܗ (*per eum*) , ܠܗ̇ (*ad eam*). Insuper duæ ex dictis præpositionibus nempe ܐܝܟ et ܡܛܠ adsciscunt cum suffixis taw tamquam nomina fœminina, unde fiunt ܐܝܟܘܬ et ܡܛܠܬ , et proinde flectuntur v. gr. ܐܝܟܘܬܝ , ܡܛܠܬܝ , ܐܝܟܘܬܟ , ܡܛܠܬܟ etc. Præterea præpositio ܕ cum suffixis redit ad suam originem ܕܝ et adsciscit ܠ mediam inter se et suffixum , et propterea dicitur v. gr. ܕܝܠܝ , ܕܝܠܟ etc. (n. 242). Insuper ܡܢ mobile et geminatum habet nun cum ei suffigitur pronomen quiescens , ut ܡܢܢ (*a nobis*), ܡܢܟ (*a te*) , ܡܢܗ (*ab eo*) ; secus non mutatur , ut ܡܢܝ (cum zlama forti) (*a me*) , ܡܢܟܘܢ et ܡܢܟܝܢ , ܡܢܗܘܢ , ܡܢܗܝܢ (cum zlama leni) (*a vobis* m. et f. *ab eis* m. et f.). Præpositio ܠܘܩܒܠ quoties habet suffixum cujus prima est quiescens , postponitur illius ʿsˢasˢa , seu transit a ܠ ad ܒ , unde dicitur v. g. : ܠܘܩܒܠܢ (*contra nos*) , ܠܘܩܒܠܟ , ܠܘܩܒܠܟܝ , ܠܘܩܒܠܗ , ܠܘܩܒܠܗ̇ ; sed e contra dicitur ܠܘܩܒܠܝ (*contra me*) , ܠܘܩܒܠܟܘܢ , ܠܘܩܒܠܟܝܢ , ܠܘܩܒܠܗܘܢ , ܠܘܩܒܠܗܝܢ (n. 232) . Tandem præpositiones ܒܣܬܪ et ܒܬܪ quiescunt in suis ܪ quoties habent suffixum cujus prima est quiescens, v. g. ܒܣܬܪܝ

ܒܦܘܪܩܢ ; ܒܦܘܠܚܢܗ, ܒܦܘܪܩܗ etc. Denique ܥܠܝܟ fit ܥܠܝܟ cum pronominibus suffixis, ut ܥܠܝܟܘܢ ܟܠܗ, ܥܠܝܗܘܢ ܟܠܗ, etc.; item ܡܢ ܥܠܝܟܘܢ, ܡܢ ܥܠܝܗܘܢ, etc. In cœteris præpositionibus nulla fit mutatio. Cum hisce præpositionibus recenseri potest ܟܠ (*totus*, *omnis*) quamvis sit nomen, seu juxta Europæos pronomen, quia regit genitivum uti penes Arabes كل, et ei adnectuntur suffixa modo nominum singularium, v. g. ܟܠܝ cum jod[h] legendi, ܟܠܗ, ܟܠܢ etc. Sine constructione dicitur ܟܠ vel ܟܠܐ, quod scribitur etiam ܟܘܠܐ.

417 – Secunda classis præpositionum, quibus nempe adnectuntur suffixa modo pluralium sunt: ܒܝܕ (1) (*per*, *cum*, *mediante*), ܒܝܢܝ (*inter*), ܒܠܥܕ (*sine*), ܚܕܪ (*circa*), ܚܠܦ (*pro*), ܩܕܡ (*coram*), ܥܠ (*super*, *contra*, *de*), ܥܠ ܐܦܝ (*propter*, *ob causam*, *pro*); ܠܘܩܒܠ (*circa*); ܠܘܬ (*apud*), ܩܕܡ (*ante*), (de tempore et de loco), ܬܚܝܬ (*sub*). Hisce addantur ܛܘܒ (*beatitudo*), ܘܝ (*væ*, *heu*), ܠܚܘܕ aut ܒܠܚܘܕ (*solus*), quæ vox constat ex particula ܒ et ܠܚܘܕ; ܠܚܘܕ vero est pro ܠܚܕ, compositum ex particula ܠ et ܚܕ (*unum*) ܡܡܬܘܡ (*unquam*). Hisce itaque particulis omnibus

(1) Composita ex ܒ et ܐܝܕ (*manus*).

suffixa adnectuntur modo quo nomini plurali adnectuntur, verbi gr. ܒܝܢܬ (1), ܒܝܢܬܝ, ܒܝܢܬܟ, ܒܝܢܬܘܗܝ, ܒܝܢܬܗ̇, ܒܝܢܬܢ, ܒܝܢܬܟܘܢ, ܒܝܢܬܟܝܢ, ܒܝܢܬܗܘܢ, ܒܝܢܬܗܝܢ. Nota porro particulam ܒܝܕ duos admittere modos. Cum suffixis scilicet vel manet ܒܝܕ et assumit suffixa ad instar nominum singularium v. gr. ܒܝܕܗ, ܒܝܕܟ etc., vel fit ܒܐܝܕ quod est frequentius et accipit suffixa modo pluralium, v. g. ܒܐܝܕܘܗܝ, ܒܐܝܕܝܟ etc.

Nunc de ܒܝܢܬ : interdum post nomen vel suffixum quod hæc particula regit, occurrit aliud nomen vel pronomen quod nomini vel suffixo recto a ܒܝܢܬ conjungitur: itaque hoc secundum nomen vel pronomen accipit præfixam lamad[h]; et si sit pronomen, necessario assumit etiam copulativam waw ante lamad[h]; si vero sit nomen, ad libitum assumit vel non copulativam waw, ex. gr. ܒܝܢܬܟ ܘܠܗ (*inter te et eum*), ܒܝܢܬ ܘܠܝܘܢܬܢ (*inter me et Jonatham*), ܒܝܢܬ ܓܒܪܐ ܠܐܢܬܬܐ (*inter virum et mulierem*).

Præpositio ܒܠܥܕ cum suffixis flectitur sic : ܒܠܥܕܝܟ, ܒܠܥܕܝܗܘܢ etc. vel adjecta ܡܢ post ܒܠܥܕ, ex. gr. ܒܠܥܕ ܡܢܟ. Præpositio ܠܘܬ flectitur cum

(1) Hæ et similes non notantur siame ; excipe tamen sequentes, i. e. ܡܛܠ, ܠܥܠ, et ܒܠܥܕ (n. 239).

suffixis sic : ܬܚܘܬܟ , ܬܚܘܬܟܘܢ, etc. Sed cum regit nomen appellativum, tunc pro ܬܚܘܬ licet quoque dicere ܬܚܝܬ vel ܬܚܬ cum hheth quiescenti vel etiam ܬܚܬܝ, ex. gr. ܬܚܘܬ ܐܪܥܐ (*sub terra*).

418 – In præpositione ܥܠ quando flectitur cum suffixis transit pthahha a ʿain ad lamadh, v. gr. ܥܠܝܟ ܥܠܝܟܘܢ etc. Præpositio ܒܝܬ quando cum suffixis flectitur mutat jodh in alaf, v. gr. ܒܐܘܗܝ , ܒܐܘܗܘܢ (1) etc.

Porro ܛܘܒܝ, ܣܒܠܐ et ܠܚܘܕ non sunt reapse præpositiones, sed potius sunt dicenda nomina verbalia, v. gr. ܛܘܒܝ (*me beatum*), ܣܒܠܝܟܝ (*heu tibi*); ea nequeunt regere nisi pronomina suffixa, attamen ܛܘܒܐ regit nomen appellativum per præpositionem ܠ, ut ܛܘܒܐ ܠܛܠܝܐ (*beati pueri*); ܠܚܘܕ autem et ܒܠܚܘܕ occurrunt interdum solæ sine suffixis(ܡܬܘܡ vero frequentissime), et tunc potius sensum adverbii habent, v. gr. ܠܐܠܗܐ ܠܐ ܐܢܫ ܚܙܐ ܠܗ ܡܢ ܡܬܘܡ (*Deum nemo vidit unquam*). Aliud exemplum in quo occurrit ܡܬܘܡ cum suffixo ܡܩܒܠ ܗܘ ܗܢܐ ܓܢܣܢ ܡܢ ܡܬܘܡܘܗܝ ܕܝܠܗ ܠܐܠܗܐ (*acceptum est Deo hoc genus nostrum a suis primordiis*).

(1) Cave ne scribas, ut nonnulli, ܒܐܝܘܗܝ , ܒܐܝܘܗܘܢ cum alaf et jodh simul.

419 – Tertia classis præpositionum est illa quæ regit nomen substantivum, sed nunquam regit nomen personale, seu non habet suffixa. Hujusmodi præpositiones sunt : ܒܝܬ (*inter*), ܥܕ (1) (*usque*), ܥܕܡܐ ܠ (*usque*), ܕܠܐ (2) (*sine*), ܩܘܕܡ (*ante*, de loco). Exempla : ܥܕ ܝܘܡ ܢܘܚܡܐ (*usque ad diem resurrectionis*), ܬܒ ܩܘܕܡ ܡܠܦܢܐ (*sede ante magistrum*). His adde ܬܪ (3) (*apud, juxta*), ut ܬܪ ܡܫܟܢܗ ܐܩܝܡܬ ܡܫܟܢܝ (*juxta ejus tabernaculum erexi tabernaculum meum*). Rara est hæc particula.

420 – Quarta classis est illarum præpositionum quæ indigent particula media cujus ope nomina vel pronomina regant ; hujusmodi sunt sequentes : ܠܒܪ (*extra*), ܠܓܘ (*intra*), ܠܥܠ (*supra*), ܠܬܚܬ (*sub*) ; quæ omnes quatuor præpositiones habent sibi præfixam lamadh ܣܛܪ (*præter*), ܥܕܡܐ (*usque ad*). Hæ igitur præpositiones exigunt post se particulam ܡܢ cujus ope

(1) Barhebræus turpiter hallucinatus est cum asseruit particulam ܥܕܡ natam esse ex gdhama ܥܕܡܐ cum ܥܕܡܐ compositum sit a ܥܕ et ܡܐ cum metathesi vocalis.

(2) Si post ܕܠܐ occurrit pronomen personale, tunc plerumque adhibetur pronomen personale separatum, v. gr. ܕܠܐ ܗܘ (*sine ipso*), ܕܠܐ ܐܢܬ (*sine te*).

(3) Est origine ܐܬܪ.

regunt nomen vel pronomen, v. g. ܠܒܪ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ (*extra urbem*). Excipe tamen præpositionem ܥܕܡܐ quæ postulat post se particulam lamad[h], v. g. ܥܕܡܐ ܠܗܫܐ (*usque modo*), et insuper ut supra monuimus ܥܕܡܐ non regit pronomen personale (1).

421 – Præpositionibus quæ regunt nomina vel pronomina, accedit vox ܡܠܐ quæ indicat breve spatium temporis quæque regit nomen significans tempus ad indicandam illius brevitatem, v. g. ܡܠܐ ܐܕܢܐ (*brevissimo tempore*), ܡܠܐ ܫܥܬܐ (*ad momentum brevis horæ*).

422 – Porro apud Syros præpositiones interdum sibi invicem præponuntur; in hoc prævalet ܡܢ quæ aliis præpositionibus præponitur, v. g. ܡܢ ܒܬܪ (*post*), ܡܢ ܩܕܡ (*ante*), ܡܢ ܠܓܘ (*ab intus*), ܡܢ ܠܒܪ (*ab extra*), ܡܢ ܠܥܠ (*desuper*), ܡܢ ܠܬܚܬ (*infra*); quandoque ܠ præfigitur præpositionibus, v. gr.: ܠܒܬܪ, ܠܩܕܡ, ܠܣܛܪ.

(1) Scriptores Syri sæpe voce ܓܘ utuntur redundante cum particulis quæ relationem significant, scilicet cum lamad[h], bet[h] vel ܡܢ. Hoc frequens est, præsertim in poesi. Exemp. ܥܠܢ ܠܓܘ ܡܕܝܢܬܐ (*in civitatem ingressi sumus*), ܣܥܪ ܝܫܘܥ ܠܗܠܝܢ ܕܒܓܘ ܫܝܘܠ (*visitavit Jesus illos qui in inferis erant*), ܐܦܩ ܡܟܫܘܠܐ ܡܢ ܓܘ ܒܝܬܟ (*ejice scandalum e domo tua*).

III — DE PARTICULIS CONJUNCTIVIS

423 — Conjunctionem vocant Syri grammatici ܐܣܘܪܐ. Hic porro loquimur de particulis conjunctivis quæ conjugunt propositionem sequentem cum antecedente, minime vero de particulis quæ conjugunt substantiva vel pronomina inter se, etc. Porro hujusmodi particulæ conjunctivæ, seu conjunctiones, de quibus agimus, aliæ conjungunt propositionem sequentem per se et immediate, aliæ mediante alia particula.

424 — Conjugationes primi generis sunt ܘ (*et copulativa*), ܐܘ (*vel*), ܬܘܒ (1) (*dein*), ܐܦ (*etiam*), ܐܦܠܐ (*neque*) ܐܠܐ contracto pro ܠܐ, ܐܢ (*nisi*), ܒܪܡ (*sed, jamvero*), ܟܝܬ (*ergo*), ܠܘ (*non*) (pro ܠܐ ܗܘ), ܕܠܡܐ (*numquid? forsitan, ne*), ܕܠܡ (*ne, numquid?*) ܟܕ (ex ܟ similitudinis et ܕ) (*cum, dum*), ܡܢ ܟܕ (*de quo, statim ac*); ܟܕ ܬܘܒ (*quamquam, quamvis*); ܕ (*ut, quod*), ܕܗܘܡ (*ut, utrum*), ܠܡ (*nimirum, scilicet*), ܡܢ (*autem*), ܐܢ (*si, num*), ܐܠܘ (*si*), ܐܠܘܠܐ (*nisi conditionalis*), ܥܕ (*donec, dum, quo tempore*), ܥܕܠܐ (*antequam*), ܐܪܐ (*an?*), ܐܛܘܦ (2) (*utinam*) et ista

(1) Est imperativus verbi ܬܘܒ, quasi dicat *revertere ad idem*.

(2) Perperam asseruit Barhebræus ܐܛܘܦ esse vocem Hæbraicam, cum ea sit mere Syriaca, nec ullo modo Hebræi eam noscunt.

quidem conjunctio requirit semper post se ܠܘܝ ܕܝܢ (*utinam*), ܡܟܝܠ (*ergo*), ܐܦܢ (ex ܐܦ et ܐܢ) (*quamvis, etsi*), ܕܝܢ (*autem*), ܓܝܪ (*etenim*), ܟܝ (*quæso*), ܟܝܬ (1) vel ܐܘܟܝܬ (1) (*id est, videlicet*), ܕܐܡܬ (*scilicet*) pro ܕܡܬ quod est ex ܕܡܝ similitudinis et ܡܬ pro ܡܐ. Ex his particulis multæ sunt Græcæ originis ; certe : ܓܝܪ, ܕܝܢ, ܡܢ, ܐܪܐ ; incerte : ܟܝ, ܟܝܬ, ܕܓܘܢ, ܡܟܝܠ, ܠܡ. omnes hæ quas enumeravimus, ceteræque conjunctiones locum primum tenent in propositione quam conjugunt, exceptis sequentibus quæ omnes sunt Græcæ originis, scilicet : ܠܡ, ܡܢ, ܕܝܢ, ܓܝܪ, ܟܝ et ܟܝܬ, quæ postponuntur semper, uti in Græca lingua, primæ voci propositionis quam conjungunt, v. gr. ܐܒܝ ܓܝܪ ܦܩܕܢܝ (*pater enim meus jussit me*). Interdum conjunctio ܒܪܡ etiam postponitur primæ voci propositionis. Conjunctio ܟܝ non occurrit nisi in propositione quæ sit interrogativa ; adhibetur quoque in primo membro interrogationis quæ duo membra habet, v. gr. ܐܢܫ ܟܝ ܩܪܟ ܐܘ ܐܢܬ ܡܢ ܢܦܫܟ ܐܬܝܬ (*num quisquam te vocavit, an tu sponte venisti?*). Conjunctio ܠܡ plerumque postponitur primæ voci sententiæ alterius loquentis vel auctoris quæ adducitur ; sic Sanctus Ephræmus adducens verba

(1) Cum zlama dura.

(Genes. 49, 16) dixit: ܡ̈ܠܶܐ ܗܳܠܶܝܢ ܕ݁ ܕ݁ܳܢ ܢܕ݂ܽܘܢ ܥܰܠ ܕ݁ܳܢ ܕ݁ ܐܶܬ݂ܶܐܡܰܪ̈ܝ (verba ista «*Dan judicabit*» de Dan dicta sunt). Adhibetur etiam ܕ݁ܝܡ in interrogativo quod sensum habet optativi, ut ܡܰܢ ܕ݁ܝܡ ܡܰܘܗܶܒ݂ ܠܺܝ (*quis mihi dedisset!*).

425 – Conjunctiones secundi generis quæ conjungunt propositionem sequentem mediante aliqua particula, sunt adverbialia absoluta quæ exhibuimus n. 413, nec non præpositiones de quibus a n. 416 usque ad n. 419; quæ cum adhibentur ut conjunctiones assumunt particulam ܕ quæ copulatur primo propositionis vocabulo; hæ autem sunt hujusmodi præpositiones: ܒ݁ ܕ݁ (*eo quod, quia*), ܡܶܛܽܠ ܕ݁ (*propterea quod*), ܡܶܢ ܕ݁ (*ex eo quod, cum*) (sequente subjunctivo), (*ex quo*), ܥܰܠ ܕ݁ (*eo quod*), ܒ݁ܳܬ݂ܰܪ ܕ݁ (*postquam*), ܩܕ݂ܳܡ ܕ݁ (*antequam*), ܡܳܐ ܕ݁ (*quando, cum, postquam*), ܐܰܝܟ݂ ܕ݁ (*quemadmodum, utcumque*), ܐܶܟ݁ܡܳܐ ܕ݁ (*simul ac, quemadmodum, dum, ut*), ܐܶܟ݁ܢܳܐ ܕ݁ (*quomodo, similiter ac*), ܐܶܡܰܬ݂ܝ ܕ݁ (*quum, quando*), ܐܷܢܗܽܘ ܕ݁ (*si*), ܐܰܝܟܳܐ ܕ݁ (*ubi*), ܟ݁ܽܠ ܐܶܡܰܬ݂ܝ ܕ݁ (*quoties, quotiescumque*), ܟ݁ܽܠ ܐܰܝܟܳܐ ܕ݁ (*ubicumque, quocumque*), ܐܰܝܟ݂ܢܳܐ ܕ݁ (*ut* conjunctivum, *siculi, prout*), ܥܕ݂ܰܡܳܐ ܕ݁ (*donec*), ܟ݁ܡܳܐ ܕ݁ (*quantumcumque, quomodocumque, quotiescumque*), ܟ݁ܡܳܐ ܕ݁ܐܢ (*quidquid, quomodocumque, quantumcumque*), ܬ݁ܰܡ ܕ݁ (*ubicumque*),

ܐܝܟܐ ܕ (*ubi*). Et in genere quoties occurrit aliqua vox, sive nomen sive aliud simile, quæ conjungat propositionem sequentem cum præcedente, oportet ut post illam particulam propositio incipiat per litteram dalath.

IV DE INTERJECTIONIBUS

426 – Interjectio quam Syri grammatici grammaticos Occidentales sequentes vocant ܡܠܝ ܟܘܢܝܐ ܡܚܫܢܝܐ (1) complectitur ea vocabula quæ non sunt reapse nomina neque verba, sed exprimunt motum animi erga aliquid quod animum afficit (*italice*: sentimento). Porro ex hujusmodi nominibus verbalibus alia regunt nomen vel pronomen, alia non.

427 – Primæ speciei sunt: ܛܘܒܝ (*beatitudo*), ܡܚܒܠ (*miseria*), ܘܝ (*væ*), ܓܝܢ (2) (*per gratiam*). ܛܘܒܝ quidem cum nomine dicitur ܛܘܒܐ, sequente ܠ, ut ܛܘܒܐ ܠܛܠܝܐ (*beati infantes*); cum pronomine autem personali accipit suffixa pluralitatis ܛܘܒܝܟ, ܛܘܒܝܗܝ,

(1) Barhebræus, Græcos imitans, hanc sermonis partem non distinxit ab illa quæ dicitur ܐܡܪܐ; notum enim est grammaticos Græcos interjectionem in adverbii partem includere. Distinctio tamen grammaticorum Latinorum rei veritati conformior est. Denominationem Syriacam ܡܠܝ ܟܘܢܝܐ ܡܚܫܢܝܐ primi Maronitæ eruditi in Europa seculo XVII videntur invexisse, per translationem litteralem nominis Latini interjectionis.

(2) Orientales ܓܝܢ cum zqafa, et quidem rectius, quia vox Persica جان esse videtur.


ܛܘܒܰܝܟܝܢ ، ܛܘܒܰܝܟܘܢ , etc. Cum nomine potest etiam usurpari pronomen redundans sequente semper ܠ , ut ܛܘܒܰܝܗܘܢ ܠܫܰܘ̈ܬܦܰܝܟ (*beati socii tui !*). Item dicitur : ܡܣܟܺܝܢܳܟ (*heu te miserum !*), ܡܣܟܺܝܢܺܝ etc. (n. 417); item ܡܣܟܺܝܢܳܗ ܠܡܕܺܝܢ̱ܬܳܐ ܗܳܕܶܐ (*heu miseram hanc urbem!*). Pronomina personalia etiam cum ܕܘܳܝ suffiguntur modo pluralitatis v. gr. ܕܘܳܝܠܺܝ (*miserere mei !*) ܕܘܳܝܠܗܘܢ , ܕܘܳܝܠܟܘܢ etc. ܘܳܝ regit nomen mediante lamad[h] nomini præfigenda, v. gr. ܘܳܝ ܠܥܳܠܡܳܐ (*væ mundo !*), ܘܳܝ ܠܳܟ (*væ tibi !*). Item dicendum de ܐܳܘ (*o !*) quod significat dolorem, de ܐܘܳܝ (*proh!*), de ܐܳܗ (*o!*),ea nempe exigunt ut nomini quod regunt præfigatur lamad[h]; at interdum post ܐܳܗ nomen accipit præpositionem ܥܰܠ v. gr. ܐܳܗ ܥܰܠ ܫܘܦܪܶܗ (*o pulchritudinem ejus !*). Post ܦܘܣ venit ܦܶܝܡ . Post ܐܳ venit nomen sine particula , ut ܐܳ ܡܰܘܬܳܐ (*o mors !*). Post ܐܳܘ venit nomen de quo dolor aut admiratio sentitur , copulatum cum ܠ , ut ܐܳܘ ܠܟܺܝ ܐܰܢ̱ܬ݁ܬ݂ܳܐ (*o admiranda mulier !*), ܐܳܘ ܠܥܘܡܩܳܐ ܕܚܶܟܡܬܶܗ ܕܰܐܠܳܗܳܐ (*o profunditatem sapientiæ Dei !*).

428 – Nomina verbalia vero alterius speciei , quæ scilicet regimine non indigent sunt : ܗܳܐ ܗܳܐ (*euge, euge*), ܘܰܚ (*vah*), ܐܰܚ (*euge*), ܐܘܳܝ (*proh*), ܗܘܝ ܗܘܝ

(*væ*, *væ*), ܒܽܘܒ ܒܽܘܒ (*oh!*) ܢܶܐ (1) vel ܢܶܗ (2) (*quæso*); hoc quidem ܢܶܐ vel ܢܶܗ non venit nisi post imperativum; ܗܳܐ (*ecce*), ܠܘܰܝ (*utinam*), ܐܳܠܘܰܝ ܕܶܝܢ (*utinam*), ܐܰܡܺܝܢ (*amen*).

(1) Zlama dura.

(2) Apud Occidentales tantum.



LIBER VII

DE VARIIS QUÆSTIONIBUS AD CONSONANTES AC VOCALES PERTINENTIBUS



CAPUT I

DE QUS^{H}S^{H}AJ ET RUCCAK^{H}

429 – Jam alibi (n. 11) diximus sex inter litteras alphabeti duplicem sonum habere, alterum durum seu asperum, syriace ܡܩܫܝܐ, abstractum ܩܘܫܝܐ, alterum lenem seu aspiratum, syr. ܡܪܟܟܐ, abstr. ܪܘܟܟܐ; quod significat has litteras quæ sunt ܒܓܕܟܦܬ habere natura singulas suum sonum asperum, sed aliquando hunc sonum asperum transire in lenem (1). Jam vero lapsu temporis factum est ut ratio has litteras pronunciandi aliquam mutationem subierit. Sic Occidentales nostris temporibus non solent ܒ efferre nisi asperum, ut b Latin., ܦ autem nisi lene ut *f*. E contra Orientales nostra ætate ܒ aspiratum ut w efferunt; præterea littera

(1) Attentione dignum est tres ex his litteris etiam in lingua Græca ex duris converti in flexionibus nominum ac verborum in lenes, i. e. *k* in k^h, *t* in t^h, *p* in *f*. Sed Græci non figurant lenes litteras figuris litterarum durarum ut faciunt Syri, sed singulis singulas posuerunt figuras. Denique Græci secus ac Syri, habent k^h, t^h et *f* quæ non sunt origine *k*, *t* et *p*, cum in Syriaca lingua omnes litteræ lenes sun origine asperæ.

ܦ aspirata apud eos sonat etiam ut *u* Latinorum ; imo Orientales hanc litteram semper asperam pronunciant exceptis paucissimis vocibus in quibus lenem sonum ei litteræ dant, quam tunc notant circello subscripto. Hujusmodi voces sunt : ܐܦܣܢܬܐ (1) *(uvæ passæ)*, ܐܦܬܐ *(occasio)*, ܐܦܬܘܬܐ *(indigestio stomachi)*, ܙܦܬܐ *(pix)*, ܪܕܝܦܬܐ *(torrens)*, ܕܦܬܬܐ *(menstruum)*, ܛܠܘܦܚܐ *(lentes)*, ܛܘܦܬܐ *(typus)*, ܝܦܬ *(Japhet)*, ܢܦܛܠܬܐ *(laterna)*, ܢܦܫܐ *(anima)*, ܢܦܬܠܝܡ *(Nephtalim)*, ܣܦܣܠܐ *(cancellus)*, ܣܦܣܪܐ *(gladius)*, ܒܦܣܠܬܐ compositum a ܒ et ܦܣܠܬܐ *(in lapicidina)*, ܪܦܫܐ *(ventilabrum)*: in his vocabulis tantum et eorum derivatis habent Orientales ruccakh litteræ pe. Item in verbis ܢܦܬܚ *(aperiet)* et ܢܦܓܘܥ *(occurret)*, in aoristo et infinitivo verbali .

430 – Porro cum pronunciatio vulgata harum sex litterarum ܒܓܕܟܦܬ non careat hodie defectibus , cumque hi defectus sint contrarii regulis indubiis quas omnes veteres grammatici tradiderunt , liquido constat pronunciationem hodiernam minime esse imitandam, sed potius oportere ut præ oculis habeantur ea quæ diximus de duplici sono genuino singularum harum sex litterarum.

431 – Quidam grammatici Syri tum Orientales tum Occidentales tertium sonum litteræ ܦ distinctum a sonis aspero ac leni memorarunt , quique durior est sono aspero ejusdem litteræ ܦ ; Græcam nuncuparunt itteram ܦ quæ habet istum tertium sonum , eo quod sit accepta ex Græcorum idiomate et occurrat tantum in

(1) Occidentales , legunt ܐܦܣܬܐ cum rvasa .

vocibus Græcæ originis.

Hujusmodi pe Græcum notatur puncto superno ut distinguatur a pe aspero cui punctum in medio inscribitur. Nihilominus cum ex scriptis prædictorum grammaticorum vera pronunciatio hujus pe Græci cognosci nequeat, cumque hodie Π Græcum a Græcis proferatur sicuti ܦ asperum Syrorum Orientalium, potest inde inutile esse hodie distinguere pe Græcum a pe aspero Syrorum. (1)

Hisce præmissis exhibeamus modo regulas juxta quas sciri potest quando singulæ sex præfatæ litteræ habeant sonum lenem, quando asperum, quæ quidem regulæ non sunt difficiles usu et paucissimis exceptionibus objiciuntur.

Hæ regulæ sequentibus formulis simplicibus comprehendi possunt :

---

(1) Quot arcana reperiunt in alphabeto Græcorum investigatores critici ! Hic liceat memorare punctum ad materiem de qua agimus pertinens. Videlicet antiqui Romani seu Latini invenerunt apud Græcos F diversum a suo F et ideo illud per PH figurarunt, et e contra Syri veteres apud eosdem Græcos invenerunt P diversum a P suo et ideo illud scriptura distinxerunt. Nihilominus Græci hodierni et Φ pronunciant ut F Latinorum, et Π ut P Syrorum. Quomodo hoc problema solvitur, et qua ratione discrimen inter duo F et inter duo P statui potest cum nihil vestigii hujus discriminis remanserit ? Credine potest Latinos hallucinatos esse cum existimaverint se ab ore Græcorum audire F diversum a F suo, aut Syros P diversum a P suo ? — Si licet nostram sententiam exponere, dicimus Græcos Φ et Π pronunciasse ut F et P Latina emphatice articulata, ea scilicet emphasi qua apud Arabes distinguitur s^{s}ad a sin, t^{t}a a ta, d^{hh} a d^{h}, seu qua apud Anglos distinguitur L in *all* ab eo in *allowd*, quæ emphasis producitur dirigendo loquelæ organum versus palatum. Græci hodierni itaque harum duarum litterarum de quibus agimus, sonum ita mitigaverint ut emphasis ab illis evanuerit, quod non est improbabile in Græcis hodiernis, qui tot mutationes in pronunciatione linguæ Græcæ introduxerunt. Sed remanet insolubilis quæstio. Cur neque Latini viderunt discrimen P quod viderunt Syri, neque Syri discrimen F quod viderunt Latini ?

1 – Dura sive mobilis sive quiescens post litteram quiescentem, remanet dura.

2 – Dura sive mobilis sive quiescens post litteram mobilem, fit lenis, excepta geminata, qnæ semper dura est.

Vel juxta technologiam Europæorum :

1 – Dura in initio syllabæ si syllabum præcedit vocalis, fit lenis ; si vero consonans, remanet dura.

2 – Dura in fine omnis syllabæ fit lenis, excepto sono primo litteræ geminatæ qui semper durus est.

Quiescentia autem et mobilitas considerantur hic non ut apparent, sed ut virtualiter sunt seu ut debent esse.

Quæ omnia sequentibus declarabuntur.

432 – A – Regulæ de sono aspero :

1 – Sonus asper est primitivus, et lenis est secundarius. Proinde initiales vocum sunt asperæ (1), ex. gr. ܟܽܠ *(omnis)*, ܒܪܳܐ *(filius)*.

2 – Quoties una ex litteris quæ possunt habere duplicem sonum nempe lenem et asperum, sive sit mobilis sive quiescens, occurrit immediate post litteram quæ regulariter debet quiescere, id est cujus quiescentia est essentialis non accidentalis (n.108), tunc illa littera habet sonum asperum, exempla : ܐܘܪܟܳܐ *(longitudo)*,

---

(1) Syri Ma'lulæ prope Damascum pronunciant litteras ܟ , ܕ , ܓ , ܬ lenes initio vocum contra usum linguæ Hebraicæ et Syriacæ tum litteralis tum vulgaris. In genere regulæ hic expositæ lenitatis et asperitatis harum sex litterarum sunt ut plurimum hodie violatæ in dialectis vulgaribus Assyriæ, Mesopotamiæ et Syriæ.

ܡܠܟܘܬܐ (*regnum*), ܣܗܕܬ (*testata est*), ܚܫܒܬ (*reputavi*), ܬܕܟܝܬܐ (*purificatio*), ܡܩܕܫܐ (*sanctuarium*), ܡܪܒܥܐ (*uterus*), ܣܓܕܬܐ (*adoratio*), ܒܘܪܟܬܐ (*benedictio*).

Sed si littera præcedens est virtualiter mota vocali brevi, tunc asperitas non habet locum, ut ܒܪܘܐ in quo resh est virtualiter motum. Vide infra (n. 439,3). Per exceptionem quoque tertia radicalis participii activi verbi trilitteri nudi fit aspera in ejus flexione (1), v. gr. ܩܪܒܐ (*accedens* f.), ܗܦܟܝܢ (*redeuntes*), ܡܣܟܬܐ (*delusa*), ܢܚܬܢ (*descendentes* f.), etiam in flexione participii verbi geminati, v. gr. ܦܥܝܐ (*aberrans* f.), ܡܣܝܢ (*abjecti*), a verbis ܦܥ, et ܡܣ. Ista regula viget etiam in casu quo littera debet quiescere regulariter, sed eliditur in pronunciatione, sive pronunciatione tantum v. gr. ܥܕܬܐ (*ecclesia*), ܬܐܢܬܐ (*ficus*), ܣܦܝܢܬܐ (*navis*), sive et in pronunciatione et in orthographia, v. gr. ܡܗܒܬܐ (*donatio*), ܡܓܠܐ (*falx*), ܡܒܥܐ (*scaturire faciens* f.); hæc enim exempla erant in origine ܡܘܗܒܬܐ,

(1) Ita sana se res habet apud Syros, sed minus recte, ut evidens est: siquidem tertia radicalis prædicti participii debet esse lenis in tota flexione ex eo quod venit post secundam radicalem quæ regulariter debet esse mobilis quamvis fit per accidens quiescens, unde v.g. ܡܡܠܟܐ (*promittens* f.) est pro ܡܡܠܟܐ a ܡܡܠܟ, (vide infra 436, 2). Ita quoque in lingua Chaldaica lamadh prædicti participii manet semper lenis, dicunt enim v. gr. ܟܬܒܝܢ minime vero ܟܬܒܝܢ: similiter se res habet apud Hebræos.

ܡܥܠܝܘܬܐ, ܡܥܒܕܢܐ (n. 231 et 369). Minime tamen duplicis soni litteræ fiunt asperæ si occurrant post litteram quæ de facto quidem quiescit, sed regulariter et primario mobilis esse deberet et propter Syriasmum tantum, privata est vocali i. e. ejus quiescientia est accidentalis, v. gr. ܡܫܚܠܦܝܢ (*mutantes*), ܡܫܬܩܪܒܢܐ (*dignus offerri*), quæ erant in origine ܡܫܚܠܦܝܢ et ܡܫܬܩܪܒܢܐ cum ܠ et ܪ mobilibus (n. 102 et 277) : hujusmodi sunt quoque v. g. ܥܒܪ (*transivit*), ܢܚܬܘܢ (*descendent*), ܐܡܠܟܬ (*regnavit* f.), ܐܥܝܪܬ (*excitavi*), ܥܩܪܒܐ (*scorpius*), ܐܪܢܒܐ (*lepus*), ܡܣܒܐ (*acceptio*), hæc enim vocabula erant antea ܥܒܪ cum vocali brevi ad litteram ܥ (n.102), ܢܚܘܬܘܢ, ܐܡܠܟܬ, ܐܥܝܪܬ (n. 269), ܥܩܪܒܐ (n. 102 et 144), ܐܪܢܒܐ, ܡܣܒܐ (n. 387).

Excipiuntur quædam vocabula ab hac regula, in quibus loco soni asperi habetur sonus lenis, quorum pleraque sunt exotica et propterea tenent sonum quem habent in linguis a quibus desumpta sunt, quorum præcipua sunt : ܐܘܚܕܢܐ (*principalis*), ܦܝܢܟܐ (*discus*), ܐܦܘܬܐ (*exemplar*), ܦܬܓܡܐ (*verbum, responsum*), ܡܫܝܢܐ (*scabiosus*), ܟܠܕܝܐ (*Chaldæus*), ܩܩܒܢܐ (*perdix*), ܡܢܘܠܐ (*sartago*), ܦܠܢܓܐ (1) (*ciconia*), et apud Orientales ܪܗܒܘܢܐ (*arrha*) cum ܒ leni. Excipiuntur

(1) Apud Orientales ܦܠܰܪܓܳܐ cum zqafa et qushshaj.

quoque nomina adjectiva terminata in ܬܢܐ adformativum in quibus littera ܬ est semper lenis etiamsi venit post quiescentem, v. g. ܡܩܪܒܬܢܐ (*bellator*), ܡܫܓܫܬܢܐ (*perturbator*), ܡܗܘܢܬܢܐ (*sapiens*).Item ܬ adjectivorum terminatorum in ܬܐ est semper lene v. g. ܡܨܥܝܢܘܬܐ (*arbiter*). De nominibus trilitteris dicemus infra.

3 – Littera finalis quiescens si venit post quiescentem litteram debet esse aspera, v. g. ܠܝܬ (*non est*), ܩܛܠܬ (*occidisti*), ܥܠܝܟܝ (*super te* f.), ܠܘܬܟ (*apud te*). Excipe ܒܝܬ (*domus*) aliaque quæ ei similia sunt, et ratio est quod ܝ in hac voce non effertur.

4 – Sequitur ex 2ª regula quod littera quæ geminatur apud Orientales, seu quæ venit post pt^{h}ah^{h}am vel zlamam lenem, habere debet sonum asperum, v. gr. ܨܒܐ (*voluit*), ܚܟܐ (*palatum*), ܠܘܚܐ (*tabula*), ܡܕܡ (*aliquid*), ܣܒܠܬܐ (*scala*), ܩܢܐ (*acquisivit*), ܢܟܠܐ (*dolus*); item si littera geminata deberet esse mobilis, sed ob Syriasmum amisit suam vocalem, ut ܡܩܒܠܝܢ (*accipiunt*), ܡܣܒܪܐ (*obscœna*), ܣܟܬܐ (*vomer*), ܐܓܪ̈ܬܐ (*epistolæ*), ܩܒܬܐ (*fornix*), quæ sunt pro ܡܩܒܠܝܢ, ܡܣܒܪܐ, ܣܟܬܐ, ܐܓܪ̈ܬܐ, ܩܒܬܐ (n. 102 et 276). Item asperæ sunt litteræ geminatæ post ʿs^{s}as^{s}am i. e. ʿmaqam apud Orientales, v. gr. ܥܘܒܐ (*sinus*), ܐܣܦܘܓܐ (*spongia*), ܬܪܘܓܐ (*malum citreum*), ܚܘܒܐ (*amor*); item litteræ

quæ deberent geminari post ‛sˢasˢam quamvis reapse eas hodie non geminent (1), v. gr. ܓܘܒܐ (*fovea*), ܓܘܕܐ (*cœtus*), ܟܘܒܐ (*placenta*), ܢܘܟܠܐ (*dolus*), ܟܘܒܐ (*spina*), ܕܘܓܐ (*surdus*), ܬܘܬܐ (*morus*), ܙܘܦܐ (*hyssopus*).

Item aspera est littera quæ geminari deberet in nominibus formæ فعّال, derivatis a verbo فعّل verb. grat. ܚܘܕܬܐ (*renovatio*), ܩܘܒܠܐ (*receptio*), secus littera non geminatur neque aspere pronunciatur, ex. gr. ܦܘܪܕܐ (*velum*), ܬܘܒܢܐ (*machinatio*). Sequentes voces habent sonum lenem, scilicet ܐܘܕܐ (*titio*), ܨܘܒܐ (*Nisibis*), ܟܘܕܐ (*nictycorax*), ܓܘܒܐ (*festuca*). Veluti anomalum vocabulum apud solos Occidentales habet sonum lenem pro aspero sequens nomen ܨܦܪܐ (*diluculum*.) Excipitur quoque tum apud Orientales tum apud Occidentales littera quæ sequitur vocalem pt‛ᵇahʰam aut zlamam, locum vocalis brevis tenentem, quæque juxta analogiam absque motione esse deberet, sed propter euphoniam assumit vocalem brevem (2) (n. 103), ex. gr. ܐܟܠ (*comedit*), ܐܬܐ (*venit*), ܐܒܐ (*pater naturalis*), ܐܟܝܦܐ (*sedulus*), ܐܟܝܠ (*comestus*), ܐܒܝܠܐ (*lugens*), ܐܒܪܐ (*plumbus*), ܐܓܝܪܐ (*mercenarius*), ܚܫܒܘ (*reputarunt*), ܚܫܒܝܢ (*reputarunt* f.).

(1) Geminationem usque ad hunc diem conservant Syri Ma‛lulæ in his similibusque nominibus.

(2) Vidimus jam sæpe hodie Syros vocales breves non pronunciare, sed eas convertere aut in longas aut in clausas i. e. geminantes.

Item excipitur dalat^{h} in ܚܕܘܬܐ (*gaudium*) quia ejus dalat^{h} virtualiter est quiescens. Adverte tamen nomen ܐܒܐ cum dicitur sensu paternitatis spiritualis i. e. de abbatibus (quæ vox Syriaca est) tunc bet^{h} pronunciatur asperum et (apud Orientales) geminatur, ut ܐܒܐ ܡܩܪܝܘܣ (*abbas Macarius*, l. *àbba*).

433 – B – Regulæ de sono leni.

5 – Littera quiescens regulariter sive in medio sive in fine vocis post mobilem habet sonum lenem, ex. gr. ܦܓܪܐ (*corpus*), ܥܡ (*cum*), ܡܟܟ (*submissus est*), ܢܩܪܘܒ (*accedimus*), ܡܚܫܒܬܐ (*cogitatio*), ܬܟܣܝܬܐ (*operimentum*), ܚܘܒܬܐ (*debitum, obligatio*), ܫܬܐܣܬܐ (*fundamentum*), ܣܬܘܐ (*hiems*), ܙܝܘܐ (*splendor*), ܐܒܪܘܟ (*genua flectam*).

Pariter litteræ finales vocum quando veniunt quiescentes post vocalem, habent sonum lenem, quamvis antea quando scilicet ipsæ habebant notionem erant asperæ, v. gr. ܐܝܙܓܕ (*legatus*) a ܐܝܙܓܕܐ, ܓܢܒ (*latus*) a ܓܢܒܐ, ܟܦ (*palma manus*) a ܟܦܐ, ܣܘܦ (*finis*) a ܣܘܦܐ. Excipe ܪܒ (*magnus*) a ܪܒܐ et ܕܘܟ (*locus*) a ܕܘܟܬܐ. Item excipitur littera finalis aspera nominis quæ per constructionem cum suffixis perdit suam vocalem, hæc enim littera restat aspera, ut ܠܒܝ (*cor meum*), ܥܘܒܗܘܢ (*sinus eorum*), ܠܘܚܟܘܢ (*tabula vestra*). Attamen nomen cui suffigitur pronomen 1^{æ} pers. sing. non mutat ultimam

litteram ut ܓܶܢܒܝ (*latus meum*); nam pronomen jod[h] consideratur ut ultima littera vocis.

434 — Si tamen littera quiescens erat in origine mobilis geminata, tunc non habet sonum lenem, sed remanet aspera (n. 102 et 157, 1). En exempla: ܦܘܬܩܐ (*caupona*), ܦܣܘܩܠܐ (*pars, portio*), ܐܕܪܐ (*area*), ܕܘܟܬܐ (*locus*), ejusque contractum ܕܘܟ, ܦܪܕܬܐ (*granum*), ܣܟܪܐ (*clypeus*), ܟܟܪܐ (*talentum*), ܣܘܟܪܐ (*sera*), ܠܓܢܬܐ (*pelvis*), et apud solos Occidentales ܠܓܢܐ (*spissus*). Ratio est quia v.gr. taw in ܦܘܬܩܐ est mobile et geminatum virtualiter, nomen enim est origine فنّق pro فندق; idem dicendum de ܐܕܪܐ quod erat ܐܕܪ cum ܕ geminato ad compensationem nun elisi, quia in origine erat ܐܢܕܪܐ; et sic de ceteris exemplis. Item quoties littera quiescit per purum Syriasmum non fit lenis ut in regulis de qus[h]s[h]aj vidimus (v. n. 102) v.gr. ܡܣܦܠܐ (*abjectus*), ܪܓܬܐ (*cupido*), ܡܚܒܠܝܢ (*corrumpunt*), ܠܘܥܝܬܐ (*fauces*). Ratio est quia v. gr. in ܡܣܦܠܐ littera ܦ est geminata in origine habens vel ܡܣܦܦܠ, vel ܡܣܦܦܠ. Item de ceteris.

6 — Quoties littera secunda cujusvis vocis est mobilis post quiescentem, habet sonum lenem, v. gr. ܕܘܐ (*fluxit*), ܚܒܠܐ (*corruptio*), ܡܫܟܚ (*inventus*),

ܥܬܝܕܐ (*futura est*), ܪܟܢ (*inclinatus est*), ܩܘܪܒܐ (*irruptio*). Excipitur ܫܬܐ (*sex*) quia in origine erat ܫܬܬܐ i. e. cum zlama ad primam litteram et cum taw geminato et proinde taw debet esse asperum juxta dicta (n. 432, 4); item excipitur ܫܬܝܢ (*sexaginta*) propter eandem causam. Attamen ܫܬ (*sex*) et ܫܬܝܬܝܐ (*sextus*) habent sonum lenem.

Ex ista regula sequitur hæc alia, id est :

7 — Quoties una ex litteris ܒܓܕܟܦܬ venit post unam ex particulis ܒ, ܕ, ܘ, ܠ seu ܒܕܘܠ quæ præfiguntur nominibus, verbis et particulis, vel venit post ܡ præformativam participii, infinitivi etc., vel post præformativas aoristi, excepta littera alaf habente post se litteram mobilem, littera quæ sequitur præformativas prædictas fit lenis, v. gr. ܠܒܪܢܫܐ (*homini*), ܘܒܪܐ (*et filius*), ܒܡܕܒܪܐ (*in deserto*), ܡܟܣܐ (*operit*), ܢܬܦܫܩ (*interpretabitur*), ܐܟܢܘܫ (*colligam*). Item quando una ex ipsis litteris ܒܕܘܠ venit immediate post aliam ex iisdem litteris (n. 102 et 104) v. gr. ܠܕܒܡܕܝܢܬܐ (*iis qui sunt in urbe*).

8 — Quoties una ex litteris ܒܓܕܟܦܬ venit mobilis post vocalem longam quæ scilicet non ingeminat litteram sequentem, i. e. post zqafam, h^{h}vas^{s}am, zlamam duram vel ʿmaqam, vel post vocalem brevem expressam vel subintellectam (n. 102), habet sonum lenem.

Exempla litteræ quæ sequitur vocalem longam :

ܛܳܒ݂ܳܐ (*bonus*), ܫܳܟܶܢ (*inhabitat*), ܥܺܐܕܳܐ (*festus*), ܚܫܺܝܒ݂ܳܐ (*reputata*), ܐܳܬ݂ܳܐ (*signum*), ܡܰܥܡܽܘܕ݂ܺܝܬ݂ܳܐ (*baptisma*), ܡܫܽܘܬ݂ܳܐ (*convivium*). Exinde vides litteras infirmas quæ veniunt ut matres lectionis, i. e. conjunguntur cum vocalibus longis claritatis ergo, nullatenus computari. Anomala sunt sequentia: ܢܽܘܙܟ݂ܬ݂ܳܐ (*lancea*), ܟܽܘܬܺܝܢܳܐ (*subucula*), ܒܳܬ݁ܶܐ (1) (*domus* pl.), ܦܽܘܪܬ݁ܳܐ (*minutum*), nec non participium activum verbi trilitteri nudi geminati in sua flexione, ut ܦܳܥܶܐ (*errans*), ܡܟ݁ܺܝܟ݂ܺܝܢ (*viles, demissi*); ratio est quia in præfatis locis littera de qua agitur habetur virtualiter ut geminata, unde redit quæstio ad 4am regulam. Excipitur quoque ab ista regula infinitivus formæ فعال v. gr. ܣܽܘܟ݁ܳܝܳܐ (*expectatio*), juxta dicta ad regulam 4am.

Exempla litteræ quæ sequitur vocalem brevem subintellectam: ܒܥܶܠܕ݁ܒ݂ܳܒ݂ܳܐ (*inimicus*), ܢܶܫܬ݁ܰܒ݂ܩܽܘܢ (*remanebunt*), ܬܶܫܬ݁ܰܠܚܦܺܝܢ (*transmutabis* f.), ܕ݁ܡܦܰܩܕ݁ܺܝܢ (*qui jubent*), quæ sunt pro: ܒܥܶܠܕ݁ܒ݂ܳܒ݂ܳܐ, ܢܶܫܬ݁ܰܒ݂ܩܽܘܢ, ܬܶܫܬ݁ܰܠܚܦܺܝܢ, ܕ݁ܡܦܰܩܕ݁ܺܝܢ (n. 276 et 287). Excipitur 3a radicalis participii activi verbi trilitteri quæ in ejus flexione aspera est quamquam littera præcedens vocali brevi virtualiter mota sit, ex. gr. ܙܳܟ݂ܝܳܐ (*vincens* f.),

(1) Asperum habet sonum taw in hoc nomine quia origine est geminatum et ita est apud Hebræos usque ad hunc diem. Itaque hic valet regula asperitatis n° 4.

ܒܳܪܟܺܝܢ *(genua flectunt)*. Et sic etiam substantiva quæ hujus participii formam habent, ut ܢܰܪܓܳܐ *(securis)*. Excipitur quoque ܗܳܢܳܐ *(hic)*. Exempla vocalis brevis expressæ : ܒܰܪܶܟܝܢܝ *(benedic me)*, ܐܶܟܰܠ *(manducavit)*, ܐܰܒܳܐ *(pater)*, ܢܓܽܘܕܝܗܝ *(trahe eum)*, ܕܡܽܘܟܘ *(dormite)*, ܚܰܫܶܒܝܢܝ *(reputa me)*, ܐܟܺܝܠ *(manducatus)*, ܦܠܰܓܝܢ *(diviserunt* f. *)*.

9 — Exinde deducitur quod littera initialis unius vocis quæ venit immediate post vocalem longam scilicet zqafam, h^{h}vas^{s}am, zlamam fortem vel ʿmaqam, fit illa, inquam, littera initialis vocis præcedentis, lenis (1), si non separatur in pronunciatione a voce præcedenti, v. gr. ܗܳܢܳܐ ܒܪܳܐ *(hic filius)*, ܡܳܪܳܐ ܕܟܽܠ *(dominus omnium)*, ܗܽܘܝܽܘ ܕܩܪܳܟ *(ipse qui te vocavit)*, ܩܪܺܝ ܓܰܒܪܳܐ *(voca virum)*. Minime vero si vocabulum præcedens desinat

(1) Hodie hæc regula non viget nisi penes Occidentales; obsolevit autem apud Orientales, qui tamen et ipsi procul dubio leniter initialem vocis pronunciabant post finalem mobilem vocis præcedentis, quod per vocalem longam; id autem evincitur ex eo quod hæc regula existat penes Hebræos nec non in lingua Syriaca Chaldaica. Quod autem Barhebræus non meminerit in sua grammatica dicta ܢܳܡܽܘܣܳܐ hujus regulæ, minime probat eam non extitisse in praxi illo tempore; quoniam idem Barhebræus in eadem grammatica omittit dicere quod littera initialis vocis sit naturaliter aspera, neque docet quando finalis littera debet esse aspera et quando debet esse lenis. Etenim Barhebræus non tradit in dicto opere regulas de locis soni lenis et soni asperi, sed tantum recenset omnia vocabula Syriaca per categorias indicans in unaquaque categoria quæ littera debet habere sonum lenem, quæ asperum, quin tradat canones universales de locis asperitatis et lenitatis, quas ceteroquin is videtur non satis præcepisse. Cæterum in codicibus Syriacis saltem Occidentalium, exaratis ante Barhebræi ætatem, observata adamussim hæc regula de qua agimus inspicitur.

in hamzam, v. gr. ܒܝܐ ܒܪܢ (*solare filium nostrum*), ܡܛܢܦܐ ܓܘܢܗ (*polluens colorem suum*). Item si vocabulum primum desinat in ܘ vel ܝ diphthongos, non fit lenis littera initialis sequentis vocabuli, v. gr. ܗܘ ܕܐܬܐ (*ille qui venit*), ܗܝ ܒܪܬܐ (*illa filia*), ܥܠܝ ܒܟܐ (*super me flevit*).

10 – Quoties littera venit mobilis post duas quiescentes fit lenis quæ regula coincidit cum regula 8ª (n. 102), v. gr. ܐܪܢܒܐ (*lepus*), ܡܫܟܒܐ (*cubile*); item si una ex duabus quiescentibus fuerit elisa, v. gr. ܡܫܒܐ (*flatus*), ܐܚܬܟ (*fecit te descendere*), quæ sunt pro ܡܢܫܒܐ, ܐܢܚܬܟ.

435 – Hactenus de regulis soni asperi vel lenis in genere; infra loquemur de quibusdam nominibus vel verbis in specie. Interea sciendum tibi est suffixum ܟ 2æ personæ esse semper lene v. gr. ܒܪܟ (*filius tuus*), ܒܪܟܝ (*filius tuus* f.), ܩܪܟܘܢ (*vocavit vos*), nisi ante suffixum venerit ܝ diphthongus tunc enim suffixum prædictum fit asperum, v. gr. ܥܠܝܟܝܢ (*super vos* f.) ܥܒܕܝܟ (*servi tui*), item ܡܩܫܝܬܟܘܢ (*cucumerarium vestrum*), ܡܫܬܝܟܝܢ (*potus vester*, f.), non tamen si ante jodh quæ præcedit prædictum suffixum veniat zqafa vel littera quiescens, tunc enim suffixum est lene, v. g. ܫܘܒܩܟܘܢ (*indulgentia vestra*), ܛܠܝܟܘܢ (*puer vester*).

Quoties litteræ ܕ vel ܬ occupantes in vocabulis locum lenitatis quiescunt ante ܬ asperum, fiunt et ipsæ asperæ euphoniæ causa, v. gr. ܡܚܬܬܐ (*descensus*), ܡܨܝܕܬܐ (*rete*), ܐܚܝܕܬܐ (*apprehensa*), loco ܡܚܬܬܐ, ܡܨܝܕܬܐ, ܐܚܝܕܬܐ. Minime tamen si litteræ ܕ vel ܬ sint asperæ ante ܬ lene, i. e. tunc asperæ non fiunt lenes ratione ܬ lenis sequentis, v. gr. ܐܢܬܬܐ (*mulier*), ܢܕܝܕܬܐ (*abominatio*), ܚܫܝܕܬܐ (*dignitas*).

436 – Quoties post copulativam ܘ venit ܕ quiescens, sequente ܬ vel ܕ, vel post copulativam ܘ venit ܬ quiescens sequente ܕ, tunc litteræ ܕ et ܬ quiescentes quæ sequuntur copulativam non fiunt lenes, uti poscit regula, sed manent asperæ euphoniæ causa, v. gr. ܘܕܕܒܚܬܐ (*et sacrificii*), ܘܕܬܘܕܝܬܐ (*et confessionis*), ܘܬܕܝܐ (*et ubera*). Quidam extendunt hoc ad omnes litteras ܒܓܕܟܦܬ, quod nempe quoties post unam ex his litteris venit ܬ quiescens, deinde sequitur ܕ, illa ܬ non fit lenis, v. gr. ܒܬܕܝܐ (*uberibus*).

437 – Littera ܬ in verbis reciprocis quæ nempe assumunt initio incrementum ܐܬ, profertur *lenis*, v. gr. ܐܬܚܟܡ (*confortatus est*), ܐܬܚܬܡ (*signatus est*), etc. Attamen hæc littera fit aspera quoties habet post se aliud ܬ vel ܕ vel ܛ, v. gr. ܐܬܬܢܚ (*ingemuit*), ܐܬܕܟܪ (*meminit*), ܐܬܛܝܒ (*se disposuit*).

Item si inter has duas litteras ܐܬ præformativas

verbi reciprocici media intercedat alia littera, tunc ܬ sive maneat ܬ sive convertatur in ܕ, pronunciatur aspera, v. g. ܐܶܫܬܰܠܰܛ (*dominatus est*), ܐܶܙܕܰܕܰܩ (*justificatus est*). Et generaliter quoties ܬ lene venit in statu quiescentiæ ante ܬ mobile, illud fit asperum, v. gr. ܘܬܶܬܡܫܽܘܚ (*et perunges*), pro ܘܬܶܬܡܫܽܘܚ.

438 — Nota denique voces origine Græcas quibus abundat lingua Syriaca, minime sequi canones adhuc traditos de sono aspero ac leni, sed placuit Syris præsertim grammaticis ut illæ voces retineant sonos quos habent in lingua Græca. Statuerunt ergo Syri in vocibus Græcis quinque ex sex litteris, i. e. ܒ, ܓ, ܕ, ܟ, et ܬ semper pronunciari lenes, quia taliter pronunciantur a Græcis. Exempla: ܬܶܐܘܠܘܓܘܣ (*theologus*), ܬܶܐܘܕܘܪܘܣ (*Theodorus*), ܦܰܛܪܝܰܪܟܐ (*patriarcha*), ܟܪܺܝܣܛܝܳܢܐ (*Christianus*), ܟܺܝܠܝܰܪܟܐ (*chiliarchus*), ܐܰܪܟܘܢܐ (1) (*Archon*). Excipe ܟ quiescens ante ܣ, quod pronunciatur asperum, v. gr. ܟܣܘܣܛܪܘܢ (*atrium*), ܐܠܶܟܣܰܢܕܪܘܣ (*Alexander*), ܛܶܟܣܐ (2) (*ordo*), ܐܟܣܢܝܐ (*peregrinus*). Littera ܦ modo est aspera et quidem asperitate propria quæ dicitur Græca, quod frequentius occurrit in vocabulis Græcis a Syris adoptatis, modo est lenis, quod nonnisi per usum potest

(1) Orientales cum caf aspero.

(2) Occidentales cum zlama ܛܶܟܣܐ.

dignosci. Exempla ܦ : ܦܛܪܘܣ (*Petrus*), ܦܘܠܘܣ (*Paulus*), ܦܪܘܐܡܝܘܢ (*proemion*), ܠܡܦܐܕܐ (*lampas*), ܦܪܐܬܩܐ (*parathece*), ܦܝܪܡܐ (*thus, thuribulum*). Exempla ܦ lenis: ܦܝܠܣܘܦܐ (*philosophus*), ܦܝܠܝܦܘܣ (*Philippus*), ܐܢܐܦܘܪܐ (*anaphora*).

II – DE REGULIS LENITATIS ET ASPERITATIS TERTIÆ RADICALIS IN NOMINIBUS TRILITTERIS NUDIS

439 — Tertia radicalis nominum trilitterorum nudorum in quibus prima radicalis habet pt^h^ah^h^am vel zlamam lenem vel ʿs^s^as^s^am seu ʿmaqam et secunda est quiescens, non sequitur semper regulam generalem traditam (n. 432. 2), i. e. non habet semper sonum asperum, sed aliquando habet sonum lenem, quando videlicet secunda radicalis est virtualiter mobilis, quod nonnisi per usum perfecte discitur.

440 — Nihilominus juvat quædam statuere:

1 — In quovis nomine trilittero abstracto actionem seu existentiam verbi significante, cujus secunda est quiescens, tertia habet semper sonum asperum, v. gr. ܢܩܦܬܐ (*adhæsio*), ܩܘܪܒܬܐ (*vicinitas*), ܐܘܪܟܬܐ (*longitudo*).

2 — Item tertia est aspera in nominibus trilitteris quorum secunda est diphtongus ܝ vel ܘ, v. gr. ܙܘܓܐ (*par*), ܨܝܕܐ (*venatio, piscatio*), ܨܘܬܐ (*echo*).

3 — In ceteris nominibus trilitteris tertia est lenis quoties secunda est virtualiter mobilis; secus, nempe

si secunda radicalis est natura sua quiescens, tunc tertia est aspera; ad quod dignoscendum necesse erit conferre nomina Syriaca cum respondentibus Arabicis et sæpe cum Hebraicis etiam, secus lingua Syriaca per se nullam præbet opem ad hoc discrimen cognoscendum (1). Exempla :

(1) Hanc tam evidentem ac tam ingeniosam regulam grammatici Syri percipere non poterant, non exceptis ipsis Maronitis recentiorum temporum. Inter Europæos autem ne umbram quidem hujus regulæ videre est apud Hoffmann, etc. etsi comparatione facta cum linguis Hebraica et Aramaica dicta Chaldaica regulas asperitatis et lenitatis satis apte tractaverint. Attamen novissimus Duval regulam de qua agimus satis clare vidit, eamque in sua grammatica, fere tamen obiter, commemoravit (pag. 115 d.) Peccavit tamen hic auctor in eo quod, clarissimum Nöldeke secutus, soli vocali a hanc proprietatem tribuerit, scilicet formæ فَعَل ; nam habemus ex.gr. ܬܘܠܥܬܐ, ܕܘܒܫܐ (in Chaldaismo tantum secus ac autumavit Duval) ܟܘܒܫܐ, etc. in quibus secunda radicalis mota est per vocalem quæ non est a, et tamen sequens littera lenis est, ثُلْث, كَذِب, (non كَذَب ut scripsit Duval), عَقِب. Attamen negari nequit vocalem a frequentiorem esse in hujusmodi vocabulis, saltem nominibus, quamquam vocalis e vel i quæ lenem reddat litteram sequentem, non sit rara secus ac autumavit prælaudatus Nöldeke *Mand. Gramm.* pag. 106, ut ܡܫܬܒܩܝܢ, ܡܬܩܪܝܢܐ, ܐܒܠܐ, etc. Item o vel *u* ex. gr. ܢܬܦܩܘܢ a ܢܬܦܩܝܢ, ܡܬܟܣܝܐ a ܡܬܟܣܘܝܬܐ. Summa nullum discrimen inter tres breves vocales, *a*, *i*, *u*, quoad lenitatem sequentis litteræ cernere est nisi in aliquibus raris nominibus trilitteris nudis, quorum secunda radicalis mota est per *i*. Nam et *a* aliquoties hanc virtutem perdere, patet ex taw feminini quod semper sequitur *a* brevem et tamen infinitis in locis asperum est, v. gr. ܡܪܬܐ (*domina*), ܣܦܝܢܬܐ (*navis*). Denique taw primæ pers. sing. præteriti non ideo asperum est cum suffixis quia venit post vocalem non *a* ut falso argumentatus est Duval l. c., sed quia mobile est post quiescentem litteram; ܩܛܠܬܟ enim respondet قتلتُك in quo *l* est quiescens et taw habet vocalem *u*. E contra taw 3 pers. f. sing. est quiescens post mobile et ideo est lene, non quia venit post a ; ܩܛܠܬܟ enim est pro قَتَلَتْكَ in quo *l* mobile est et taw quiescens.

ܒܪܕܐ	بَرَد	grando
ܓܪܒܐ	جَرَب	lepra
ܕܪܓܐ	دَرَج	gradus
ܚܕܬܐ	حَدَث	novus
ܚܘܪܒܐ	خَرَب	ciconia
ܚܣܕܐ (1)	حَسَد	misericordia
ܚܠܒܐ	حَلَب	lac
ܚܢܟܐ	حَنَك	palatum
ܢܥܒܐ	نعاب	corvus
ܟܢܦܐ	كَنَف	ala
ܟܬܦܐ (2)	كَتِف	humerus
ܥܘܪܒܐ	غراب	corvus
ܥܩܒܐ	عَقِب	calcaneus
ܥܪܒܐ	غَرَب	silex
ܥܪܒܐ a ܥܪܒܝܐ	عَرَب	Arabes
ܬܘܠܬܐ	ثُلُث	triens

(1) In Hebraica lingua hæc radix eumdem sensum habet ac in Syriaca cum motione secundæ radicalis; at in illa lingua secunda radicalis est virtualiter quiescens. In Arabica lingua حَسَد significat (invidiam). At hæc radix extat in Syriaca lingua etiam cum quiescentia secundæ radicalis sed in sensu contumeliæ quod magis accedit ad invidiam.

(2) Grammatici Syri saltem Occidentales asperam faciunt ܦ in hoc nomine, sed Chaldaismus habet hanc litteram lenem, quod rectius.

Excipe ܡܰܠܟܳܐ مَلِك (*rex*), ܟܰܒܕܳܐ كَبِد (*jecur*), ܝܰܠܕܳܐ وَلَد (*infans*), in quibus tertia est aspera, quamvis eorum secunda, uti eruitur ex Arabicis respondentibus, est virtualiter mobilis. Dici etiam potest secundam prædictorum nominum in origine fuisse apud Arabes ipsos quiescentem, quia apud eosdem dicitur quoque مَلْك, كَبْد, وِلْد, quod lingua Hebraica etiam confirmat, in qua horum nominum (excepto كَبْد) forma respondet formæ Arabicæ cujus secunda quiescens est, etsi possint etiam formam Arabicam cujus secunda mobilis est, habere. Inter exceptiones veras recensendum est nomen ܕܽܘܢܒܳܐ (*cauda*), quod habet secundam radicalem virtualiter mobilem ut testatur tum Arabica tum Hebraica lingua, et tamen b quod eam sequitur asperum est. Saltem in Syriasmo litterali; nam in Chaldaismo b lene est ut exigit regula.

441 — Ex nominibus trilitteris Syriacis quorum tertia est lenis, sequentia numerantur, quorum tamen fere nullum repugnat regulæ a nobis traditæ:

ܐܶܠܦܳܐ	navis
ܚܽܘܣܳܝܳܐ (1)	misericordia
ܚܶܡܬܳܐ (2)	ira

(1) Habet Arabica lingua حَسَد cum secunda radicali mota, sed alio sensu ac in Syriaca atque Hebraica, in qua tamen forma hujus nominis respondet quiescentiæ secundæ radicalis.

(2) Perperam grammatici Syri considerant taw in hoc nomine ut litteram radicalem, habet enim formam ܪܽܘܚܬܳܐ, cum taw in ipso sit signum feminini,

ܟܦܪܐ	urbs, pagus
ܓܠܕܐ	pellis
ܦܫܟܐ	mensura palmi
ܩܘܦܕܐ (1)	ericius
ܪܛܒܐ	humiditas
ܙܩܒܐ	uter
ܪܩܕܐ	saltatio
ܫܬܐܣܐ	basis, fundamentum

His Orientales addunt ܐܢܟܐ (*stannum*) quod cum pt^h^ah^h^a efferunt ; Occidentales autem recte cum zqafa pronunciant et simul molliunt caf ; testatur Arabicum آنك quod est cum a longo et cum nun mobili .

442 – Exempla nominum trilitterorum nudorum quorum secunda est quiescens in Syriaca lingua ut in respondentibus vocibus Arabicis , et proinde eorumdem tertia radicalis est aspera :

ܘܪܕܐ	وَرْد	rosa
ܚܘܠܕܐ	خُلْد	talpa
ܚܪܒܐ	حَرْب	bellum

ipsumque nomen sit in origine ܫܬܐܣܐ a radice inusitata ܫܬܣ ut alibi vidimus .

(1) Vera ratio est quia ܩܘܦܕܐ est pro ܩܘܦܕܐ cum ܦ geminato et mobili per brevem vocalem, unde ܦ fit *asperum* juxta regulam quartam, et ܕ fit *lene* juxta regulam secundam.

ܢܩܒܐ	نقب	foramen
ܡܪܓܐ	مَرْج	pratum
ܟܠܒܐ	كَلْب	canis
ܥܒܕܐ	عَبْد	servus
ܦܠܓܐ	فَلْج	dimidius
ܬܠܓܐ	ثَلْج	nix

443 - Imo universim notamus nomina trilittera quorum tertia est aspera esse longe plura trilitteris quorum tertia est lenis; hujusmodi sunt :

ܐܠܦܐ	أَلْف	mille
ܐܣܬܐ	إِسْت	ima pars
ܒܘܪܟܬܐ pro ܪܘܟܒܬܐ	رُكْبَة	genu
ܓܪܒܐ	أَجْرَب	leprosus

ܐܦܬܐ (*bitumen* m.) At ܐܦܬܐ (*capillus* f.) habet pe asperum et taw molle quia est signum feminini .

ܚܘܪܒܐ	desertus
ܕܡܟܐ	dormiens
ܚܣܕܐ	opprobrium
ܕܘܥܬܐ	sudor
ܪܓܬܐ	decus

ܩܫܬܐ (*arcus*), ubi taw consideratur ut

radicale.

At ܩܫܬܐ in sensu (*stipulæ*) habet taw lene quia est signum feminini.

444 – Quoties igitur circa hujusmodi nomina trilittera nuda dubium tibi oritur inspice nomina superius commemorata in quibus tertia radicalis est lenis ; etsi nomen de quo quæris inter illa non reperias, tunc tuto potes decidere ejus tertiam radicalem pronunciandam esse asperam .

445 — Notandum porro quædam vocabula assumere significationem diversam per diversitatem soni lenis vel asperi : sic v. gr. ܚܘܪܒܐ cum ܒ aspero significat (*desertum*), ܚܘܪܒܐ vero cum ܒ leni significat (*ciconiam*) ; item ܚܣܕܐ cum ܕ aspero (*opprobrium*) ; ܚܣܕܐ cum ܕ leni (*misericordia*); item ܓܪܒܐ (*leprosus*) adjectivum , ܓܪܒܐ (*lepra*) substantivum , etc.

446 — Adverte insuper apud solos Orientales quædam ex hujusmodi nominibus habere sonum asperum in singulari, et lenem in plurali, v. gr. ܐܠܓܐ (*radius*) ܐܠܓܐ , ܡܪܓܐ (*pratum*) ܡܪܓܐ , ܥܣܒܐ (*herba*) ܥܣܒܐ.

447 – Nunc de hujusmodi nominibus desinentibus in taw feminini. Hæc igitur nomina quorum scilicet 1ª radicalis est mobilis , et 2ª quiescens , habent tertiam semper asperam , v. gr. ܡܠܟܬܐ (*regina*) , ܣܘܟܬܐ (*ramus*) , ܚܪܒܬܐ (*vastata* , *desolata*), ܣܓܝܪܬܐ.

(*adoratio*), ܒܘܪܟܬܐ (*benedictio*), ܢܨܒܬܐ (*planta*), ܢܩܒܬܐ (*fœmina*), ܒܘܠܒܠܐ (*confusio*), ܐܢܬܬܐ (*mulier*), ܪܘܠܒܬܐ (*vulnus*); item nomina quæ radicem geminatam habent, ut ܚܒܬܐ (*stipula*), ܣܒܬܐ (*vomer*), ܫܒܬܐ (*sabbatum*), ܐܒܬܐ (*odium*), ܢܒܠܐ (*abominatio*), ܠܓܒܬܐ (*lagena*).

448 – Præterea in hujusmodi nominibus quorum tertia radicalis est ܒ , et prima habet pthahham, littera ܒ quæ occupat tertiæ radicalis locum effertur lenis, quando nomen contrahitur sive contractione indeterminationis sive regiminis, aut ab ipso formatur adjectivum relationis per jodh servile, vel denique quando idem nomen est in plurali (1), exempla : ex ܚܪܒܬܐ (*desertum*) dicitur ܚܪܒܐ, ܚܪܒܬ, ܚܪܒܝܐ, ܚܪ̈ܒܬܐ; item ex ܫܪܒܬܐ (*tribus*) dicitur ܫܪܒܐ, ܫܪܒܬ, ܫܪܒܝܐ, et ܫܪ̈ܒܬܐ. Tertia tamen radicalis non fit lenis si deficiat una ex numeratis conditionibus, sic v. g. dicitur ܢܨܒܬܐ, ܢܨ̈ܒܬܐ etc. quia prima radicalis habet rvassam non pthahham; item ܡܠܟܬܐ (*regina*), ܡܠ̈ܟܬܐ quia tertia

(1) Ex his licet deducere rationem ob quam in Arabica lingua singularis فَعْلَة fit in plur. فَعَلَات nempe cum ع mobili, non ita tamen فِعْلَة, vel فُعْلَة : videlicet tertia radicalis in Syriaca lingua quæ fit lenis, supponit secundam esse virtualiter mobilem per vocalem brevem (n. 433, 8) i. e. formam pluralis horum exemplorum esse فَعَلَات .

radicalis non est beth .

Excipe ܥܢܒܬܐ *(una uva)* quæ quamvis non habeat pthahham ad primam fit tamen in plur. ܥܢ̈ܒܐ quia in Arabica lingua habet 2am radicalem mobilem; item ܢܩܒܬܐ *(fœmina)* fit ܢܩܒ̈ܬܐ, ܢܩ̈ܒܢ, ܢܩ̈ܒܐ et ܢܩܒܬ . Nihilominus si terminatio in ܬ retineatur in adjectivo relationis ab hoc nomine formato, tunc ܒ fit asperum, dicitur enim ܢܩܒܬܢܝܐ .

III DE SONO ASPERO VEL LENI LITTERÆ ܬ QUÆ EST SIGNUM FŒMININI

449 – Littera ܬ in quam desinunt nomina fœminina sequitur plerumque regulas traditas § I hujus capitis quoad sonum lenem vel asperum quem habere debet. Juvat tamen hujusmodi regulas distinctius applicare. Itaque :

1 – Littera ܬ nota nominum fœmininorum, quoties venit post syllabam productam, nempe post zqafam cum alaf vel sine alaf, aut post hhvasam vel 'sasam i. e. ʿmaqam vel rwahham, aut tandem etiam post pthahham coalescentem cum alaf, habet sonum lenem ; exempla : ܚܬܐ *(soror)*, ܪܐܬܐ *(fœditas)*, ܚܛܝܬܐ *(peccatum)*, ܐܚܪܬܐ *(alia)*, ܒܥܘܬܐ *(precatio)*, ܨܠܘܬܐ *(oratio)*, ܣܐܬܐ *(modius)*, ܦܬܘܬܐ *(fragmentum)*. Proinde in omnibus nominibus pluralibus terminatis in ܬ, hoc ܬ, utcumque fuerit in singulari, pronunciatur *lene* in plurali, v. g. ܒܝ̈ܫܬܐ *(mala)*,

ܟܘܒܥ̈ܬܐ (*galeæ*), ܣܝ̈ܡܬܐ (*thesauri*).

2 - In nominibus in quibus taw feminini præcedit littera vertualiter geminata (ad quod dignoscendum summopere juvat collatio cum lingua Arabica), taw debet esse *lene*, v. gr. ܓܙܬܐ جزة (*vellus*), ܟܠܬܐ كنّة per immutationem lamadh in nun (*nurus*), ܥܡܬܐ عمّة (*amita*), ܓܢܬܐ جنّة (*hortus*), ܓܫܬܐ جسّة (*tactus*), ܥܪܬܐ ضرّة (*æmula*), ܡܓܠܬܐ مجلّة (*codex,scheda*), ܩܠܬܐ قلّة (*hydria*), ܐܡܬܐ أمّة (*gens, natio*), ܥܠܬܐ علّة (*causa*), ܐܣܩܘܦܬܐ أسكفّة (*limen portæ*). Item ܐܦܬܐ (*occasio*), ܟܪܝܬܐ (*cruciatus*), ܚܫܬܐ (*passio*), ܩܪܬܐ (*frigus*), ܡܠܬܐ (*verbum*), ܚܝܬܐ (*viva*), ܡܪܬܐ (*fel, amaritudo*), ܡܢܬܐ (*capillus*), ܚܪܬܐ (*contentio*), ܩܘܩܬܐ (*urna*), ܕܘܟܬܐ (*locus*), ܗܘܬܐ (*fovea*), ܢܘܦܬܐ (*gutta*), ܓܠܬܐ (*grumus*), ܣܠܬܐ (*vagina*), ܩܫܬܐ (*festuca , stipula*) , ܫܒܬܐ (*sabbatum*), ܩܘܒܬܐ (*fornix*) .

3 - In nominibus terminatis in ܬܐ fœminini quæ a solis duabus litteris radicalibus constant, quarum prior habet pthahham vel zlamam, littera ܬ est *lenis*, exempla: ܐܫܬܐ (*murus*), ܫܢܬܐ (*somnus*), ܒܨܬܐ (*cura*), ܪܒܬܐ (*magna*), ܐܡܬܐ (*ancilla*), ܒܪܬܐ (*filia*), ܚܡܬܐ (*ira*), quod est ab inusitato ܚܡܡ. Excipiuntur ܫܢܬܐ (*annus*),

ܩܫܬܐ (*arcus*), ܦܬܬܐ (*stercus*), ܐܫܬܐ (*pars ima*), in quorum tamen ultimis duobus exemplis littera ܬ est radicalis, non nota fœminini.

4 – In nominibus trilitteris in quibus duæ litteræ quiescentes præcedunt taw fœm. littera ܬ est lenis, exempla : ܫܪܒܬܐ (*tribus*), ܢܩܝܬܐ (*munda*), ܚܟܡܬܐ (*sapientia*), ܒܘܪܟܬܐ (*benedictio*). Excipiuntur ܐܝܠܬܐ (*cerva*), ܝܥܠܬܐ (*capra silvestris*).

5 – In omnibus adjectivis trilitteris habentibus ad 2am radicalem pthahham, taw fœminini est lene, exempla: ܛܠܝܬܐ (*puella*), ܥܩܪܬܐ (*sterilis*), ܣܟܠܬܐ (*fatua*).

6 – In omnibus nominibus in quibus ante ܬ fœm. extat littera quiescens post pthahham, taw habet sonum lenem ; exempla : ܬܒܥܬܐ (*vindicta*), ܪܘܚܬܐ (*latitudo*), ܒܥܘܬܐ (*deprecatio*), ܫܒܠܬܐ (*spica*), ܝܕܥܬܐ (*cognitio*), ܐܚܘܬܐ (*fratria*), ܥܪܩܬܐ (*corrigia*), ܦܪܚܬܐ (*avis*), ܡܚܫܒܬܐ (*cogitatio*), ܐܘܪܩܬܐ (*pars panni qua vestis reparatur*). Excipiuntur ܓܙܪܬܐ (*insula*), ܥܓܠܬܐ (*currus*), ܓܘܡܬܐ apud solos Orientales (*lacuna*), ܛܥܢܬܐ (*onus*), ܙܒܢܬܐ (*vices*), ܡܥܒܪܬܐ (*transitus*), ܫܘܕܪܬܐ (*missio*), ܡܐܣܪܬܐ (*ligamen, vinculum*), ܫܫܠܬܐ (1) (*catena*), ܩܩܠܬܐ (1) (*sterquilinium*), ܐܪܡܠܬܐ (*vidua*), ܐܓܪܬܐ (*epistola*), ܥܘܩܒܪܬܐ (*mus*), ܥܘܐܕܪܬܐ

(1) Orientales cum zlama leni, pro hhvassa.

(*coriandrum*), ܫܠܗܒܝܬܐ (*flamma*) ; item excipiuntur nomina habentia ante ܬ duas syllabas habentes pt^h^a-h^h^am, v. gr. ܡܦܩܬܐ (*exitus*), ܓܓܪܬܐ (*guttur*), non tamen nomina orta a radice geminata, ut ܡܛܠܠܬܐ. Insuper excipiuntur participia activa quæ constant quatuor litteris, nempe participia formæ ܦܥܠ, v. gr. ܡܩܒܠܬܐ (*accepta*), ܡܒܪܟܬܐ (*benedicta*), vel formæ ܐܦܥܠ, v. gr. ܡܣܡܟܬܐ (*innixa*), ܡܟܐܪܬܐ (*infirmitate affecta*), vel denique participia formæ ܦܥܠܠ v. gr. ܡܫܥܒܕܬܐ (*in servitutem redacta*).

7 — Littera ܬ fœminini in nominibus trilitteris nudis quorum prima radicalis habet zqafam secunda zlamam, est lenis, exempla : ܝܠܕܬܐ (*genitrix*), ܩܡܚܬܐ (*monumentum*), ܪܚܡܬܐ (*amica*), ܦܥܠܬܐ (*operaria*).

8 — Littera ܬ fœminini quiescens in nominibus contractis, vel mobile in habentibus suffixum est semper lenis, etsi ante contractionem fuerit aspera, verb. grat.: ܐܪܡܠܬ ܝܘܡܬܢ (*vidua aliquot dierum*), ܫܢܬ ܫܒܥܝܢ (*annus septuagesimus*), ܥܕܬܝ (*ecclesia mea*).

9 — Littera ܬ fœminini occurrens post pt^h^ah^h^am vel zlamam lenem est aspera, v. gr. ܓܦܬܐ (*vinea*), ܢܟܠܬܐ (*fraus*), ܓܒܬܐ (*caseus*), ܠܒܬܐ (*later*).

10 — Littera ܬ fœm. veniens post quiescentem post zlamam, exceptis nominibus 7^ae^ regulæ, est aspera, v. gr. ܥܓܠܬܐ (*vitula*), ܪܓܫܬܐ (*sensus*), ܡܕܝܢܬܐ

(scala) , ܬܝܒܬܐ *(vomitus)* , ܒܥܘܬܐ (1) *(supplicatio)*, ܬܘܣܦܬܐ *(additio)*. Excipitur ܝܙܦܬܐ *(mutuum)*.

11 – Littera ܬ fœminini veniens post litteram quiescentem post zqafam , est aspera , exempla : ܡܪܬܐ *(domina)*, ܚܠܬܐ *(matertera)*, ܓܦܬܐ *(deliquium animi)*, ܙܗܒܬܐ *(pavor)*, ܢܝܚܬܐ *(quies)* , ܪܘܚܬܐ *(respiratio)* , ܚܛܝܬܐ *(peccatrix)*, ܐܚܪܝܬܐ *(ultima , postrema)*, ܣܝܒܪܬܐ *(cibus)* , ܡܐܣܪܬܐ (2) *(ligamen)* , ܗܦܟܬܐ *(objectio)*. Excipiuntur : ܣܒܬܐ *(vetula)*, ܪܡܬܐ *(alta)* , ܛܒܬܐ *(bona)* , ܫܥܬܐ *(hora)*, ܒܒܬܐ *(pupilla oculi)* , ܥܩܬܐ *(angustia)* , ܩܥܬܐ *(clamor)* , ܛܥܡܬܐ *(gustus)*, ܟܪܡܬܐ *(capitellum)*. Apud solos Occidentales ܡܢܬܐ *(portio)*.

12 – Littera ܬ fem. veniens post litteram quiescentem post hʰvasˢam, est aspera, v. gr. ܝܕܝܥܬܐ *(celebris* f. *)*, ܚܒܝܒܬܐ *(dilecta)*, ܐܝܕܬܐ *(conscientia)*. Item si jodʰ cum qua coalescere solet hʰvasˢa fuerit subintellecta, v. gr. ܫܒܫܬܐ (3) *(sarmentum)* . Regula valet etiamsi littera quiescens, quæ præcedit ܬ , otietur i.e. non pronuncietur, v. gr. ܣܦܝܢܬܐ *(navis)*, ܡܣܟܢܬܐ (4) *(egena)*. Excipitur

(1) Apud Orientales cum ptʰahʰa ad sʰin.

(2) Apud Occidentales cum ܝ ad ܣ .

(3) Apud Orientales zlama lenis pro hʰvasˢa .

(4) Orientales pronunciant nun .

ܒܝܥܬܐ (*ovum*) (quod Occidentales scribunt cum jodh,
quia est pro ܒܥܬܐ) ; item ܣܝܡܬܐ quando accipitur
substantive (*thesaurus*) , sed in sensu adjectivi sequitur
regulam et dicitur ܣܝܡܬܐ (*posita*).

13 – Littera ܬ f. veniens post litteram quiescentem post ʿsˢasˢam est aspera, ex. gr. ܨܘܪܬܐ (*imago*), ܫܘܚܬܐ (1) (*ærugo*), ܣܘܣܬܐ (*equa*), ܒܬܘܠܬܐ (*virgo*), ܙܥܘܪܬܐ (*parva*), ܬܕܡܘܪܬܐ (*miraculum*), ܡܪܩܘܕܬܐ (*luctus*). Excipiuntur ܕܘܟܬܐ (*locus*), ܩܘܠܬܐ (*hydria*), ܛܘܦܬܐ (*gutta*), ܫܘܡܬܐ (*tumor*), ܐܘܡܬܐ (*gens*), ܩܘܦܬܐ (*urna*), idque juxta regulam traditam (n. 449, 3°). Excipitur quoque ܡܗܝܡܢܬܐ (*sapiens*) quia est adjectivum masculinum (n. 432 , 2°) . Excipitur quoque ܡܫܘܚܬܐ (*mensura*), forsitan quia est pro ܡܫܘܫܚܬܐ et proinde sequitur regulam expositam (n. 449, 4°) .

IV DE SONO LENI VEL ASPERO IN LITTERIS RADICALIBUS

450 – Regulæ generales expositæ § 1 Hujus capitis extenduntur quoque ad verba eorumque derivata, quemadmodum magis explicite id declarandum suscipimus. Quoad litteram ܬ tum adformativam, tum præformativam quarumdam personarum in conjugatione verbi jam satis egimus (n. 437, et n. 394).

(1) Littera ܬ hic est radicalis.

Quoad litteras radicales verbi dicimus :

451 – Pe seu prima radicalis verbi est semper lenis quoties occurrit post unam ex sequentibus litteris ܐܡܬܢ quæ affiguntur initio, uti explicabimus statim. Scilicet littera ܐ affigitur vel tanquam præformativa primæ personæ sing. aoristi vel tanquam efformativa formæ ܐܦܥܠ ; in primo casu pe verbi quod venit post alaf ܐ fit lene si est quiescens, v.gr. ܐܟܢܘܫ (*colligo*), ܐܒܨܐ (*exploro*) ; secus, si est mobile: i. e. fit asperum; v. gr. ܐܟܢܫ (*colligo hinc inde*), ܐܓܪܘܪ (*traho*), ܐܒܪܟ (*benedico*), ܐܕܘܨ (*gaudeo*). Et in verbis pe-hamza, ubi ܐ præformativum primæ personæ sing. coalescit in unum cum hamza initiali verbi, fit lene ‛ain verbi, v.g. ܐܟܘܠ (*manduco*), ܐܒܕ (*pereo*). In secundo vero casu, nempe quando littera ܐ est efformativa typi ܐܦܥܠ, pe verbi fit semper lene, v. gr. ܐܫܠܡ (*tradidit*), ܐܒܪܩ (*fulgere fecit, scintillavit*), etiam quando pe verbi fit mobile, quod evenit in solis verbis concavis, v. gr. ܐܕܝܩ (*inspexit ex alto*), ܐܛܝܦ (*inundavit*); excipiuntur sola duo verba ܐܟܝܠ (*mensus est*), ܐܟܝܡ (*formavit*), in quibus pe verbi est asperum, sed tantummodo in præterito ; in aoristo enim et in cœteris locis fit lene juxta regulam generalem, unde dicitur v.g. ܢܟܝܡ (*formabit*), ܡܟܝܠ (*metitur*). Quod diximus de alaf efformativo formæ ܐܦܥܠ dicendum est de litteris ܫ et ܣ quæ sunt efformativæ formæ

ܡܦܩܠ et ܫܦܩܠ, pe enim verbi veniens post ܡ vel ܫ est lene, v. gr. ܫܟܠܠ (*coronavit opus*), ܫܚܠܦ (*mutavit*).

Præformativum ܡ inservit formationi utriusque participii, activi nempe et passivi, nec non infinitivi; exempla : ܡܒܪܟ (*benedicens*), ܡܒܪܟ (*benedictus*), ܡܟܢܫ (*colligere*). Littera ܢ est una ex præformativis aoristi, v. gr. ܢܦܪܘܣ (*extendet*), ܢܒܟܝܢ (*flebunt* f.). Littera denique ܬ vel est præformativa aoristi, ut ܬܕܡܟ (*dormies*), vel inservit formationi typorum verbi reciproci; sed in hoc secundo casu pe verbi non fit lene nisi duplex sit taw verb. grat. ܐܬܬܫܠܡ (*traditus fuit*), ܐܬܬܒܪܩ (*scintillavit*), ܐܬܬܩܝܡ (*constitutus est*), ܐܬܬܫܕܝ (*rejectus est*; secus si unum est taw, tunc pe verbi est asperum, ut ܐܬܟܢܫ (*collectus est*), ܐܬܫܠܡ (*traditus est*).

452 — Excipe pe verbi geminati, siquidem illud tum in forma nuda, tum in forma ܐܦܥܠ manet asperum etiam in suis derivatis omnibus per omnes suas flexiones, ex eo quod assumat vocalem ʿain verbi; exempla : ܐܚܛܘܦ (*rapiam*) a præt. ܚܛ, ܡܣܡܟ (*recumbere*) a ܣܡ, ܐܟܣ (*reprehendit*) a ܟܣ. Manet quoque asperum etiam quando ex mobili fit quiescens, ex. gr. ܐܚܛܘܦܝܘܗܝ (*prædabor illum*), ܬܟܣܝܢ (*reprehendes* f.), ܡܣܬܡܟܢ (*illabuntur*).

453 — ʿAin seu secunda radicalis verbi est

lenis in præterito verbi nudi et ejus participio activo quod est ad normam ܦܳܥܶܠ, et in adjectivo ab eodem derivato ad normam ܦܥܺܝܠܳܐ, nec non in forma reciproca respondenti formæ nudæ, idque constanter in omnibus flexionibus prædictorum casuum. Exempla : ܣܟܰܪ (*clausit*), ܐܶܟܰܠ (*manducavit*), ܣܶܟܪܰܬ (*inclusit* fœm.), ܣܟܽܘܪ (*include*), ܐܶܟܽܘܠ (*manduca*), ܣܟܰܪܘ (*includunt*), ܐܟܺܝܠ (*manducatus*), ܣܟܺܝܪܳܢ (*inclusæ*), ܐܶܬܣܟܶܪ (*includitur*), ܐܶܬܣܟܪܽܘ (*includuntur*) : non ita tamen ʿain formæ reciprocæ respondentis formæ ܦܰܥܶܠ, hoc enim ʿain est semper asperum, verb. grat. ܐܶܬܥܒܶܕܘ cum ܒ quidem leni ex ܐܶܬܥܒܶܕ, sed ex ܐܶܬܥܰܒܰܕ dicitur ܐܶܬܥܰܒܰܕܘ cum ܒ aspero. Eandem regulam sequitur participium activum nominale ; dicitur enim v. gr. ܡܶܬܥܒܕܳܢܳܐ cum ܒ leni ex ܐܶܬܥܒܶܕ, sed ex ܐܶܬܥܰܒܰܕ dicitur ܡܶܬܥܰܒܕܳܢܳܐ cum ܒ aspero. Præter loca enumerata, ʿain seu secunda radicalis veri trilitteri nudi est semper aspera, scilicet in aoristo et infinitivo sive ipsa sit quiescens sive mobilis, v. gr. ܐܶܣܟܽܘܪ (*includam*), ܬܶܣܟܪܽܘܢ (*includetis*), ܠܡܶܣܟܰܪ (*includere*). Item ܢܶܓܕܽܘܢ (*trahent*), ܠܡܶܓܰܕ (*trahere*) a verbo ܢܓܰܕ (*traxit*), ܢܶܬܒܽܘܢ (*sedebunt*), ab ܝܬܶܒ. Excipitur aoristus verbi pe-hamzati et pe infirmi, in utriusque enim

aoristo ʿain est lene, exempla: ܢܐܒܕ (*peribit*), ܢܝܬܪ (*supererit*), ܢܐܒܕܘܢ, ܢܝܬܪܘܢ, a verbis ܐܒܕ et ܝܬܪ. In cœteris vero formis tum trilitteris tum auctis quadrilitteris, secunda radicalis in trilitteris quæ est tertia in quadrilitteris est semper et ubique nempe per omnes flexiones et in omnibus derivatis aspera, exemp. gratia: ܐܘܟܠ (*manducare dedit*), ܓܠܓܠ (*volvit*), ܐܘܬܪ (*profuit*), ܐܬܦܫܩ (*interpretatus est*), ܐܬܦܨܚ (*ex intuitu oblectatus est*), ܐܪܓܙ (*irritavit*), ܐܬܥܓܠ (*provolutus est*).

454 — Lamadh seu tertia radicalis verbi trilitteri et quarta verbi quadrilitteri solent esse lenes ubique, nisi veniant mobiles post quiescentem, tunc enim fiunt asperæ. Scilicet id evenit in præterito verbi trilitteri nudi formæque reciprocæ eidem respondentis in personis habentibus in fine adformativam ܬ, nempe prima sing. et 3 fœminina.

Exempla: ܚܫܒܬ (*reputavi*), ܚܫܒܬ (*reputavit* f.), ܐܬܚܫܒܬ (*reputatus sum*), ܐܬܚܫܒܬ (*reputata est*), ܦܣܩܬ (*amputavi*), ܦܣܩܬ (*amputavit* f.), ܐܬܦܣܩܬ (*amputata est*). Item præfata littera fit aspera in præterito trilitteri nudi ejusque tawati si habeat sibi adnexum suffixum cujus prima littera est quiescens, v. gr. ܚܫܒܟ (*reputavit te*), ܚܫܒܘܢ (*reputaverunt nos*), ܚܫܒܢܝ (*reputaverunt* f. *me*), ܦܣܩܗ (*amputavit eum*). Excipe tamen præteritum verbi concavi, ejus enim tertia est lenis etiam in prima sing. et in 3ª fœminina, v. gr.

ܨܳܕܘܳܐ (*venatus est, irretivit*), etc.; item præteritum 3ª pers. pl. masc. et fœm. cui additum sit nun, ut ܚܫܒܘܢ (*computarunt*), ܚܫܒܝܢ (*reputarunt* f.). Adverte tamen tertiam radicalem quæ in prima singulari et tertia fœminina juxta dicta fit aspera, reassumere sonum lenem quoties prædictæ prima singularis vel tertia fœminina adnexum habeant suffixum cujus prima littera sit quiescens, ex. gr.: ܚܫܒܬܗ (*reputari eum*), ܪܓܝܬܗ (*concupivi eam*), a ܚܫܒܬ et ܪܓܝܬ, item ܚܫܒܬܗ (*reputavit* f. *eum*), ܪܓܬܗ (*concupivit* f. *eam*) a ܚܫܒܬ et ܪܓܬ. Ultima radicalis fit aspera in aoristo formæ passivæ conj. simplicis, et in aoristo formæ nudæ cujus prima radicalis est alaf, quando ʿain aoristi est quiescens, ex. g.: ܢܬܚܫܒܘܢ (*reputabuntur*), ܬܐܒܕܘܢ (*peribitis*), ܢܐܚܕܢ (*tenebunt* f.), ܐܐܚܕܟ (*tenebo te*), ܬܐܠܕܝܢ (*gignes* f.). Non ita tamen verb. gr. ܢܬܒܘܢ (*sedebunt*), ܢܣܒܘܢ (*accipient*), ܐܣܒܟ (*accipiam te*), et ratio quia hæc verba proveniunt a ܢܬܒ (*sedebit*), ܢܣܒ (*accipiet*), ܐܣܒ (*accipiam*). In imperativo non fit aspera ultima radicalis nisi in 2ª plurali masculina quæ habeat ʿsˢasˢam (n. 404) cum suffixo, v. gr. ܣܡܘܟܘܗܝ (*fulcite eum*), ܐܚܘܕܘܗ (*tenete eam*), ܐܬܟܪܟܘܢܝ (*circumdate me*); item aspera fit ultima radicalis in imperativo ܐܬܦܥܠ v. gr. ܐܬܚܫܒ (*reputare*), ܐܬܟܪܟܘ (*circumdate*). E contra vero in imperativo

ܐܬܦܥܠ ultima radicalis est lenis, v. gr. ܐܬܚܫܒ (*considera*), ܐܬܠܒܟ (*esto compactus*), ab ܐܬܚܫܒ, ܐܬܠܒܟ. Ultima radicalis in participio solius trilitteri nudi ac formæ ܐܬܦܥܠ, est aspera; ex. gr. ܚܫܒܐ (*considerans* f.), ܣܐܒܝܢ (*senescentes*) a ܣܐܒ, ܡܟܟܐ (*demissa*) a ܡܟ, ܡܫܥܒܢ (*delusæ*) a ܡܫܒ, ܪܟܒܬ pro ܐܢܬ ܪܟܒ (*tu equitas*) a ܪܟܒ, ܨܝܕܝ ܢܘܢܐ (*captores piscium*) a ܨܘܕ. Excipe participia activa derivata a ܨܠܒ (*crucifixit*), ܐܣܒ (*medicatus est*), ܦܠܓ (*divisit*), ܠܒܟ (*compactus est*), ܣܓ (*sepivit*), ܚܓ (*circumivit*), in horum enim verborum participiis flexis retinetur sonus lenis in 3a radicali, sic ܨܠܒܝܢ, ܐܣܒܐ, ܚܓܝܢ, ܣܓܝܢ etc. Exempla participiorum ܐܬܦܥܠ, ܡܬܚܫܒܢ (*considerantur* f.), ab ܐܬܚܫܒ, ܡܬܓܙܪܐ (*amputatur*) ab ܐܬܓܙܪ: e contra participia ܐܬܦܥܠ habent tertiam radicalem semper lenem, v. gr. ܡܬܚܫܒܢ (*considerant* f.) ab ܐܬܚܫܒ. De participio activo nominali idem dicendum quod de participio activo verbali diximus, unde a ܡܬܚܫܒ dicitur ܡܬܚܫܒܢܐ cum ܒ aspero, at a ܡܬܚܫܒ dicitur ܡܬܚܫܒܢܐ cum ܒ leni. Præter præfatos casus ultima radicalis verbi est semper lenis; unde facile est dignoscere discrimen inter ܢܪܟܒܘܢ

primum enim exemplum est aoristus ex verbo ܢܪܕܒ, in quo ܒ est lamadh seu tertia radicalis verbi, et proinde debet esse juxta dicta lenis ; secundum vero exemplum est aoristus a verbo ܪܒܐ, in quo ܒ est ʿain seu secunda radicalis verbi, et propterea est aspera. Eodem modo distinguere potes inter ܢܟܠܘܢ (*decipient*) a ܢܟܠ, cujus aoristus est ܢܟܘܠ et ܢܟܠܘܢ (*impedient*) a verbo ܟܠܐ cujus aoristus est ܢܟܠܐ, et insuper ܢܐܟܠܘܢ (*comedent*) cum ܐ post litteram præformativam aoristi, quod est a verbo ܐܟܠ cujus aoristus est ܢܐܟܘܠ; denique inter ܢܬܠܘܢ (*dabunt*), quod est ab inusitato ܢܬܠ et ܢܬܠܘܢ (*appendent*) quod est a ܬܠܐ.

V DE LITTERIS ܒܕܘܠ

455 – Istæ quatuor litteræ i. e. ܒ, ܕ, ܘ, et ܠ præfiguntur vocibus et cum eis simul coalescunt tum orthographice tum in pronunciatione. Porro quando voces quibus præfatæ litteræ præfiguntur habent initialem litteram mobilem, tunc istæ litteræ ܒܕܘܠ quiescunt (n. 102) v. gr. ܒܡܠܟܐ, ܕܡܠܟܐ, ܘܡܠܟܐ, ܠܡܠܟܐ.

456 – Excipiuntur ab hac regula nomina quorum prima littera est alaf mobile, in hisce enim vocalis litteræ alaf transfertur ad litteram præfixam, v. gr. ܒܐܒܐ, ܕܐܒܐ, ܘܐܒܐ, ܠܐܒܐ pro ܒܐܒܐ, ܕܐܒܐ, ܘܐܒܐ,

ܠܐܓܪܐ (n. 62) . Item excipiuntur nomina quæ incipiunt per ܚ præcedente h^h vas^s a , hæc enim h^h vas^s a, vel potius h^h vas^s a quam habet alaf subintellectum, retrahitur ad litteram præfixam, v. gr. ܒܡܕܝܢܬܐ , ܕܡܕܝܢܬܐ etc. Quando præfiguntur istæ litteræ voci cujus secunda littera est hamza mobilis post quiescentem tunc movetur littera præfixa secundum regulam, et littera quæ eam sequitur quiescens manere debet,quamquam multi inter Occidentales ad eam transferunt vocalem hamzæ, exemp. grat. ܡܐܐ *(centum)*, ܠܐܝ *(fessus est)*, ܫܐܠܟ *(mutuo ceptus)*, ܫܐܠܬ *(petiisti)* ; dicitur igitur ܒܡܐܐ , ܘܠܐܝ , ܠܫܐܠܟ , ܕܫܐܠܬ ; quæ per errorem ab aliquibus Occidentalibus cum silentio hamzæ pronunciantur ܒܡܐ , ܘܠܝ , ܠܫܠܟ , ܕܫܠܬ .

457 — Quando vero istæ litteræ præfiguntur vocibus quarum prima quiescit tunc littera præfixa adsciscit sibi pt^h ah^h am (n. 104) v. gr. ܒܣܦܪܐ , ܕܣܦܪܐ etc. Excipe ܫܬܐ *(sex)* , ܫܬܝܢ *(sexaginta)* cum quibus littera præfixa assumit zlamam pro pt^h ah^h a,unde dicitur ܒܫܬܐ , ܕܫܬܝܢ . Item istæ litteræ assumunt zlamam quoties præfiguntur vocibus quæ incipere possunt vel a hamza habenti zlamam vel sine hamza , v. gr. ܫܛܪܐ *(chirographum)*, quod dicitur quoque cum alaf initiali sic ܐܫܛܪܐ , unde dicitur ܒܫܛܪܐ , item ܕܫܛܪܘܢܘܣ . Per modum exceptionis si unam ex prædictis litteris

præfigas voci ܟܒܪ (*forsan*), ipsa littera assumit zlamam loco pt^h^ah^h^æ,unde dicitur ܘܒܟܒܪ ·

458 – Hæ eædem regulæ applicantur litteris ܒܘܟܠ quando eæ binæ vel trinæ vel quaternæ concurrunt successive in uno vocabulo. Exempla : ܘܒܟܬܒܐ, ܘܠܒܟܬܒܐ· ܘܒܠܟܬܒܐ, ܘܕܒܟܬܒܐ ; ܘܠܒܟܬܒܐ, ܘܒܟܬܒܐ ; ܘܒܟܬܒܐ
Quando tamen vox incipit cum alaf mobili, tunc si ejus vocalis est zqafa, et binæ litteræ ex ܒܘܟܠ vel amplius voci præfiguntur, illud zqafa non transit v. gr. ܠܕܐܡܪ (*ei qui dicit*) : secus quando vocalis alaf non est zqafa , v. gr. ܠܕܐܡܪ (*ei qui dixit*), ܠܕܝܡܐ (*ei qui juravit*), ܠܕܝܡܐ (*juranti*) .

459 – Istæ litteræ ܒܘܟܠ habent quandam proprietatem in dialecto Orientalium, videlicet si una ex iis litteris præfigatur uni ex sequentibus vocibus ܝܗܘܕܝܐ (*Judæus*), ܝܗܘܕܐ (*Judas*), ܪܗܘܡܝܐ (*Romanus*), ܕܝܬܝܩܐ (*testamentum*) , solent Orientales apponere litteræ præfixæ pt^h^ah^h^am,et restituere pronunciationem litteræ ܗ in tribus primis vocibus , dicunt enim ex. gr. ܕܝܗܘܕܝܐ , ܒܝܗܘܕܐ , ܠܪܗܘܡܝܐ et ܘܕܝܬܝܩܐ ; Occidentales vero dicunt ܕܝܗܘܕܝܐ , ܒܝܗܘܕܐ , ܠܪܗܘܡܝܐ et ܘܕܝܬܝܩܐ . Præterea si nomini ܝܫܘܥ (*Jesus*) quod Orientales efferunt ܝܫܘܥ præfigatur una sola ex litteris ܒܘܟܠ , solent Orientales litteram præfixam retinere in statu quiescentiæ, si vero

duæ ex iisdem litteris isti nomini præfigantur, apponunt iidem pt[h]ah[h]am ad primam præfixam, et retinent secundam in statu quiescentiæ: exemplum primi casus ܠܝܫܘܥ; exemplum secundi ܘܠܝܫܘܥ cum alaf subintellecto ante jod[h]. Occidentales autem dicunt ܠܝܫܘܥ et ܘܠܝܫܘܥ.

VI — DE DISCRIMINE QUOD INTERCEDIT INTER PRONUNCIATIONEM OCCIDENTALIUM ET PRONUNCIATIONEM ORIENTALIUM

460 — Supra multis locis vidimus Edessenos seu Syros Occidentales quoad aliquas vocales discrepare a Nisibenis seu Syris Orientalibus, præcipue vero quoad zlamam, cum Occidentales non distinguant inter lenem et duram, nec non quoad zlamam duram cui Occidentales plerumque substituunt h[h]vas[s]am, tandem quoad rwah[h]am pro qua Occidentales habent ʿs[s]as[s]am id est ʿmaqam. Quamvis autem multa de hisce in præcedentibus capitibus diximus, juvat tamen hic in unum totam doctrinam de discrimine inter Occidentales et Orientales singillatim exponere tum quoad prædictas vocales, tum quoad alia capita.

461 — Sciendum itaque est sæpe numero h[h]vas[s]am Edessenorum esse apud Nisibenos zlamam duram, quæ quidem h[h]vas[s]a in quibusdam casibus sola scribitur, in aliis vero cum alaf sequenti, in aliis denique cum jod[h] sequenti. En vero præcipuæ hujusmodi voces: ܐܠܗܐ *(Deus)*, ܐܡܝܢ (1) *(amen)*, ܐܣܟܡܐ *(schema)*, cujus

(1) Orientales cum zqafa ad alaf.

contractum scribitur cum jodh ܐܚܪܝܢ, ܐܚܪܢܐ (*alius*), cujus contractum est cum jodh ܐܚܪܝ, ܐܚܪܬܐ (*alia*), ܐܘܣܓܐ (1) (*regalis*), ܒܝܠ (*Belus*), ܒܐܡܐ seu ܒܝܡܐ (2) (*Bema*) cujus contractum est ܒܝܡ cum jodh, ܒܝܪܐ (*puteus*) et quandoque apud Occidentales ܒܐܪܐ cum alaf, ܒܥܬܐ (3) (*ovum*) et apud Occidentales ܒܝܥܬܐ cum jodh quod rectius est, ܓܝܗܢܐ (*gehenna*), ܓܝܙܒܪܐ (*thesaurarius*), ܓܝܠܐ (*homo unius testiculi*), ܓܝܪܒܐ (*mensura quædam*), ܕܝܐܬܝܩܝ (*testamentum*), ܗܝܓܡܘܢܐ (*præfectus*), ܛܝܓܢܐ (*sartago*), ܠܡܦܐܕܐ (*lampas*), ܠܩܕܡ (*coram*) et cum suffixis scribitur sine jodh v. gr. ܠܩܕܡܝܢ (*coram nos*), ܠܡܐ (*remus*), ܡܣܟܢܐ (*pauper*) cujus contractum scribitur cum jodh ܡܣܟܝܢ, ܣܦܣܝܪܐ (*gladius*), ܥܐܕܐ (4) (*festivitas*), ܥܕܬܐ (*ecclesia*), ܦܝܓܢܐ (*ruta*), ܦܝܪܣܐ (*thus*), ܦܪܩܠܝܛܐ (5) (*paracletus*), ܨܘܪܬܐ (*cicuta*), ܨܦܝܪܐ (*hœdus*), ܩܒܘܬܐ (*arca*),

---

(1) Orientales cum zqafa ad alaf.

(2) Apud Orientales ܒܐܡܐ cum zqafa.

(3) Orientales pronunciant hodie ܒܥܬܐ cum zlama leni, loco zlamæ duræ quod est incorrectum.

(4) Vulgus Occidentalium scribunt hodie ܥܐܕܐ cum alaf.

(5) Plerumque sine jodh apud Occidentales ܦܪܩܠܛܐ.

ܩܘܪܩܒܬܐ (*pharetra*), ܦܕܢܐ (*aratrum*), ܪܝܚܐ (*odor*), ܪܫܐ (*caput*) quandoque cum jodh apud Occidentales ܪܝܫܐ quod rectius, ܪܬܝܬܐ (*tremor*), ܬܒܝܠ (*orbis terræ*), ܬܩܐ (*theca*), ܬܬܐ (*ficus*). Hactenus de substantivis: modo de particulis quæ apud Orientales habent zlamam duram pro hhvassa Occidentalium, et sunt ܟܝܬ (*id est*), ܐܟܝܬ (*scilicet*), ܗܟܝܠ (*ergo*), ܡܟܝܠ (*ex nunc*), ܥܕܟܝܠ (*adhuc*), ܐܝܢ (*sane, utique*), ܐܘܗ (*euge*).

462 — Præter hæc sunt quædam loca in quibus hhvassa Occidentalium est regulariter zlama dura. Et 1° quidem quoties hhvassa Occidentalium habet in nominibus et paticulis alaf post se, est regula generali apud Orientales zlama dura, v. gr. ܟܐܒܐ (*dolor*), ܟܐܦܐ (*petra*), ܟܡܐܢܐ (*insidiæ*), ܒܐ (*quæso*). 2° Quodvis nomen contractum a nomine trilittero nudo cujus prima habet pthahham et secunda est jodh, habet apud Orientales zlamam fortem pro hhvassa Occidentalium, v. gr. ܚܝܠ contractum a ܚܝܠܐ (*virtus*). Nihilominus Occidentales a ܟܝܠܐ dicunt ܟܝܠ quod extraneum prorsus est, cum juxta regulam suam ipsis dicendum esset ܟܝܠ. 3° Aoristus et infinitivus verborum trilitterorum nudorum pehamza habent apud Occidentales hhvassam et apud Orientales zlamam duram, ex. gr. ܢܐܡܪ (*dicet*), ܢܐܒܕܘܢ (*peribunt*), ܡܐܙܠ (*ire*). 4° Prima persona singularis

præteriti verborum trilitterorum nudorum lamadh-alaf habet ante ܬ adformativum hhvassam apud Occidentales, et zlamam fortem apud Orientales, v. gr. ܩܪܝܬ (*vocari*), ܚܛܝܬ (*peccari*).

463 – In cœteris locis, zlama dura Orientalium non mutatur in hhvassam apud Occidentales, sed remanet zlama seu ut dicunt rvassa, v. gr. ܓܐܪܐ (*sagitta*), ܢܪܓܐ (*securis*), ܫܐܪܐ (*sericum*), ܒܣܬܕܐ (*pulvinar*), ܢܘܦܫܐ (1) (*refocillatio*), ܩܒܘܬܐ (2) (*arca*), ܦܠܠܐ (3) (*hiatus*); et in verbis, ut ܐܩܘܡ (*surgam*), ܢܐܟܘܠ (*manducabit*), ܦܐܣܪ (*vinculatio*), ܐܒܪܟ (*benedicam*); denique ex particulis ܕܝܢ (*autem*), ܗܟܝܠ (*ergo*); et regulariter nomina exotica, ut ܐܟܣܢܐ, ܐܪܘܡܐ, ܣܘܪܝܐ, ܠܓܐ, ܠܓܝܢ etc.

464 – Vocali hhvassæ Occidentalium respondet quandoque zlama lenis apud Orientales, v. gr. ܠܠܝܐ (*nox*), ܟܪܣܛܝܢܐ (*Christianus*), ܩܩܠܬܐ (*sterquilinium*), ܫܫܠܬܐ (*catena*), ܦܚܡܐ (*exemplar*), ܨܨܠܐ (*cymbalum*), ܐܘܪܫܠܡ (*Hierusalem*). Et regula generali ubicumque hhvassa est sine jodh et eam sequitur littera quiescens

(1) Dicitur etiam ܢܘܦܫܐ

(2) Recentiores Occidentales scribunt per errorem cum jodh ܩܝܒܘܬܐ

(3) Est zlama lenis.

apud Occidentales, ea est zlama lenis apud Orientales. Item in toto aoristo verbi ܚܝܐ , ex.gr. ܢܚܐ (*vivet*), est zlama lenis apud Orientales pro h^h^vas^s^a Occidentalium.

In genere sciendum est h^h^vas^s^am Occidentalium, scriptam cum alaf sequenti, esse semper apud Orientales zlamam duram , v. gr. ܙܕܝܩܐ (*justus*) ; h^h^vas^s^am vero scriptam solam sequente littera mobili , esse quoque apud Orientales zlamam duram, v. gr. ܪܫܐ (*caput*) ; sequente vero littera quiescente , esse zlamam lenem , v. gr. ܫܒܫܬܐ (*palmes*), ܠܠܝܐ (*nox*). In quo casu zlama lenis est fere semper per errorem pro zlama dura. H^h^vas^s^am denique scriptam cum jod^h^ sequenti esse fere semper h^h^vas^s^am apud Orientales, v.g. ܡܒܪܟܐ (*benedictus*), raro zlamam duram verb. grat. ܪܘܚܐ (*ventus*), ܪܬܝܬܐ (*tremor*).

465 I – Rvas^s^æ Occidentalium respondet apud Orientales vel zlama dura vel zlama lenis : in quibus autem locis zlama dura respondeat rvas^s^æ, licet indicare regulis quibusdam generalibus :

1 – Quoties rvas^s^a habet post se jod^h^, illi semper respondet apud Orientales zlama dura, v. gr. ܗܠܝܢ ܗܠܝܢ (*isti*), ܗܝܕܝܢ ܗܝܕܝܢ (*tunc*), ܩܪܝܢ ܩܪܝܢ (*legunt,vocant*).

2 – Quoties rvas^s^a habet post se alaf, illi respondet semper zlama dura, v. gr. ܢܦܐܫܬܐ (*respiratio*), ܢܐܟܘܠ (*comedemus*), ܠܡܐܚܕ (*tenere*), ܐܣܪܝܢ (*ligant*), ܓܐܪܐ (*sagitta*) : item quando alaf est subintellectum , v. gr.

ܒܣܬܘܟܐ (*pulvinar*).

3 – Item rvas^s a participii activi trilitteri nudi est semper zlama dura (1), v. gr. ܥܳܪܶܒ ܫܶܡܫܳܐ (*occidens*), ܥܳܒܶܕ ܥܳܒܕܳܐ (*faciens*), ܒܳܥܶܐ ܒܳܥܝܳܐ (*petens*), ܩܳܐܶܡ ܩܳܐܡ (*surgens*), ܒܳܙܶܙ ܒܙܐ (*diripiens*).

4 – Item rvas^s æ nominis pluralis respondet zlama dura, v. gr. ܟܬܳܒܶܐ ܟܬܒܐ (*libri*), ܫܳܥܶܐ ܫܥܐ (*horæ*); quod sequitur ex n. 2 quia alaf finale est pro jod^h.

5 – Item rvas^s a quæ præcedit ܗ suffixum 3^æ sing. masc. et ܟܝ suffixum 2^æ sing. fœm. est zlama dura (2), v. gr. ܒܰܝܬܶܗ ܒܝܬܗ (*domus ejus*), ܫܩܰܠܬܶܗ ܫܩܠܬܗ (*portavi eum*), ܒܰܝܬܶܟܝ ܒܝܬܟܝ (*domus tua* f.), ܐܘܕܥܶܟܝ ܐܘܕܥܟܝ (*notum faciam tibi* f.).

6 – Similiter rvas^s a quæ præcedit ܬ adformativum 1^æ pers. singularis in præterito, est apud Orientales zlama dura (3), v. gr. ܪܚܶܡܶܬ ܪܚܡܬ (*dilexi*), ܒܙܐ ܒܙܶܬ (*prædatus sum*).

7 – Præterea alaf præformativum 1^æ personæ sing. aoristi habet zlamam duram apud Orientales quando littera quæ illud sequitur est mobilis, ex. gr. ܐܩܘܡ

(1) Vidimus alibi hunc esse errorem hodiernorum Orientalium.

(2) Et hoc est novitas recentiorum Orientalium.

(3) Per quod confunditur verbum defectivum cum ceteris in pronunciatione Orientalium, ut ܒܥܶܬ , ܫܡܥܶܬ , ܫܒܩܶܬ. Apud Syros Melchitas autem hæc confusio etiam in orthographia existebat, scribebant enim jod^h ante taw 1^a pers. sing. in omnibus verbis, ut ܫܡܥܝܬ , ܥܒܕܝܬ , ܫܒܩܝܬ, pro ܫܡܥܬ , ܥܒܕܬ , ܫܒܩܬ. Ceterum de more Orientalium prædicto idem dicendum quod diximus de zlama quæ præcedit suffixa.

ܐܩܘܡ (*surgam*), ܐܘܕܒܚ ܐܕܒܚ (*sacrificabo*), ܐܫܚܠܦ (*mutabo*). Quando autem post hoc alaf venit littera quiescens vel geminata rvas^s^a est zlama lenis apud Orientales, ex. gr. ܐܒܘܙ ܐܒܘܙ (*prædabor*), ܐܘܕܒܚ ܐܕܒܚ (*mactabo*).

8 – Voces monosyllabæ habentes suffixum ܝ primæ personæ singularis assumunt apud Orientales zlamam duram ad primam litteram pro rvas^s^a Occidentalium, v. gr. ܠܒܝ ܠܒܝ (*cor meum*), ܒܪܝ ܒܪܝ (*filius meus*), ܡܢܝ ܡܢܝ (*a me*).

465 II – Occidentalium ʿs^s^as^s^a est modo rwah^h^a, modo ʿmaqua apud Orientales, quod dignosci potest in quibusdam casibus per regulam certam, in aliis vero per solum usum. Præcipua vocabula quæ sine lege habent rwah^h^am loco ʿs^s^as^s^æ Occidentalium sunt sequentia: ܐܓܘܢܐ (1) (*certamen*), ܐܘܪܝܐ (*præsepe*), ܐܪܘܢܐ (2) (*arca*), ܐܪܟܘܢܐ (3) (*princeps*), ܐܬܘܢܐ (4) (*fornax*), ܒܘܪܙܡܐ (*falco*), ܒܘܫܡܐ (*herba quæ arescit ante messem*), ܒܘܨܝܢܐ (*candelabrum*), ܒܠܘܪܐ (*racemus residuus*), ܒܪܘܬܐ (*cupressus montana*), ܓܘܕܠܐ (*coma torta*), ܓܘܫܪܐ (*pons*), ܓܘܢܝܐ (*angulus*), ܓܘܠܠܬܐ (*racematio*), ܓܘܪܢܐ (*urna*), ܓܘܝܘܪܐ (*advena*), ܕܘܠܦܝܢܐ (*delphinus*),

(1) ܐܓܘܢܐ.

(2) ܐܪܘܢܐ.

(3) Caf debet esse lene quia vox est Græca (n. 438).

(4) Hodierni Orientales pronunciant ʿmaquam pro rwah^h^a.

ܕܝܘܬܐ (*atramentarium*), ܗܓܡܘܢܐ (*præses, præfectus*), ܗܘܪܘܡܐ (*aroma*), ܙܘܡܐ (*jus*), ܙܘܦܐ (*hyssopus*), ܐܪܓܘܢܐ (*purpura*), ܙܥܘܪܐ (*parvus*), ܙܘܦܬܐ (*strigilis*), ܙܩܘܪܐ (*textura*), ܡܫܬܘܝܐ (*compotor*), ܚܘܕܪܐ (*circuitus*), ܚܘܪܐ (*foramen*), ܚܘܠܠܐ (*convivium*), ܚܠܙܘܢܐ (*limax*), ܚܘܪܐ (1) (*foramen*), ܚܘܨܬܐ (*femur*), ܛܘܗܡܐ (*familia*), ܟܘܒܠܐ (*stercus*), ܟܘܪܟܡܬܐ (*procella*), ܟܘܟܬܐ (*placenta*), ܟܘܠܒܐ (*securis*), ܟܘܢܐ (*infundibulum molæ*), ܟܘܪܘܦܐ (*vipera*), ܟܘܬܝܢܐ (*tunica*), ܟܘܠܢܬܐ (*tarsus*), ܠܒܘܢܬܐ (2) (*thus*), ܠܓܝܘܢܐ (*legio*), ܡܙܡܘܪܐ (*psalmus*), ܡܚܘܬܐ (*ictus*), ܡܠܘܠܐ (*materia*), ܡܥܡܘܕܝܬܐ (*baptisma*), ܡܪܒܘܥܬܐ (*locus quo incubat bellua*), ܡܫܘܩܝܐ (*pincerna*), ܢܡܘܣܐ (*lex*), ܢܣܝܘܢܐ (*tentatio*), ܣܘܓܐܐ (*multitudo*), ܣܘܕܪܐ (*sindon*), ܣܟܘܠܐ (*canalis*), ܣܢܘܢܝܬܐ (*hirundo*), ܣܢܘܬܐ (*odium*), ܥܙܘܪܐ (*fascia*), ܦܪܥܘܫܐ (*pulex*), ܦܪܘܣܐ (*tectum*), ܦܪܙܘܡܐ (*amiculum*), ܦܪܨܘܦܐ (*persona, vultus*), ܨܠܘܬܐ (*oratio*), ܩܘܦܐ (*simia*), ܩܘܦܝܢܐ (*cophinus*), ܩܘܩܒܢܐ (*alauda*), ܩܘܠܐ (*amphora*), ܩܘܠܬܐ (*urna*),

(1) ܚܐܘܪܐ vero in sensu *libertatis* habet ʿmaqam.

(2) Orientales supprimunt *nun* in pronunciatione.

ܦܘܪܠܐ (*grus*), ܦܘܪܘܣܢܐ (*hypocrita*), ܦܪܨܘܦܐ (*persona*), ܦܣܓܢܘܡܐ (*gradus altaris*), ܪܗܒܘܢܐ (*arrha*), ܪܘܩܐ (*sputum*), ܪܚܘܡܐ (*dilectus*), ܫܘܥܐ (*saxum*), ܫܘܥܝܬܐ (*narratio, fabula*), ܫܘܦܢܢܐ (*turtur*), ܫܘܫܦܐ (*velum*), ܫܘܚܬܐ (*color vultus*), ܫܝܦܘܪܐ (*tuba*), ܫܥܘܬܐ (*cera*), ܫܦܘܠܐ (*margo*), ܫܢܘܪܐ (*germen recens*), ܬܗܘܡܐ (*abyssus*), ܬܘܪܬܐ (*juvenca*), ܬܫܒܘܚܬܐ (*laus*).

Ex particulis vel quasi particulis ܟܠ (*omnis*), ܡܛܠ (*propter*), ܠܚܘܕ (*solum*), ܡܡܬܘܡ (*nunquam*), ܗܢܘ (*hoc est*), ܕܝܢ (*ergo*), ܬܚܝܬ (*sub*), ܐܠܘܦܝ (*utinam*), ܐܘܝ (*heu*). Hæc sunt præcipua nomina et particulæ in quibus ʿsˢasˢa fit rwahʰa.

466 – Loca autem in quibus regulariter ʿsˢasˢa Occidentalium est rwahʰa apud Orientales, sunt quoad nomina :

1 – Fere omnia nomina exotica et præcipue nomina propria personarum vel urbium etc. ex. gr. ܐܘܪܫܠܡ (*Hierusalem*), ܝܫܘܥ (1) (*Jesus*), ܝܘܚܢܢ (*Johannes*), ܝܘܪܕܢܢ (*Jordanus*), ܫܝܘܠ (*Inferus*). Non tamen semper, v. gr. ܠܘܩܐ (*Lucas*), ܝܗܘܕܐ (*Judas*).

2 — Omnia nomina diminutiva, v. gr. ܒܪܒܫܘܢܐ

(1) ܝܫܘܥ.

(infantulus), ܐܚܘܢܐ *(fraterculus)*, ܓܒܪܘܢܐ *(virulus)*.

3 – Omne contractum a trilittero sono formæ فَعْل, v. gr. ܩܘܕܫ *(sanctum)* a ܩܘܕܫܐ, ܦܘܪܣ *(modus)* a ܦܘܪܣܐ, ܢܘܗܪ *(lumen)* a ܢܘܗܪܐ; item contractum a concavo formæ فُعْل, v. gr. ܝܘܡ *(dies)* a ܝܘܡܐ, ܣܘܦ *(finis)* a ܣܘܦܐ, non tamen contractum a concavo formæ فِعْل, v. gr. ܪܘܚ *(spiritus)* a ܪܘܚܐ; hujusmodi enim nomina retinent in contractione ʿmaqam, quemadmodum quoque contracta quæ terminantur in ʿsˢasˢam, v. gr. ܗܝܡܢܘܬ *(fides)*.

4 – Formæ فاعول vel فِعُول, v. gr. ܒܪܘܝܐ *(creator)*, ܦܣܘܩܐ *(sectio)*, ܐܡܘܪܐ *(dictor)*, ܡܪܒܘܥܐ *(quadrans)*, et ܕܒܘܪܐ *(apis)*, ܣܕܘܢܐ *(sindon)*, ܚܙܘܪܐ *(porcellus)*. Adverte tamen formam فعُّول habere constanter apud Orientales ʿmaquam, v. gr. ܥܡܘܕܐ *(columna)*, ܚܙܘܪܐ *(malum)*.

5 – Forma فَعول proveniens a radice geminata, v. gr. ܡܫܘܬܐ *(convivium)*, ܓܢܘܢܐ *(thalamus)*.

6 – Item forma ܦܥܘܠܝܬܐ a radice lamadh-infirma, v. gr. ܚܘܣܕܝܬܐ *(convicium)*, ܫܘܒܚܝܬܐ *(hymnus)*, ܦܘܪܫܝܬܐ *(minutum)*, ܙܘܡܝܬܐ *(cantilena)*.

7 – Denique nomina habentia terminationem pluralis Græcorum in ܘ , v. gr. ܐ̈ܟܠܘ (*populi*) cujus singul. est ܐܟܠܘܣ, ܬܪ̈ܘܢܘ (*throni*) a sing. ܬܪܘܢܘܣ (Cf. n. 164,2.)

467 – Ex verbis autem regulariter aoristus et imperativus habent rwaham in verbis sanis , nec non geminatis, v. gr. ܢܚܫܘܒ (*reputabit*), ܥܘܠ (*ingredere*). In verbis vero concavis habent ʿmaqam, v. gr. ܢܩܘܡ (*surget*), ܚܘܪ (*vide*) : imo etiam in sanis mutatur rwahha in ʿmaqam quoties habetur suffixum, v.gr. ܩܛܘܠܘܗܝ (*occidite eum*).

468 – Præterea quodvis pronomen personale sive suffixum nomini, aut verbo aut particulæ, sive separatum terminatum in ʿssassam sequente nun, habet apud Orientales rwahham loco ʿssassæ, v. gr. ܐܢܬܘܢ (*vos*), ܐܢܘܢ (*eos*), ܗܢܘܢ (*illi*), ܟܬܒܟܘܢ (*liber vester*), ܩܡܬܘܢ (*surrexisti*), ܠܗܘܢ (*ipsis*), ܥܠܝܟܘܢ (*super vos*). Excipe adformativa ܘܢ 2æ pers. pluralis masc. et 3æ plur. masc. aoristi verborum omnium præter verba lamadh-infirma, quæ habent ʿmaqam, verbi gratia ܬܫܡܥܘܢ (*audietis*), ܢܐܚܕܘܢܗܝ (*tenebunt eum*) : præfatæ autem personæ aoristi verborum lamadh-infirmorum habent semper rwaham, v. gr. ܢܚܕܘܢ (*gaudebunt*), ܬܨܠܘܢ (*orabitis*), ܢܚܘܘܢܟ (*tibi monstrabunt*).

Hæc sunt præcipua loca in quibus apud Nisibenos

rwah^{h}a respondet ʿs^{s}as^{s}æ Edessenorum : præter casus indicatos omnis ʿs^{s}as^{s}a est semper rwah^{h}a (1).

469 – Insuper discrimen inter Orientales et Occidentales consistit in eo quod aliquæ vocales permutentur cum aliis.

Scilicet :

1 — Sunt quædam vocabula quæ habent apud Occidentales rwas^{s}am seu zlamam et apud Orientales habent pt^{h}ah^{h}am (2), quæ sunt : ܐܘܢܓܠܝܘܢ (3) (*Evangelium*), ܐܒܒܐ (4) (*flores*), ܐܛܡܬܐ (*nates*), ܐܒܠܬܐ (5) (*grex camelorum*), in qua voce insuper Orientales apponunt litteræ ܒ zqafam loco pt^{h}ah^{h}æ), ܐܠܨ (*constrinxit*), ܐܣܪܐ (*vinculum*), ܐܣܝܪ (*claustra*), ܐܦܝܣܩܘܦܐ (*Episcopus*), ܦܩܥܬܐ (*uvæ passæ*), ܒܪܟ (*genua flexit*), ܟܒܪܐ (*sepulcrum*), ܓܕܣܝܡܢ (6) (*Gethsemani*),

(1) In hoc puncto i. e. distinctione inter rwah^{h}am et ʿs^{s}as^{s}am lingua hodierna quam dicimus litteralem, correctior est quam dialectus Babylonica a Judæis conservata in qua sæpe scribitur ʿs^{s}as^{s}a ubi analogia, testimonium linguæ Arabicæ et alia exigunt rwah^{h}am. Forsitan orthographia hujus linguæ tam inconstans et incorrecta ex negligentia et ignorantia Judæorum qui soli hanc linguam usurpant, orta est.

(2) Errant Occidentales in apponenda pt^{h}ah^{h}a initiali ܐ nominis ܐܘܟܡܬܐ ; vera lectio est ܐܘܟܡܬܐ ut legunt Orientales.

(3) Orientales ponunt pt^{h}ah^{h}am ad ܓ non ad alaf.

(4) Orientales scribunt ܐܒܐ unico bet^{h}. Scito autem dialectum Chaldaicam testari pro veritate Occidentalium in hac voce.

(5) Lingua Arabica testatur pro lectione Occidentalium in hoc nomine.

(6) Orientales ܓܕܣܡܢ.

ܗܠܟܬܐ (*deambulatio*) , ܚܒܩܘܩ (*Habacuc*) , ܛܚܢ (*moluit*), ܛܟܣܐ (*ordo*), ܛܥܢ (*tulit*), ܝܠܠܬܐ (*ululatus*), ܝܙܦܐ (*mutuum*), ܟܒܠܐ (*vinculum*), ܡܟܢܫܬܐ (*scopæ*), ܣܡܩ (*rubuit*) , ܥܠܘܗܝ (*super*) , ܐܦܣ aoristus ܦܣ (*sortitus est*), ܦܕܚܐ (*barathrum*), ܦܪܛܘܪܝܢ (*prætorium*), ܦܚܬܐ (*fovea*) , ܨܗܠܐ (*hinnitus*) , ܢܦܩ (*procidit*) , ܪܗܛܐ (*cursus*) , ܪܛܢ (*murmuravit*) ܫܘܬܐ (*basis*) , ܫܩܡܐ (*sycomorus*) , ܫܬܐܣܬܐ (1) (*fundamentum*) , ܬܗܪܐ (*admiratio*), ܬܡܣܥܠܐ (*verecundia*) , ܬܟܫܦܬܐ (*supplicatio*). Item quodvis nomen Græcum apocopatum in vocativo v. gr. ܬܐܘܦܝܠܐ (*o Theophile*), ܦܘܠܐ (*o Paule*).

2 — Quædam vocabula quæ habent apud Occidentales ptʰahʰam , sunt apud Orientales cum zlama ; hæc sunt : ܐܒܝܕܬܐ (*res perdita*) , ܛܒܠܪܐ (*tabellarius*) , ܐܟܛܝܢܐ (*radius*), ܡܒܛܠܐ (*piger*) , ܕܣܩܬܐ (*lanx*) , ܡܛܪ ܢܦܫ (2) (*custodia animæ*), ܡܬܚ ܡܢܪܬܗ (2) (*extendens candelabrum suum*) , ܡܪܕܐ ܝܘܡܐ (*iter unius diei*) , ܡܫܠܡ ܫܢܬܐ (2) (*expletio anni*) , ܥܠܘܝ (3) (*aloë*) , ܪܚܡܬܢܐ (*misericors*) , ܩܘܡܣ (*pugillus*) , ܪܛܒܐ (*humiditas*) , ܪܬܚܐ (*fervor*) , ܬܢܘܝ (*pactum*) , ܬܨܘܪ (*pingendo*).

(1) Prima zlama fit ptʰahʰa.

(2) Mim littera est quæ accipit zlamam pro ptʰahʰa .

(3) Pronunciatio Occidentalium correctior est , teste lingua Syriaca quæ hoc nomen a Syris accepit.

3 – Quædam habent apud Occidentales zqafam et apud Orientales pt^h^ah^h^am ; sunt : ܡܚܘܦܠܐ (*vicarius*), ܡܫܦܘܟܐ (*cataracta*), ܐܡܘܪܝܐ (*Amorrhæi*), ܕܝܘܪ (*volum*), ܠܥܙܪ (*Lazarus*) (zain accipit pt^h^ah^h^am). Præterea regula generali imperativus habens sibi connexum suffixum 3æ pers. sing. masc. præcedente littera jod^h^ , assumit apud Occidentales zqafam ante jod^h^, et apud Orientales pt^h^a^h^ham, v. gr. ܥܒܕܝܗܝ (*fac illud*), ܫܩܘܠܝܗܝ (*accipe eum*).

4 – Quædam e converso habent apud Occidentales pt^h^ah^h^am et apud Orientales zqafam ; sunt : ܡܐܬܘܬܐ (*centuriæ*), ܦܣܝܐ (*impurus*), ܪܟܒܐ ܕܪܚܝܐ (1) (*subscus ferrea molam sustinens*), ܐܘܫܒܐ (*regalis*), ܪܩܐ (2)(*raca*), ܩܣܪ (*Cæsar*), ܐܪܥܐ ܒܝܪܬܐ (*terra inculta*) (Orientales dicunt ܒܝܪܬܐ cum zqafa ad bet^h^ et taw leni). Item sæpe in nominibus exoticis sive Græcis , sive Latinis, sive Persicis in quibus adest pt^h^ah^h^a longa, v. gr. ܐܪܘܢܐ (*arca*), ܐܓܘܢܐ (*certamen*), ܐܪܒܝܐ (*Arabia*). Regulariter etiam A finale nominum Græcorum quod Occidentales exprimunt per pt^h^ah^h^am, est zqafa apud Orientales, ut ܐܘܣܝܐ ΟΥΣΙΑ , ܒܐܡܐ BHMA .

(1) Sermo est de pt^h^ah^h^a ad ܪ vocis ܪܟܒܐ ; porro notandum est quod etiam periti inter Orientales ad instar Occidentalium legunt cum pt^h^ah^h^a istas tres voces ܡܐܬܘܬܐ, ܦܣܝܐ et ܪܟܒܐ .

(2) Orient. ܪܩܐ .

5 – Sunt quædam quæ habent zqafam apud Occidentales et zlamam apud Orientales: ܐܚܪܢܐ (*alius*), ܗܘܡ (*abyssus*), ܗܘܝ (1) (*heu !*).

6 – Sunt alia quæ e converso habent rwas^s^am apud Occidentales et zqafam apud Orientales : ܐܓܡܐ (*palus* (paludis)) ܐܡܡܬܐ (*constellationes*), ܒܓܝ (*per meritum*), ܡܘܐܒܝܬܐ (*Moabita*). Zlama autem est lenis in prima voce, dura in ceteris .

7 – Sunt alia quæ habent apud Occidentales pt^h^ah^h^am, et quiescunt apud Orientales: ܕܡܥܬܐ (*lacrima*), ܕܒܚܬܐ (*sacrificium*), ܬܘܩܠܬܐ (*offendiculum*), ܬܘܪܥܬܐ (*rima*), ܣܘܪܥܬܐ (*delictum*). Attamen Orientales has voces efferunt cum mhagjana (n. 46) .

8 – Sunt quæ habent h^b^vas^s^am apud Occidentales , pt^h^ah^h^am apud Orientales ut ܣܪܝܩܐ (*vanus*).

9 – Habentur quædam vocabula quæ apud Occidentales efferuntur cum qus^h^s^h^aj , et apud Orientales cum ruccak^h^ : ܡܫܟܢܬܐ (2) (*tentorium*) , ܥܓܠܬܐ (2) (*vitula*), ܡܪܓܐ (*prata*), ܙܠܓܐ (3) (*radii*), ܦܠܓܐ (*dimidia*), ܥܣܒܐ (*herbæ*), ܫܒܛܐ (*fratrii*), ܓܢܒܘܬܐ (*furta*).

---

(1) Littera ܗ accipit zlamam .

(2) Etiam peritiores inter Orientales pronunciant taw cum sono aspero in ܥܓܠܬܐ et ܡܫܟܢܬܐ.

(3) Cum zlama ad ܐ ut diximus, apud Orientales .

10 – Sunt quædam cum rwas^s^a apud Occidentales quæ quiescunt apud Orientales: ܗܠܟܬܐ (*ambulatio*), ܥܪܩܬܐ (*corrigia*), ܥܩܪܒܐ (*scorpius*).

11 – Quædam denique sunt apud Occidentales cum sono leni, apud Orientales cum aspero; ita est primum taw in ܫܬܝܬܝܐ (*sextus*) et in ܡܨܒܬܐ (*monumentum*); Orientales ܫܬܝܬܝܐ et ܡܨܒܬܐ.

12 – Sunt tandem plura vocabula quæ aliter discrepant inter Orientales et Occidentales, quorum hæc sunt præcipua :

ܐܚܪܝܬ	ܐܚܪܝܬ (lege ܚܪܝܬ)	denique ;
ܐܡܝܢ	ܐܡܝܢ	amen
ܒܘܠܘܛܐ	ܒܘܠܘܛܐ	senator
ܒܡܠܘܗ	ܒܡܠܘܐܗ	in plenitudine ejus
ܒܪܫܝܬ	ܒܪܫܝܬ (1)	in principio
ܕܘܘܢܐ	ܕܘܘܢܐ	miseria
ܚܝܐ	ܚܝܐ (lege ܚܝܐ)	vita
ܛܟܣܐ	ܛܟܣܐ	ordo
ܝܘܢܐ	ܝܘܢܐ	Jona pater Petri apost.
ܦܛܪܝܪܟܐ	ܦܛܪܝܪܟܐ	patriarcha
ܙܢܝܬܐ	ܙܢܝܬܐ	impudica

(1) Orientales in hoc vocabulo sequuntur Hebræos qui dicunt רֹאשׁ (*caput*) ut Arabes راس . Attamen Hebræi dicunt בְּרֵאשִׁית (*initio*) ut Occidentales.

ܦܪܝܡܘܣ	ܦܪܝܡܘܣ (lege ܦܪܝܡܘܣ)	primo
ܩܘܒܪܢܝܛܐ	ܩܘܒܪܢܝܛܐ	pilota
ܩܠܝܘܦܐ	ܩܠܝܘܦܐ	Cleope
ܘܬܐܘܡܐ	ܘܬܐܘܡܐ (et sic cum ܒ, ܕ et ܟ)	et Thomas
ܩܦܘܕܩܝܣ	ܩܦܘܕܩܝܣ	Cappadocia

470 – Præter hæc multum extat discrimen inter Occidentales et Orientales, præsertim in nominibus exoticis et præcipue Græcis et Latinis, quæ solent Orientales corrumpere (n. 102 , 5) ; quod quidem discrimen inde plerumque oritur quod utraque dialectus quærit pronunciationem horum nominum exoticorum conservare prouti est in linguis originalibus. Præterea differunt Occidentales ab Orientalibus in eo quod illi mutant in pronunciatione tantum ܟ occurens ante ܗ in hamzam, v. gr. ܟܗܘܪ et ܟܗܢܐ quæ pronunciantur ab ipsis ܐܗܘܪ, ܐܗܢܐ (11) .

471 – En recapitulatio omnium in quibus Orientales discrepant ab Occidentalibus :

1 – Orientales efferunt zqafam A .

2 – Geminant litteram mobilem post pthahham, et zlamam, et quandoque etiam post ʿmaqam .

3 – Distinguunt inter ʿsʿsasʿsam longam et brevem in pronunciatione, i. e. ʿmaqam et rwahham.

4 – Sæpe pro hhvassa habent zlamam duram .

5 – Pronunciant, ܒ et ܦ lenia prorsus uti waw.

6 – Pthahham quæ præcedit waw scribunt semper zqafam .

7 – Super jod^{h} habens h^{h}vas^{s}am initio vocis notant alaf minutum.

8 – Non movent in omnibus locis primam ex duabus quiescentibus successive occurrentibus, sed in quibusdam tantum locis per mhagjanam .

9 – Non efferunt alaf mobile uti jod^{h} sed veluti hamzam,et e contra quandoque mutant in pronunciatione jodh in hamzam .

10 – Denique in multis locis unam vocalem immutant in aliam , quod plerumque nonnisi ex usu addisci potest.



LIBER VIII

DE SYNTAXI



CAPUT I

DE SYNTAXI NOMINIS.



ARTICULUS I

DE DETERMINATIONE ET INDETERMINATIONE NOMINUM.

472 — Hactenus de singulis partibus orationis seorsim et in se inspectis egimus, nec non de earumdem formatione, derivatione, rectaque pronunciatione: modo restat nobis tractandum de iisdem partibus quatenus inter se conjunguntur, seu de earumdem constructione vel syntaxi. Et primum agemus de nomine.

Itaque nomen (sub qua denominatione comprehendimus pronomen adjectivum et participium) retinet semper et ubique genus et numerum quæ ad illud pertinent, sive nomen significet personam rationalem seu animatam sive rem irrationalem seu inanimatam. Igitur nunquam apud Syros licet dicere, uti in Arabica lingua potest ac debet dici, ܦܪܚܐ ܓܦ̈ܐ *(pullulat alæ)*

pro ܦܪ̈ܚܝܢ ܓ̈ܦܐ *(pullulant alæ)* (1).

Lingua Syriaca caret articulo seu particula qua nomen determinetur sicut lingua Latina caret. Nihilominus nonnunquam Syri nomen contrahunt ad indicandum sensum indeterminatum nominis v. gr. ܠܝܬ ܠܝ ܫܘܠܛܢ *(non est mihi potestas)*, ܠܟ ܣܓܕܐ ܟܠ ܒܘܪܟ *(te adorat omne genu)*, ܙܒܢܝܢ ܣܓܝܐܢ ܡܠܠܬ ܥܡܗ *(multis vicibus cum ipso locutus sum)*. Ad indicandum cum præcisione sensum indeterminatum nominis;quandoque ante nomen vel frequentius post nomen adjiciunt pro sing. masc. ܚܕ *(unus)*, pro sing. fœm. ܚܕܐ *(una)*, pro plurali utriusque generis ܐܢܫܝܢ *(aliqui)*, cum agitur de persona rationali : pro re irrationali seu inanimata adjicitur sive ante sive post nomen ܡܕܡ *(res)* pro quovis genere et numero, v. gr. ܐܬܐ ܐܪܟܘܢܐ ܚܕ *(venit quidam princeps)*, ܐܢܬܬܐ ܚܕܐ ܐܝܬ ܗܘܬ ܒܡܕܝܢܬܐ *(quædam mulier erat in urbe)*; ܚܕܐ ܛܠܝܬܐ ܡܢ ܒܝܬ ܕܘܝܕ *(quædam puella ex domo David)*.

Denique cum nomen potest esse vel in statu emphatico, vel in statu gdhamæ, cum volumus indeterminatum nomen significare, possumus usurpare illud in statu emphatico, ut ܐܦܓܥ ܒܝ ܚܘܝܐ *(irruit in me serpens quidam)*. At non vice versa, i. e. non licet nomen in statu gdhamæ adhibere cum est determinatum, unde non licet, ex. gr.

(1) Hæc proprietas linguæ Arabicæ, ut scilicet nomen plurale rei inanimatæ consideretur ut singulare femininum in nulla alia exstat lingua Semitica; exstat tamen inter linguas Indo-Europæas in Græca.

ܥܠܡܗ ܒܪܐ ܐܠܗܘ *(Deus creavit mundum)* pro ܐܠܗܐ ܒܪܐ ܥܠܡܐ.



ARTICULUS II

DE REGIMINE NOMINIS IN GENERE ET DE AGENTE.

473 I — Quomodocumque nomen in propositionem ingrediatur, considerandæ sunt in eo conditiones ab eo inseparabiles, nempe genus et numerus, sive nomen sit substantivum, sive adjectivum. Quidquid autem sub hoc respectu dicitur de nomiue, complectitur et pronomen. Porro nomen singulare quod significat numerum pluralem, plerumque ut plurale consideratur, genus autem sequitur ut plurimum sensum non grammaticam, ex. gr. ܟܠܗ ܟܢܘܫܬܐ ܚܠܝܡܝܢ *(tota congregatio sana est)*, ܚܘܪܘ ܒܦܪܚܬܐ ܠܐ ܙܪܥܝܢ ܘܠܐ ܥܙܠܝܢ *(respicite volucrem, non seminat neque net)*, ܣܓܝܐܐ ܡܬܩܛܠܝܢ *(plures occiduntur)*, ܥܡܐ ܟܠܗ ܐܟܠܝܢ ܘܫܬܝܢ *(totus populus edit et bibit)*, ܥܢܐ ܐܒܝܕܢ *(oves perditæ sunt)*, ܫܪܟܐ ܕܢܫܐ ܐܙܠܢ *(reliquæ mulieres vadunt)*. Solent etiam Syri multitudinem significare per nomen singulare cui suffigunt particulam ܘܬܐ, ut a ܬܠܡܝܕܐ *(discipulus)*, ܬܠܡܝܕܘܬܐ *(cœtus discipulorum)*, a ܫܠܝܚܐ *(apostolus)* ܫܠܝܚܘܬܐ *(cœtus Apostolorum)*; ita quoque ܐܚܘܬܐ

(communitas fratrum), ܩܫܝܫܘܬܐ *(turma presbyterorum)*, ܥܒܕܘܬܐ *(servitus)* ; quæ omnia significant quoque *(discipulatum, apostolatum, fraternitatem)*, etc. ; dicitur igitur, ex. gr. ܐܬܚܙܝ (1) ܝܫܘܥ ܠܫܠܝܚܘܬܐ ܘܒܝܐ ܐܢܘܢ *(apparuit Jesus Apostolis et consolatus est eos)*. Eadem ratione se habet nomen compositum cujus secunda pars fit pluralis non prima ad significandam pluralitatem nominis compositi ipsius, ex. gr. ܒܝܬ ܦܬܟܪܐ ܐܬܥܩܪܘ *(idolorum templa diruta sunt)*, ܫܒܘܩ ܠܢ ܡܣܩܬ ܕܝܢܐ ܕܣܝܡܝܢ ܠܥܠܝܢ *(remitte nobis pœnas contra nos sancitas)*.

473 II – Denique non raro Syri præpositionem ܥܡ *(cum)* ut conjunctionem copulativam considerant, et ideo nomen ea copulatum tractant quasi esset conjunctione ܘ *(et)* copulatum, ex. gr. ܝܘܣܦ ܥܡ ܐܡܗ ܐܬܘ *(Joseph cum sua matre venit)*, ܢܦܫܐ ܥܡ ܦܓܪܐ ܢܬܟܫܦܘܢܟ *(anima cum corpore (i. e. et corpus) te supplicant)*. E contra aliquoties tractatur ut singulare nomen formam pluralis et singularis notionem habens, exemp. grat. ܐܨܛܪܝ ܐܦܝ ܬܪܥܗ ܕܗܝܟܠܐ ܡܢ ܡܨܥܬܗ *(scissum est velum januæ templi in medio ejus)*.

473 III – Nomen in propositione vel est - a - subjectum cui proinde innititur verbum seu quod verbi significationem habet ut adjectivum vel participium ; vel – b – est complementum verbi aut habentis simili-

(1) Orient. ܒܝܐ.

tudinem verbi ; vel - c - est complementum nominis seu adnexum illi per regimen.

Nomen itaque quod est subjectum verbi vel adjectivi etc. requirit ut verbum vel adjectivum etc. conveniat cum ipso quoad genus et numerum, v. gr. ܢܬܗܦܟܘܢ ܥܘܠܐ (*convertentur iniqui*), ܐܡܪܬ ܡܪܝܡ (*dixit Maria*), ܐܙܠ ܢܟܦܬܐ (*castæ iverunt*). Nihilominus licet tractare nomen fœmininum ut masculinum et plurale ut singulare si verbum aut quod vicem verbi gerit præcedit nomen et ab eo per aliquod vocabulum separatum est, ex. gr. ܣܝܡܝܢ ܒܗ ܟܘܟܒܐ (*dispositæ sunt in eo stellæ*), ܡܚܠܛ ܒܚܨܝܦܘܬܗ ܒܗܬ ܢܟܦܘܬܐ ܡܣܪܗܒܘܬܐ (*mixta est importunitas in ejus* f. *impudentia cum pudore*), ܦܓܥܬ ܒܝ ܒܥܠܡܐ ܥܠܝܡܬܐ (*occurrit mihi in mundo puella*), ܣܦܩ ܠܗ ܠܝܘܡܐ ܒܝܫܘܬܗ (*sufficit diei malitia ejus*), ܡܫܬܟܚܝܢ ܒܡܕܝܢܬܐ ܗܕܐ ܝܗܘܕܝܐ ܣܓܝܐܐ (*inveniuntur in civitate hac Judæi multi*), ܕܢܬܟܪܙ ܒܫܡܗ ܬܝܒܘܬܐ (*ut ejus nomine prædicetur pœnitentia*).

Dualis autem tamquam pluralis consideratur, ut clarum est.

Porro ad libitum licet nominativum ante vel post verbum collocare, exceptis tamen casibus in quibus non licet prædicatum suo subjecto anteponere neque subjectum prædicato, natura ipsa illud docente in omnibus mundi idiomatibus.



ARTICULUS III

DE NOMINE PATIENTE.

474 – Inter nomina quæ a verbo vel a verbi vices gerente pendent ut complementa, præcipuum locum tenet *patiens* seu *accusativus*. Porro accusativus sine lege verbum præcedit, vel sequitur, v. gr. : ܡܪܝܡ ܝܠܕܬ ܠܡܫܝܚܐ (*Maria genuit Christum*), ܠܐܠܗܐ ܠܐ ܚܙܐ ܐܢܫ (*Deum nemo vidit*). Hinc vides accusativum a nominativo nullo signo discerni, sed ab invicem eos distingui ex contextu, ex eo quod Syri non habeant modificationem terminationis nominum pro varietate casuum uti mos est Arabum, Latinorum atque Græcorum.

Plerumque tamen patiens dignoscitur ex ܠ quæ illi præfigitur, præcipue si sit determinatum, v. gr. ܩܪܐ ܡܪܝܐ ܠܡܘܫܐ (*vocavit Deus Moysen*), ܪܚܡ ܐܢܐ ܠܐܝܠܝܢ ܕܪܚܡܝܢ ܠܝ (*diligo eos qui diligunt me*). Pronomina autem personalia quando propositionem ingrediuntur conditione patientis, abjiciunt lamadh, et sive verbum sequuntur (ܐܢܘܢ et ܐܢܝܢ), sive ei suffiguntur (*cetera*), ex. gr. ܝܩܪ ܐܢܘܢ (*honora eos*), ܩܪܝܬܟ (*te vocari*). Tamen interdum ipsa pronomina personalia adsciscunt sibi lamadh præfixum, sed tunc debent præcedere verbum, v. gr. ܠܟ ܪܚܡܬܟ (*te amari*). Nonnumquam ponitur etiam post verbum pronomen patiens habens lamadh, ut ܐܡܚܒܢ ܠܗ (*cum amabimus*), sed hoc rarum est. Nomen autem indeterminatum nunquam

accipit lamad[h], v. gr. ܐܙܒܢ ܠܢ ܚܡܪܐ (*eme nobis vinum*).

475 – Quoties patiens regitur a participio activo vel passivo (n. 288 et 289), tunc ei necessario præfigenda est lamad[h], v. gr. ܩܪܐ ܐܢܐ ܠܟ (*te voco*), ܡܪܝܐ ܐܚܝܕ ܗܘ ܠܥܠܡܐ (*Deus tenet mundum*). Excipe casum in quo patiens nectitur participio per regimen; tunc enim non assumit lamad[h], v. gr. ܐܚܝܕ ܟܠ (*tenens omnia*), ܫܘܒܚ ܦܪܘܩ ܥܠܡ̈ܐ (*gloria Salvatori mundorum*), ܘܝ ܠܫܬ̈ܝܝ ܕܡܐ ܕܐܚ̈ܝܗܘܢ (*væ illis qui sanguinem fratrum bibunt*). Nota vero infinitivum nominalem (n. 283) et utrumque participium qualificativum (n. 289) non regere accusativum, sed sibi nomina adnectere per modum status constructi.

476 – Patienti necesse est ut præfigatur lamad[h], quoties verbum regens indicat motum vel transitum, v. gr. ܐܬܘ ܠܡܕܝܢܬܐ (*venerunt ad urbem*), ܐܬܗܦܟ ܠܒܝܫܬܐ (*mutatus est in malum*), ܢܗܘܐ ܠܐܒܕܢܐ (*erit in perditionem*).

477 I – Nonnulla verba regunt apud Syros duos accusativos seu duo patientia quorum prius semper lamad[h] habet; posterius autem eo semper caret, v. gr. ܗܢܐ ܡܠܒܫ ܠܡܣ̈ܟܢܐ ܠܒܘ̈ܫܘܗܝ ܘܡܘܕܥ ܠܛܥ̈ܝܐ ܐܘܪܚܐ ܕܫܝܢܐ ܘܡܠܦ ܠܗܕ̈ܝܘܛܐ ܝܕܥܬܐ ܕܫܪܪܐ (*iste induit pauperes vestibus suis, ostendit errantibus viam securitatis, et docet ignorantes scientiam veritatis*).

477 II – Diximus supra patiens, quando est pronomen personale, amare suffigi suo verbo. Hæc propensio

apparet etiam cum patiens necessario deberet habere lamadh, i. e. cum est primum ex duobus patientibus aut cum verbum significat motum, tunc enim pronomen amat suffigi suo verbo et rarissime accipit lamadh. Exempla primi: ܚܰܘܳܢܝ ܡܳܪܝܳܐ ܐܽܘܪܚܳܟ (*ostende mihi, Domine, viam tuam*), ܐܰܠܶܦ ܐܶܢܽܘܢ ܦܽܘܩܕܳܢܰܘܗܝ (*docuit eos præcepta sua*), ܐܰܝܬܶܝܢ ܦܶܬܓܳܡܳܐ (*da nobis responsum*), ܐܰܘܟܠܶܬܳܟ ܕܶܒܫܳܐ (*dedi tibi mel comedere*). Exempla secundi: ܠܡܳܢܳܐ ܡܛܳܬܰܢܝ ܪܽܘܓܙܳܐ (*cur ira pervenit ad me?*), ܡܳܢܳܐ ܗܘܳܐ ܠܳܟ (*quid tibi accidit?*), ܓܕܰܫܬܳܐ ܐܶܢܶܝܢ (*ipsis f. evenit*). Hac ratione verbum ܪܓܶܬ quod est præter. 3 pers. f. sing. a ܪܓܶܓ (*concupivit*) solet habere pronomen concupiscentis suffixum, ut ܪܓܶܬܢܝ ܪܰܓܝܓܳܐ ܥܰܡܟܽܘܢ ܠܡܶܐܟܰܠ (*concupivi vobiscum comedere*). Imo ipse dativus si est pronomen personale, amat lamadh abjicere, ut ܥܢܺܝܬ ܐܶܢܽܘܢ (*respondi eis*), ܐܶܦܪܽܘܥ ܠܳܟ ܢܶܕܪܰܝ (*solvam tibi vota mea*), quæ verba regunt per lamadh.

478 – Cetera nomina quæ pendent a verbo tamquam complementa mediantibus particulis, nullam præseferunt difficultatem, illis præmittuntur semper particulæ requisitæ v. gr. ܣܰܒܪܶܬ ܒܡܳܪܝܳܐ (*speravi in Domino*), ܡܶܬܟܰܫܦܳܐ ܩܕܳܡܰܝܟ ܐܢܳܐ (*coram te oro*). Adverte tamen aliquando nomen patiens particula ܕ regi, ex. gr. ܚܰܣܶܬ ܕܚܰܝܰܝ (*curam habui vitæ meæ*), ܚܰܣ ܕܺܝܠܳܗ̇ (*curam habuit illius f.*). De ceteris autem nominibus quæ a verbo reguntur, regulæ tradentur postea, cap. IV.

ARTICULUS IV

DE PRÆDICATO SUBJECTI

479 — Subjectum apud Syros illud nomen dicitur cujus prædicatum est adjectivum aut adverbium aut nomen a particula rectum; hinc minime consideratur ut subjectum sicut apud Arabes nomen cujus prædicatum est verbum, sed illud uti agens habetur. Porro licet universim prædicatum subjecto præponere, exceptis casibus in quibus ambiguitas exoriretur, de quo supra monuimus.

480 — Relatio prædicati ad subjectum triplici modo exprimi potest: – a – Ut prædicatum nullo adjecto signo aut particula post subjectum collocetur, uti fit in Arabica lingua et interdum in Latina, v. gr. ܗܢܐ ܪܚܡܟ (*hic est amicus meus*), qui primus modus rarus quidem est, sed necessario adhibendus est quoties prædicatum est participium activum contractum, v. gr. ܥܕܬܗ ܕܐܠܗܐ ܡܠܦܐ ܠܢ ܗܝܡܢܘܬܐ (*Ecclesia Dei docet nos fidem*); et proinde nequit dici v.gr. ܐܒܘܟ ܐܡܪ ܗܘ (*pater tuus dicit*). Hic modus frequens est quoties subjectum est pronomen personale, et tunc melius prædicato postponitur pronomen personale quod et contrahendum est, unde pronomen personale cum prædicato copulatur modo quem alibi (n. 219) explicavimus, v. gr. ܩܕܝܫ ܐܢܬ vel ܩܕܝܫܬ (*tu es sanctus*), ܡܒܪܟܝܢ ܐܢܬܘܢ vel ܡܒܪܟܝܢܬܘܢ (*vos benedicti estis*), ܡܚܝܒ ܗܘ vel ܡܚܝܒܘ (1)(*obligatus est*)(1),

(1) Hic modus copulandi orthographice pronomen 3æ pers. sing. cum prædicato frequens est quidem apud Orientales, rarus penes Occidentales.

ܡܫܰܒ݁ܰܚܬ݁ܳܐ ܐܰܢ݈ܬ݁ܝ vel ܡܫܰܒ݁ܰܚܬ݁ܝ (*tu gloriosa es*). – b – Ut interponatur tanquam copula inter prædicatum et subjectum unum ex sequentibus pronominibus personalibus separatis (n. 219), scilicet ܗܽܘ, ܗ̈ܝ, ܐܶܢܽܘܢ, ܐܶܢܶܝܢ, secundum genus et numerum prædicati. (Recolendum est litteram ܗ in ܗܽܘ et ܗܺܝ silere in pronunciatione) ; et tunc si prædicatum adjectivum est, eleganter contrahitur, v. gr. ܐܰܠܳܗܳܐ ܟ̈ܐܢ ܗܽܘ (*Deus justus est*), ܛܳܒ݂ܳܐ ܗܺܝ ܛܰܝܒ݁ܽܘܬ݂ܳܟ݂ (*bona est gratia tua*), ܕ݁ܡܳܪܝܳܐ ܗ̈ܝ ܐܰܪܥܳܐ (*Domini est terra*), ܗܳܠܶܝܢ ܡܚܰܝ̈ܠܺܝܢ ܐܶܢܽܘܢ (*isti fortes sunt*). Quoties autem subjectum est pronomen personale, solent hujusmodi pronomina separata cum illo conjungi, et tunc dicitur ܗܽܘܝܘ contracte pro ܗܽܘ ܗܽܘ (n. 219) ܐܰܢ݈ܬ݁ ܗܽܘ vel ܐܰܢ݈ܬ݁ܘ, ܐܰܢ݈ܬ݁ܝ ܗ̈ܝ vel ܐܰܢ݈ܬ݁ܝ, ܐܢܳܐ ܗܽܘ vel cum ܐܢܐ iterum pro ܗܽܘ repetitur ܐܢܐ rejecta rwassa secundi ܐܢܐ, unde fit: ܐܢܐ ܐܢܐ, v. gr. ܐܢܳܐܗܘ ܐܰܒ݂ܽܘܟ݂ܽܘܢ vel ܐܢܐ ܐܢܐ ܐܰܒ݂ܽܘܟ݂ܽܘܢ (*ego sum pater vester*); cetera autem pronomina personalia non mutantur. Exempla sint: ܗܽܘܝܽܘ ܡܳܪܝܳܐ ܐܰܠܳܗܰܢ (*ipse est Dominus Deus noster*); ܐܰܢ݈ܬ݁ܽܘܢ ܐܶܢܽܘܢ ܓ݁ܢ̈ܳܒ݂ܪܶܐ (*vos estis gigantes*); ܐܰܢ݈ܬ݁ܘ ܟ݁ܽܘܡܪܳܐ ܠܥܳܠܰܡ (*tu es pontifex æternus*).

481 — Vel - c - Si subjectum sensum habeat indeterminatum, et prædicatum sit adverbium aut quid simile, additur tamquam copula vox ܐܺܝܬ݂ (*est*) sive ante prædicatum, sive ante subjectum, v. gr. ܐܺܝܬ݂ ܐ̱ܢܳܫ ܙܰܕ݁ܺܝܩܳܐ

(sunt ibi quidam pastores), Gallice: *il y a là des bergers*, ܐܝܬ ܓܢܒ̈ܐ ܒܡܕܝܢܬܐ *(sunt aliqui fures in urbe)*, *il y a des voleurs dans la ville*. Exinde porro colliges non posse addi ܐܝܬ quoties subjectum est pronomen. Quando vero subjectum est determinatum aut pronomen, tunc additur quidem ܐܝܬ, sed cum suffixis (n. 375), v. gr. ܗܢܘ ܐܝܬܘܗܝ ܡܠܟܐ *(hic est rex)*, ܐܢܬ ܐܝܬܝܟ ܫܘܒܚܢ *(tu es gloria nostra)*, ܐܢܐ ܐܝܬܝ ܪܚܡܟ *(ego sum amicus tuus)*.

Ex dictis autem colliges sequens exemplum triplici modo posse exprimi, i. e. ܗܢܘ ܐܚܝ *(hic est frater meus)*, vel ܗܘ ܐܚܝ, vel ܗܢܘ ܐܝܬܘܗܝ ܐܚܝ; item ܝܘܣܦ ܒܡܕܝܢܬܐ, aut ܝܘܣܦ ܒܡܕܝܢܬܐ ܗܘ, aut ܝܘܣܦ ܒܡܕܝܢܬܐ ܐܝܬܘܗܝ *(Joseph est in urbe)*; item ܐܢܬ ܫܘܒܚܢ, aut ܐܢܬ ܗܘ ܫܘܒܚܢ, aut ܐܢܬ ܐܝܬܝܟ ܫܘܒܚܢ *(tu es gloria nostra)*; item: ܫܦܝܪܬܐ ܐܢܬܝ, aut ܫܦܝܪܬܐ ܐܝܬܝܟܝ, aut ܫܦܝܪܬ ܐܢܬܝ, aut ܫܦܝܪܬܝ *(tu es pulchra)*. Hæc de tempore præsenti. Præteritum autem duabus rationibus exprimi potest; hanc enim phrasim, ex. gr. *(erat rex in bello)*, potes traducere dicendo vel: ܡܠܟܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܒܩܪܒܐ, vel ܡܠܟܐ ܒܩܪܒܐ ܗܘܐ. Futurum per ܗܘܐ aut ܢܗܘܐ; v. gr.: ܠܡܚܪ ܐܗܘܐ ܒܒܝܬܟ *(cras ero in domo tua)*, ܐܡܬܝ ܗܘܐ ܢܘܚܡܐ *(quando erit resurrectio?)*.

ARTICULUS V

DE STATU CONSTRUCTO

482 — Status qui dicitur constructus, in quo scilicet unum nomen alteri ita annectitur ut secundum ponatur apud Latinos in genitivo, exprimitur a Syris vel per contractionem seu gdʰamam, vel per particulam. Itaque in statu constructo primum nomen contrahitur contractione quam diximus status constructi (n. 172) et illi sic contracto adnectitur secundum nomen ita ut ex utroque veluti unum nomen coalescat, v. gr. ܒܪ ܐܠܗܐ (*filius Dei*), ܬܪܥ ܪ̈ܚܡܐ (*janua misericordiæ*), ܝܠܕܬ ܚܝܐ (*genitrix vitæ*), ܟܬ̈ܒܝ ܩܘܕܫܐ (*libri sanctitatis*), ܒ̈ܢܬ ܐܘܪܫܠܡ (*filiæ Hierosolymæ*). Et in hoc quidem primo modo non potest sejungi secundum nomen a suo regente.

483 – Alter modus exprimendi regimen nominis fit per præfixionem litteræ ܕ secundo nomini, quin contrahatur nomen regens, v. gr. ܒܪܐ ܕܐܠܗܐ (*filius Dei*), ܬܪܥܐ ܕܪ̈ܚܡܐ (*janua misericordiæ*): interdum, et raro quidem, etiam in hoc altero modo contrahitur regens, v. gr. ܬܪܝܢ ܒ̈ܢܝ ܕܝܘܣܦ (*duo filii Josephi*). Aliquando nomen regens genitivum debet esse gdʰamatum; cujus rei habemus insigne exemplum in nomine ܡܪܝܐ (*Dominus*), quod non potest cum genitivo adhiberi sed pro eo usurpari debet vel gdʰamatum ܡܪܐ, ut ܡܪܐ ܫܡܝܐ (*Dominus cœli*), vel ܡܪܐ sequente dalatʰ, ut ܡܪܐ ܕܫܡܝܐ

non autem ܡܪܢܐ ܕܥܡܡܐ. In hoc autem secundo modo licet separare genitivum a regente, v. gr. ܐܝ̈ܕܝܐ ܡܛܘܦܣܢ ܠܗ ܠܨܠܝܒܐ ܕܡܘܫܐ (*manus Moysis typum ferentes crucis*). Hac forma potest nomen genitivum præcedere nomen quod illud regit, ut ܡܘܕܝܢܢ ܠܗܘ ܕܒܛܝܒܘܬܗ ܕܒܪܗ ܐܚ̈ܐ ܐܝܬܝܢܢ (*gratias agimus illi cujus gratia ejus filii sumus fratres*). Sæpe genitivus occurrit sine regente, v. gr. ܕܐܠܗܐ ܗܘ ܕܝܢܐ (*Dei est judicium*); ܕܡܢ ܗܘ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܐܘ ܕܐܚܘܟ (*cujusnam est iste liber? an fratris tui?*), ܕܝܠܝ ܗܘ ܟܬܒܐ ܗܢܐ (*meus est hic liber*); ܣܦܝܢܬܐ ܗܝ ܕܫܡܥܘܢ ܗܘܬ (*navis illa Simeonis erat*).

484 – Solent Syri ut Arabes adjectivum vicem verbi gerens cum suo patiente vel agente construere per regimen nominale de quo agimus. Id autem fit per gdhamam regiminis quæ datur adjectivo, v. gr. ܦܪܘܩ ܥܠܡܐ (*salvator mundi*, seu *salvans mundum*), ܪ̈ܚܡܝ ܐܠܗܐ (*amantes Deum*); ܠܒܝܫܬ ܙܟܘܬܐ (*induta victoriâ*); ܚܠܐ ܩܠܐ (*dulcis voce*); ܫܦܝܪܬ ܩܘܡܬܐ (*eximia quoad staturam*); ܡܣܡܣܝܢ ܕܟܝܐ (*carentes ratione*). Advertendum autem quod participium activum nominale seu adjectivum qualificativum non adhibetur cum contractione in statu constructo, sed illius loco tunc assumitur participium activum verbale contractum, ideoque non dicitur, v. gr. ܢܛܘܪ ܓܢܬܐ (*custos horti*), sed ܢܛܪ ܓܢܬܐ (n. 288 et 386).

Nihilominus prædictum participium nominale qualificativum regere potest genitivum mediante particula ܕ, unde sine contractione dicitur : ܢܛܘܪܐ ܕܫܒܬܐ, item ܦܪܘܩܐ ܕܥܠܡܐ (*salvator mundi*). Idem tenendum de participio activo verborum auctorum, v. gr. ܡܚܝܐ ܡܝ̈ܬܐ (*vivificator mortuorum*) vel ܡܚܝܢܐ ܕܡܝ̈ܬܐ ; ܡܩܒܠ ܬܝ̈ܒܐ (*exceptor resipiscentium*), vel ܡܩܒܠܢܐ ܕܬܝ̈ܒܐ, ܡܢܦܩܬ ܡܝ̈ܐ (*emittens* f. *aquæ*), vel ܡܢܦܩܢܝܬܐ ܕܡܝ̈ܐ. Nota porro adjectivum construi per modum regiminis non solum cum nomine sed etiam cum adverbio aut quod illi simile est, v. gr. ܩܕܝܫ ܒܟܠ (*sanctissimus*, ad litteram *sanctus per omnia*), ܒܬܘܠܬ ܒܟܠܙܒܢ (*virgo perpetua*, ad litteram *virgo omni tempore*), ܪ̈ܚܝܩܝ ܡܢ ܐܠܗܐ (*remoti a Deo*), ܪ̈ܡܬ ܡܢ ܥܠܡܐ (*excelsæ supra mundum*).

485 — Nota: Licet apud Syros adhibere nomen regens in numero singulari quamvis nomen genitivum subsequens sit numeri pluralis, cum intendatur singulis individuis genitivi tribuere unum nomen regens, v. gr. ܢܦܫܗܘܢ (*animæ ipsorum*), ܠܒܢ (*corda nostra*), ܪܫܟܘܢ (*capita vestra*), ܦܘܡܐ ܕܚܝ̈ܘܬܐ (*ora animalium*).



ARTICULUS VI

DE EMPHASI ADJICIENDA NOMINIBUS

486 — Solent Syri emphasim adjicere nominibus, præsertim ad significandum nomen esse determinatum, siquidem deficit aliud signum ad hoc indicandum. Hujusmodi porrro adjectio emphaseos fieri solet per additionem pronominis personalis quod nomini congruit. Scilicet si nomen est subjectum seu agens verbi vel quod simile est verbo, adsciscit emphatice ante se unum ex pronominibus separatis, ܗܘ, ܗܝ, ܗܢܘܢ et ܗܢܝܢ, v. gr. ܗܘ ܡܠܟܐ ܐܡܪ ܗܕܐ (*Rex ipse dixit hoc*).

487 I – Si vero nomen est patiens vel rectum a nomine in statu genitivi, tunc emphaseos causa exprimitur cum illo ejus pronomen suffixum redundans; et in primo quidem casu, nempe quando nomen est patiens, ejus suffixum adnectitur verbo regenti et sequitur deinde patiens cum præfixa lamad^h; in secundo autem casu, nempe quando nomen est in statu genitivi, seu rectum a nomine, tunc ejus pronomen suffigitur nomini quod illud regit, et sequitur ipsum nomen genitivi cum ܕ præmissa. Proinde si in sequentibus exemplis emphasim dare velis nomini: ܚܙܝܬ ܠܓܒܪܐ (*vidi virum*), ܚܣܘܟ ܠܥܒܕܟ (*cohibe servum tuum*), ܫܘܒܚܐ ܠܒܪܐ ܕܐܠܗܐ (*gloria filio Dei*), ܝܘܣܦ ܓܒܪܐ ܕܡܪܝܡ (*Joseph vir Mariæ*), ܫܘܒܗܪܐ ܕܪ̈ܫܝܥܐ ܢܐܒܕ (*gloratio impiorum peribit*), ܠܐ ܬܥܠ ܠܒܪܟ ܠܥܡܠܐ (*ne introducas filium*

tuum in domum), dicendum tibi est; ܡܥܠܬܗ ܠܒܪܟ ܠܒܝܬܐ, ܫܒܚܘܗܝ, ܫܘܒܚܐ ܠܒܪܗ ܕܐܠܗܐ, ܡܫܒܚܝܢܘܗܝ ܠܡܪܢ ܠܐ ܐܬܠܘܗܝ, ܫܒܩܘܗܝ ܘܫܒܩܬܐ ܠܐܒܘܟ, ܠܒܪܗ ܘܠܐܡܗ ܠܒܪܟ ܠܒܝܬܐ. Pronomina 3æ plur. masc. ܐܢܘܢ et 3æ plur. fœm. ܐܢܝܢ quæ nequeunt suffigi, ut notum est, post verbum ponuntur, unde dices ܩܪܝܬ ܐܢܘܢ ܠܐܚܝܟ *(vocavi fratres tuos)*, ܚܙܝ ܐܢܝܢ ܠܢܫܐ ܗܠܝܢ *(vide hasce mulieres)*, pro ܩܪܝܬ ܠܐܚܝܟ, et ܚܙܝ ܢܫܐ ܗܠܝܢ.

Porro interdum supprimitur particula lamadh quæ debet præfigi nomini patienti cujus pronomen redundans præcedit, v. gr. ܫܕܝܘܗܝ ܟܣܦܐ pro ܫܕܐ ܠܟܣܦܐ *(projecit argentum)*, ܛܫܝܬܗ ܟܟܪܟ *(occultavi talentum tuum)*. Quæ constructio frequentissima est in versione Bibliorum dicta Pshitta, extra quam rarissima est.

487 II – Nominibus autem quæ reguntur a præpositionibus adjicitur emphasis adnectendo pronomen suffixum nominis recti a præpositione, et deinde sequitur nomen habens particulam præmissam dalath. Igitur in sequentibus exemplis: ܐܙܠ ܒܬܪ ܝܫܘܥ *(abiit post Jesum)*, ܝܬܒܘ ܚܕܪ ܡܫܟܢܐ *(sederunt circum tabernaculum)*, ܣܠܩܝܢ ܠܥܠ ܡܢ ܡܝܐ *(ascendunt super aquas)*, emphasim adjicies dicendo: ܝܬܒܘ ܚܕܪܘܗܝ, ܐܙܠ ܒܬܪܗ ܕܝܫܘܥ, ܣܠܩܝܢ ܠܥܠ ܡܢܗܘܢ ܕܡܝܐ, ܕܡܫܟܢܐ. Præterea nomen quod habet ante se præpositionem ܒ accipit empha-

sim addendo ܕܝܠ cum pronomine suo suffixo, et exinde sequitur nomen habens suam ܕ dalat[h] præfixam, v. gr. ܟܬܒܐ ܕܡܠܦܢܐ (*liber magistri*) fit emphaticum ܟܬܒܐ ܕܝܠܗ ܕܡܠܦܢܐ. Nomen autem quod habet præfixam particulam ܠ fit emphaticum addendo ante hoc nomen ejus pronomen suffixum adnexum particulæ lamad[h] repetitæ, v. gr. ܐܡܪ ܠܐܒܝ (*dic patri meo*) dices emphatice ܐܡܪ ܠܗ ܠܐܒܝ. Item tenendum de nomine quod habet præfixam præpositionem ܒ, nempe repetitur antea alia ܒ cum pronomine suffixo, v. gr. ܒܗܘ ܝܘܡܐ (*illa die*) dices emphatice ܒܗ ܒܗܘ ܝܘܡܐ. Imo licet similiter procedere cum cœteris etiam præpositionibus, verb. grat. ܢܦܩ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ (*egressus est ex urbe*) dices emphatice ܢܦܩ ܡܢܗ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ. Nomen ܟܠ fit emphaticum adnectendo sibi pronomen suffixum nominis cui refertur, nulla interposita particula inter ipsum et nomen sequens, v. gr. ܟܠ ܥܡܐ (*omnis populus*) dices ܟܠܗ ܥܡܐ; item ܟܠ ܕܝܢܐ (*omnes judices*) dices ܟܠܗܘܢ ܕܝܢܐ. Inde vides vocem ܟܠ respondere voci Latinorum: *singuli*, vel *omnis*, vel *quisque* quando copulatur cum substantivo, v. gr. ܟܠ ܢܦܫܐ (*omnis anima*); significare autem *totus* vel *cunctus* quando habet sibi suffixum pronomen personale quod respondet suo nomini, v. gr. ܟܠܗ ܥܠܡܐ (*cunctus mundus*), ܐܪܥܐ ܟܠܗ (*tota terra*).

Pronomen antem personale nomini suffixum emphasim accipit per vocem ܕܝܠ, ut ܟܪܡܝ ܕܝܠܝ (*vinea mea*), ܟܬܒܟܘܢ ܕܝܠܟܘܢ (*liber vester*).

488 – Ex quibus vides licere in Syriaca lingua nomen determinatum a suo pronomine præcedi redundante ad emphasim seu declarationem significandam, sive nomen sit proprium ut ܗܝ ܡܪܝܡ ܐܡܪܬ (*ipsa Maria dixit*), sive sit pronomen demonstrativum ut ܗܘ ܗܢܐ ܚܙܝܗܝ (*hic ipse vidit eum*), sive nomen genericum ut supra. Scitu dignum est etiam, eos qui seculo V° et sequentibus interpretati sunt libros Græcos in linguam Syriacam solitos fuisse per pronomen ܗܘ aut ܗܘ significare articulum Græcum propter defectum articuli in lingua Syriaca, ex. gr. ܐܙܠܘ (ܗܢܘܢ) ܓܒܪܐ (*iverunt viri*), Gallice : *les hommes sont allés*, ܗܘ ܝܫܘܥ ܐܡܪ (*dixit Jesus*), Græce Ὁ ΙΗΣΟΥΣ; quod est intolerabilis servilismus.



ARTICULUS VII

DE VOCATIVO, SPECIFICATIVO, DE NOMINE CIRCUMSTANTLÆ, TEMPORIS LOCIQUE, ET DE ADVERBIO.

489 — Vocativi particula penes Syros est ܐܘ, quæ est vox mere Græca, ex. gr. ܐܘ ܡܪܝܐ, at plerumque vocativus nullam particulam habet, v. gr. ܪܚܡ ܥܠܝ ܡܪܝܐ (*Miserere mei Domine*).

489 II – Nomen quod specificat seu designat objectum ponderis vel mensuræ vel capacitatis vel materiæ etc. ponitur apud Syros sine ulla particula sive in numero singulari sive in numero plurali juxta diversitatem sensus, ex. gr. ܡܠܝ ܠܡܐܢܐ ܗܢܐ ܡܝܐ *(imple vas istud aquâ)*, ܦܘܡܗ ܦܬܝܚ ܙܪܬܐ *(os ejus apertum est spithamâ)*, ܟܠ ܚܕܐ ܡܢܪ̈ܬܐ ܡܬܩܠܐ ܟܟܪܐ *(singulæ lampades habent pondus unius talenti).*

Eadem ratione se habet nomen materiei qua res constat aut fit, illudque fere semper nude ponitur i. e. sine præpositione; sic materia verbi ܡܫܚ *(unxit)*, ex. gr. ܡܫܚܟ ܐܠܗܐ ܡܫܚܐ ܕܚܕܘܬܐ *(unxit te Deus oleo lætitiæ)*, ܡܫܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܠܐܡܪ̈ܐ ܕܟܝ̈ܐ ܡܫܚܝܢ ܟܗ̈ܢܐ *(oleo sancto agnos innocentes ungunt sacerdotes).*

490 — Res autem numerata ponitur semper apud Syros in numero plurali, v. gr. ܚܡܫܬܥܣܪܐ ܐܡܝܢ ܥܫܢܘ ܡܝܐ *(quindecim cubitis prævaluerunt aquæ)*, ܡܝܬܘ ܬܠܬܝܢ ܓܒܪ̈ܝܢ ܘܥܣܪܝܢ ܢܫ̈ܝܢ *(mortui sunt triginta viri et viginti mulieres).* Nomina autem quæ ponuntur in casu ablativo apud Latinos subaudita præpositione *in* vel *ex* vel *ab* etc. raro apud Syros occurrunt sine præpositione sed plerumque habent sibi præfixum ܒ v. gr. ܗܢܐ ܡܢܟ ܗܘ ܡܝܬܪ ܒܡܠܬܐ *(hic te præstantior est verbo).*

491 — Nomen designans circumstantiam temporis quo actio contingit ponitur apud Syros plerumque

sine ulla particula v. gr. ܦܫ ܬܡܢ ܟܠܗ ܣܬܘܐ (*mansit illic tota hieme*), ܟܠܗܘܢ ܫܢܝ ܚܝܝ ܦܠܚܬ (*omnibus annis vitæ meæ operatus sum*). Aliquando illi præmittitur præpositio ܒ, v. gr. ܡܨܠܐ ܗܘܐ ܒܐܝܡܡܐ (*orabat die*), ܒܫܢܬ ܐܠܦ ܡܝܬ ܦܠܢ (*anno millesimo mortuus est N.*).

492 – Adverbium, quod indicat modum actionis verbi, formatur quandoque per additionem terminationis ܐܝܬ adjectivo (321) ut ܫܪܝܪܐܝܬ ܐܢܬ ܗܘ ܬܡܝܗܐ (*vere tu es admirabilis*); vel aliter ut vidimus in capite de formatione adverbii, ut ܡܠܠ ܥܡܗܘܢ ܥܝܢ ܒܥܝܢ (*locutus est illis f. manifeste*). Solent autem Syri verbo certitudinem dare per infinitivum verbalem omni particula carentem, sæpius verbo præmissum, ex. gr. ܡܪܕܐ ܪܕܝܢܝ ܡܪܝܐ (*castigavit me Dominus vehementer*), ܡܬܪܡܐ ܬܬܪܡ ܩܪܢܢ (*vere extolletur cornu nostrum*). Adhibetur quoque cum verbo infinitivus ejus nominalis particula carens, ut ܡܢ ܢܕܡܟ ܫܢܬܐ (*quis somnum carpere potest?*). Id autem necessarium est cum infin. nominalis adjectivo vel alia voce determinatus est, ex. gr. ܪܬܚܬ ܪܘܓܙܐ ܪܒܐ (*vehementi ira succensa est*), ܡܘܬܐ ܐܢܬ ܡܐܬ ܒܝܫܐ (*pessima morte morieris*).



ARTICULUS VIII

DE ADJECTIVO.

493 I — Adjectivum quadrupliciter in oratione occurrere potest : vel enim occurrit tamquam prædicatum, vel tamquam completivum nominis, vel denotat statum agentis aut patientis, vel denique gerit vicem substantivi; qui singuli casus habent regulas sibi proprias. Notandum autem nos hic agentes de adjectivo non comprehendere sub hac denominatione participium activum neque participium passivum quod habet sensum participii activi (n. 298), hæc enim, excepta flexione, omnino regulas verborum sequuntur.

493 II — Adjectivum itaque quod occurrit in oratione ut prædicatum, debet, ut vidimus, esse contractum (1), idque, tum si mediante copula, tum si absque copula cum subjecto connectitur (n. 480), v. gr. ܚܠܝܐ ܗܝ ܡܠܬܟ (*dulce est verbum tuum*), ܛܒ ܗܘ ܡܪܝܐ (*bonus est Dominus*), ܡܪܚܡܢ ܐܢܬ (*tu es misericors*), ܫܦܝܪܝܢ ܥܒܕܘܗܝ ܕܐܠܗܐ (*pulcherrima sunt opera Dei*). Attamen hujusmodi adjectivum, si cum subjecto interposita voce ܐܝܬܘܗܝ etc. connectitur, non contrahitur, v. gr. ܩܕܝܫܐ ܐܝܬܝܟ ܡܪܝܐ (*sanctus es Domine*). Item tenendum de adjectivo completivo pronominis relativi, scilicet quoties subjectum adjectivi referatur ad pronomen relativum, tunc contrahi debet hujusmodi adjectivum, et post illud licet adjicere pronomina personalia separata

(1) In dialecto Madlulæ adjectivum semper est contractum, sive sit prædicatum, sive qualificativum, et ideo nunquam alaf emphaticum accipit.

vel ea omnittere, v. gr. ܡܗܝܡܢ̈ܐ ܕܐܬܢܝܚܘ ܒܚܘܒܐ (*fideles qui mortui sunt in charitate*), ܗܒ ܠܚܡܐ ܕܡܫܬܟܚ ܠܘܬܟ (*da panem qui reperitur apud te*). Quod si post relativum interponas vocem ܐܝܬܘܗܝ etc., tunc hæc copula gerit vicem pronominis personalis separati, et cum illa adjectivum non contrahitur; v. gr. ܒܥܝ ܐܢܬܬܐ ܐܝܕܐ ܕܐܝܬܝܗ ܡܫܡܠܝܬܐ (*quære mulierem quæ sit perfecta*).

494. — Prædicatum verbi ܗܘܐ sequitur regulas prædicatorum in genere, verbi gratia: ܪܓܝܓ ܗܘܐ ܩܠܗ ܕܦܪܘܩܢ (*gratiosa erat vox salvatoris nostri*), ܗܘܘ ܡܚܠܡܝܢ (*estote sani*); ܐܒܘܗܝ ܟܪܝܗܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ (*ejus pater erat ægrotus*).

495 — Adjectivum autem quod propositionem ingreditur ut completivum nominis licet tibi illud contrahere vel non, attamen si contrahitur, ei præfigenda est præpositio ܕ, v. gr. ܐܝܟ ܐܝܠܢܐ ܕܢܨܝܒ ܥܠ ܐܦܩܐ (*tamquam arbor plantata super rivum*), ܚܙܝܬ ܠܐܠܦܐ ܕܛܥܝܢܐ ܥܘܬܪܐ (*vidistine navim ferentem divitias?*), ܩܪܝ ܠܓܒܪ̈ܐ ܕܥܡܪܝܢ ܬܡܢ (*voca viros commorantes illic*); si vero non contrahitur adjectivum, nulla ei est præfigenda præpositio, v. gr. ܐܠܗܐ ܡܪܚܡܢܐ (*Deus misericors*); ܓܒܪܐ ܣܟܠܐ ܠܐ ܡܚܝܠ ܗܘܐ (*homo stultus*

nescit hoc); ܚܙܝܬ ܛܠܝ̈ܐ ܙܥܘܪ̈ܐ *(vidi pueros parvulos)*; ܥܠܢ ܠܡܕܝܢܬܐ ܝܕܝܥܬܐ ܘܡܫܡܗܬܐ *(ingressi sumus in urbem notam et celebrem)*. De hoc adjectivo fusius erit sermo in capite seq.

496 – Adjectivum indicans statum agentis vel patientis semper contrahitur et assumit ante se ܟܕ *(cum, dum)*, v. gr. ܥܠ ܡܫܝܚܐ ܠܐܘܪܫܠܡ ܟܕ ܪܟܝܒ ܥܠ ܥܝܠܐ *(ingressus est Christus Hierosolymam equitans pullum)*, ܩܡ ܩܕܡܝ ܓܒܪܐ ܚܕ ܟܕ ܠܒܝܫ ܚܘܪ̈ܐ *(stetit coram me vir quidam indutus alba)*, ܡܫܒܚܝܢ ܠܟ ܟܕ ܩܥܝܢ ܘܐܡܪܝܢ *(glorificamus te clamantes et dicentes)*. Quandoque loco ܟܕ assumit ܘ more Arabum, v. gr. ܥܠ ܠܐܘܪܫܠܡ ܘܪܟܝܒ ܥܠ ܥܝܠܐ *(ingressus est Hierosolymam equitans pullum)*. Tandem quando adjectivum indicat statum non agentis sed patientis vel alius nominis, tunc licet illi præmittere ܕ loco ܟܕ v. gr. ܚܙܝܬ ܡܪܐ ܕܩܐܡ ܘܥܒܕܐ ܕܝܬܒ *(vidi Dominum stantem et servum sedentem)*. Ex omnibus his quæ de adjectivo indicante statum diximus facile colliges ablativum absolutum Latinorum eodem modo apud Syros exprimi, ex. gr. ܥܠܢ ܠܡܕܝܢܬܐ ܟܕ ܥܪܒ ܫܡܫܐ *(ingressi sumus urbem occidente sole)*; ܐܙܕܩܦ ܓܢܒܐ ܟܕ ܟܪܘܙܐ ܡܩܥܐ *(crucifixus est fur clamante præcone)*.

497 — Tandem adjectivum quod tenet locum

substantivi, si personam aut rem determinatam denotat, nunquam contrahitur, v. gr. ܫܘܒܚܐ ܠܛܒܐ (*gloria optimo*), ܘܝ ܠܡܚܢܦܢܐ (*væ adblandienti*), (ܐܙܠܘ ܢܟܦܬܐ (*iverunt castæ*), ܚܘܣ ܥܠܝܢ ܡܪܚܡܢܐ (*miserere nostri, misericors*). Quod si hujusmodi adjectivum sibi adnexum habeat substantivum in statu constructo (n. 288), tunc patitur contractionem propriam status constructi, v. gr. ܣܒܪܬܐ ܩܒܠܘ ܠܥܡܘܪܝ ܩܒܪܐ (*accipite faustum nuncium, incolæ sepulcrorum*); ܡܫܒܚܝܢ ܠܡܠܝܬ ܛܝܒܘܬܐ, (*exaltamus plenam gratiæ*). Adjectivum autem negatione affectum, particula ܠܐ copulatur, quæ cum adjectivo ita conjungitur ut adjectivum et particula unum fere vocabulum forment, ex. gr.: ܥܪܘܩ ܡܢ ܠܐ ܡܗܝܡܢܐ (*fuge ab infidelibus*), ܡܕܪܟ ܐܢܬ ܠܠܐ ܡܬܚܙܝܢܝܬܐ (*comprehendisne invisibilia?*).



ARTICULUS IX

DE ADJECTIVO COMPLETIVO SEU DETERMINATIVO.

498 — Adjectivum Completivum seu Determinativum est illud quod substantivum concomitatur ad illud determinandum. Adjectivum in hoc statu convenire debet cum substantivo tantummodo quoad genus et quoad numerum.

Determinatio autem seu completio nominis potest esse vel per ipsum adjectivum, ut hactenus vidimus, vel

per propositionem quæ adjectivi locum tenet. Adjectivum quidem cum completivum est substantivi nequaquam contrahendum est, ut nuper vidimus, et proinde dicitur v. gr. ܚܙܝܬ ܐܝܠܢܐ ܪܡܐ (*vidi arborem excelsam*).


499 — Propositio autem quæ locum tenet adjectivi completivi adsciscit semper ante se litteram ܕ quæ est pronomen relativum, et si propositio loco verbi habet participium activum vel adjectivum cujus subjectum seu agens referatur ad ܕ relativum, tunc particula ܕ vicem gerit pronominis personalis participii vel adjectivi, v. gr.: ܐܝܬ ܬܡܢ ܡܣܟܢܐ ܕܡܚܕܪ (*est illic pauper qui circumit mendicando*), ܛܘܒܝܗܘܢ ܠܥܬܝܪܐ ܕܙܕܩܬܐ ܝܗܒܝܢ (*beati divites qui eleemosynas erogant*); ܐܫܟܚ ܡܠܟܐ ܠܓܒܪܐ ܕܠܒܝܫ ܡܐܢܐ ܛܢܦܐ ܕܠܐ ܫܦܝܪܝܢ ܠܒܝܬ ܡܫܬܘܬܐ (*invenit rex virum indutum vestibus immundis quæ non decent nuptias*).

500 — Adjectivum completivum apud Syros ut apud Arabes venit ordinarie post substantivum; sunt tamen quædam nota adjectiva quæ possunt præcedere sua substantiva; hujusmodi sunt sequentia: ܐܚܪܢܐ (*alius*); ܩܕܡܝܐ (*primus*); ܐܚܪܝܐ (*ultimus*); ܣܓܝܐܐ (*multus*); ܙܥܘܪܐ (*parvus* vel *modicus*); ܪܒܐ (*magnus*); v. gr. ܠܐ ܗܘܐ ܒܥܠܡܐ ܐܚܪܢܐ ܚܛܝܐ ܕܕܡܐ ܠܝ (*non fuit in mundo alius peccator similis mihi*), ܣܓܝܐܐ ܥܒܕܐ ܫܦܝܪܐ ܚܘܝܬܟܘܢ (*multa opera bona ostendi vobis*),

ܐܣܟܝܡ ܐܚܪܢܐ *(alio tempore).*

Item adjectiva quæ designant titulos personarum earumque qualitates sive in bonum sive in malum sensum ordinarie suis nominibus propriis anteponuntur, v. gr. ܫܘܒܚܐ ܠܟ ܚܝܠܬܢܐ ܐܠܗܐ *(gloria tibi Deus fortis)*; ܐܡܪ ܛܘܒܢܐ ܦܘܠܘܣ *(inquit beatus Paulus)*; ܫܠܡ ܠܟܝ ܩܕܝܫܬܐ ܡܪܝܡ *(ave sancta Maria).*

501 — Quævis orationis pars indicans circumstantiam temporis vel loci vel aliud simile, et occurrens veluti adjectivum completivum, assumere debet ante se ܕ relativum, v. gr. ܚܠܐ ܗܘ ܡܘܬܐ ܕܡܛܠ ܐܠܗܐ *(dulcis est mors propter Deum)*, ܗܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܡܥܕܪܢܐ ܘܡܫܡܫܢܐ ܕܥܡܝ *(hic est adjutor et minister mecum)*, ܝܘܚܢܢ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܫܪܓܐ ܕܩܕܡ ܫܡܫܐ *(Joannes erat lucerna ante solem).*



ARTICULUS X

DE COMPARATIVO ET SUPERLATIVO.

502 — Syris deest forma أفعل quam habent Arabes inter formas adjectivorum positivorum, iis etiam deest hæc eadem forma أفعل quam habent Arabes sensu superlativi et comparativi; et nihilominus Syri nullam aliam formam habent ad efformandum comparativum atque superlativum. Itaque adjectivum comparativum

apud eos exprimitur per adjectivum positivum simpliciter, addita præpositione ܡܢ nomini cum quo comparatio instituitur, v. gr. ܚܟܡܬܐ ܛܒܬܐ ܗܝ ܡܢ ܥܘܬܪܐ (*sapientia melior est divitiis*), ܚܢܢ ܚܝܠܬܢܝܢ ܡܢܟܘܢ (*nos sumus fortiores quam vos*). Quandoque, majoris claritatis causa, interponitur vox ܝܬܝܪ (*potissime*), vel vox ܛܒ (*bene, maxime*), ex. gr. ܫܡܫܐ ܪܚܝܩ ܗܘ ܡܢ ܐܪܥܐ ܝܬܝܪ ܡܢ ܣܗܪܐ (*sol remotior est quam luna a terra*). Adverbia autem comparativa exprimuntur per adjectiva contracta in numero singulari. Ea vero adjectiva comparativa quæ *vim* vel *intensitatem* tantum denotant, exprimuntur per vocem ܝܬܝܪ vel ܛܒ, v. gr. ܦܠܚܬ ܝܬܝܪ ܡܢܟ (*operatus sum plus quam tu*), ܪܚܡ ܡܪܝܐ ܠܬܪܥܝ̈ܗ ܕܨܗܝܘܢ ܛܒ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܡܫܟܢܘܗܝ ܕܝܥܩܘܒ (*dilexit Deus portas Sion plus quam omnia tabernacula Jacob*). Item sit exemplum adverbii comparativi ܐܚ̈ܘܬܟܝ ܡܗܠܟܢ ܫܦܝܪ ܡܢܟܝ (*sorores tuæ incedunt præclarius quam tu*). Hinc etiam vides nomen cum quo comparatio fit necessario exprimendum esse, secus comparatio nequit existere, v. gr. ܗܠܟ ܬܪܝܢ ܝܘܡܝܢ ܒܨܝܪ ܐܘ ܝܬܝܪ (*ambulavit duobus diebus plus minus*).

503—Superlativum circumscribitur diversis modis, v. gr. ܩܕܝܫ ܕܩܘܕ̈ܫܐ (*sanctissimus*), ܙܥܘܪܗܘܢ ܕܫܠܝ̈ܚܐ (*minimus apostolorum*), ܐܝܢܐ ܦܘܩܕܢܐ ܪܒ ܒܢܡܘܣܐ (*quodnam mandatum est maximum in lege?*).

504 — Notandum deinde nomen cum quo comparatio fit interdum loco ܡܶܢ prænotari particula ܐܰܘ (*aut*) more Græcorum, maxime quando nequit præpositio ܡܶܢ habere locum, v. gr. ܠܨܘܪ ܘܠܨܝܕܢ ܢܗܘܐ ܢܝܚ ܒܝܘܡܐ ܕܕܝܢܐ ܐܘ ܠܟܝ (*Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii quam tibi*).



CAPUT II

DE PRONOMINIBUS



ARTICULUS I

DE PRONOMINE PERSONALI

505 — Pronomen reflexivum quod Arabes per vocem نفس cum suffixis exprimunt, exprimitur a Syris per pronomen personale separatum agentis, adjiciendum inter agens et idem pronomen suffixum habens præfixam præpositionem lamad[h], quod personam patientem exprimit, v. gr. ܣܟܠܐ ܗܘ ܠܗ ܐܗܣܝ (*stultus sibimet nocuit*), ܡܫܝܚܐ ܗܘ ܠܗ ܐܡܟܟ (*Christus semet demisit*), ܐܢܬ ܠܟ ܥܕܘܪ (*adjuva temetipsum*). Vel etiam exprimitur pronomen reflexivum more Arabum per vocem ܢܦܫܐ (*anima*)

cum suffixis , v. gr. ܠܐ ܬܬܪܝܡ ܢܦܫܟ (*ne extollas temet*) , ܡܟܟܬ ܢܦܫܝ (*humiliavi memet*) : vel per vocem ܟܝܢ (*essentia*) etiam cum suffixis , v. gr. ܡܫܝܚܐ ܐܡܟܟ ܟܝܢܗ (*Christus demisit semetipsum*).

Adjicitur post nomina vel pronomina vox ܢܦܫ vel ܩܢܘܡ (*persona*) cum præfixa præpositione ܒ , et cum subnexis suffixis ad exprimendum sensum quem Latini per pronomen *ipse* , *ipsa* , *ipsum* , exprimunt , v. gr. ܐܢܐ ܒܢܦܫܝ ܐܬܐ ܠܘܬܟ (*ego ipse veniam ad te*) ܡܠܟܐ ܒܩܢܘܡܗ ܣܥܪܢ (*rex ipse nos visitavit*).

506 – Nota tandem quandoque post verbum intransitivum redundare emphatice præpositionem lamad[h] cum pronomine suffixo ejusdem personæ agentis. Ex. ܐܬܝܢ ܠܢ (*venimus*) , ܡܝܬܘ ܠܗܘܢ ܒܥܠܕܒ̈ܒܐ (*mortui sunt inimici*) , ܐܬܝܬ ܠܟ (*veni*), ܕܠܡܐ ܬܫܬܟܚܘܢ ܠܟܘܢ ܕܠܘܩܒܠ ܐܠܗܐ ܩܝܡܝܢ ܐܢܬܘܢ (*inveniemini contra Deum stare*).

507 I – Pronomen *idem*, *eadem*, *idem*, exprimitur Syriace per pronomen personale ܗܘ repetitum , intercedente particula ܒܗ , sive separatum sive suffixum juxta casuum diversitatem, ex. gr. ܦܘܠܘܣ ܐܪܕܦ ܠܥܕܬܐ ܘܗܘ ܒܗ ܚܕܝܗ̇ (*Paulus Ecclesiam exagitavit, et idem eam lætificavit*), ܐܡܪ ܝܫܘܥ ܠܗ̇ ܒܗ̇ ܠܗ̇ ܠܡܠܬܐ (*dixit Jesus idem verbum*) , ܡܐܡܪܐ ܕܡܠܟܘ ܒܗ ܕܡܠܟܘ ܘܡܪܢ ܐܦܝܣܩܘܦ

(ejusdem S. Ephræmi sermo), ܗܦܰܟ ܡܶܢܶܗ ܒܡܶܢܶܗ ܕܐܽܘܪܚܳܐ *(eadem via rediit)*. Pro pronomine suffixo accusativo licet in talibus exemplis adhibere pronomen typicum ܗܽܘ, ut ܗܽܘܝܽܘ ܒܶܗ ܗܽܘܝ ܡܶܠܬܳܐ ܐܶܡܰܪ *(idem verbum dixit)* (1).

507 II – Pronomen personale ܐܢܬܘܢ *(Vos)* non convenit in eleganti lingua Syriaca uni personæ, sed pluribus ut apud Græcos, Latinos et Arabes. Attamen posterioribus ævis (circa seculum XII) cœptum est apud aliquos Syros adhibere pronomen ܐܢܬܘܢ ad alloquendam unam personam dignitate præditam ut mos est hodie omnium populorum Europæorum (2). Hunc tamen usum apud scriptores bonæ notæ non est invenire. Pronomen autem 1æ pers. pl. adhibere pro sing. solent reges et magni viri in omnibus mundi linguis.

507 III – Sæpe pronomen ܗܽܘ usurpatur ut pleonasmus ad sermonem exornandum, quod in versione Novi Testamenti Syriaca dicta Pshitta frequentissimum

(1) Hæc ratio exprimendi pronomen *idem* non est genuina Syriaca, neque ceteræ linguæ Semiticæ eam vel ejus notionem habent; Syri autem præteritis seculis cum libros Græcos in suam linguam cœperunt transferre, hanc notionem ex Græca lingua didicerunt, ad illiusque imitationem rationem prædictam excogitarunt. Imo non contenti simplex pronomen hac ratione exprimere, ex eo fœminino substantivum concretum derivarunt ܗܽܘܝܽܘ ܗܽܘܝܽܘܬܳܐ ad significandam notionem quam ipsi Latini non habebant quamque hodierni populi Europæi simili ratione exprimunt per vocem *idenditas*.

(2) Europæi hodierni excessum in hac re attigerunt, cum æquales etiam (imo etiam inferiores) alloquendo dicunt *Vos* pro *Tu* (quod sensati homines certe non approbant). Quod magis tædet est usus Italorum dirigendi ad unam personam masculinam pronomen 3æ personæ fœm.; adhuc ac magis *admirationem* provocat usus Germanorum dicendi *Illi* pro *Tu*. Ipsa igitur urbanitas ad excessum producta in ridiculum degenerat! Populi tamen Orientales nostris temporibus et in hoc Europæos imitari cœperunt, Turcæ, Persæ, etc. At Arabes tantummodo in scribendis epistolis etiam familiaribus lingua vulgari pro singulari pluralem adhibent tum in secunda tum in prima persona.

est. He autem hujus pronominis in tali casu semper eliditur seu otiatur, ex. gr. ܠܐܚܪܝܢ ܗܘ ܡܣܟܝܢܢ (*alium expectamus*), ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܗܘ ܡܙܕܕܩ ܒܪܢܫܐ (*fide justificatur homo*).

508 [I] — Usurpatur pronomen personale ܗܘ ejusque derivata ad exprimendum id quod latine exprimitur per *cumque*, præcedente ܐܝܢܐ (*quis*), vel ܟܡܐ (*quantum*), vel ܡܢ (*quis*), vel ܡܘܢ (*quid*) et particula ܕ, ex. gr. ܥܒܕ ܗܕܐ ܒܐܝܢܐ ܙܒܢܐ ܕܗܘ *fac hoc quocumque tempore*). ܠܐ ܟܐܐ ܐܢܐ ܠܟ ܡܛܠ ܨܒܘܬܐ ܐܝܕܐ ܕܗܝ (*non te reprehendo propter qualemcumque rem*), ܐܙܕܗܪ ܡܢ ܗܢܐ ܒܪܢܫܐ ܐܝܢܐ ܕܗܘ (*care ab isto homine, quicumque ipse sit*), ܥܪܘܩ ܡܢ ܕܓܠܐ ܐܝܠܝܢ ܕܗܢܘܢ (*fuge a mendacibus, quicumque ii sint*), ܣܒܝܗܝ ܟܠ ܟܡܐ ܕܗܘ (*accipe illud quantumcumque sit*), ܗܒܝܗ ܕܐܝܟ ܟܡܐ ܕܗܝ (*da illam quantacumque ea sit*).

508 [II] — Pronomen demonstrativum ܗܢܐ inservit cum ܟܠ ad significandum Latinorum *tantum* neutrum tum ut nomen, tum potissimum ut adverbium, ex. gr. ܗܢܐ ܟܠܗ ܪܚܡ ܐܢܐ ܠܟ (*tantum te amo!*), ܠܡܢܐ ܡܩܥܝܬܘܢ ܗܢܐ ܟܠܗ (*cur tantum clamatis?*), ܗܢܐ ܟܠܗ ܣܦܩ ܠܝ (*tantum mihi sufficit*).



ARTICULUS II

DE MODO EXPRIMENDI GENUS NEUTRUM.

509 – Rem idealem quæ sensibus non apprehenditur, sed mente fingitur, considerant Syri qui genus neutrum non habent, ut fœminini generis. Sic v. gr. dicunt : ܗܘܳܐ ܕܶܝܢ ܒܝܰܘܡܳܐ ܕܬܠܳܬܳܐ ܐܶܫܬܟܚܰܬ (*hoc die tertia contigit*); ܐܽܠܨܳܐ ܗܘܳܐ ܠܝ ܕܶܐܙܰܠ (*opus erat mihi ut irem*) ; ܡܶܬܶܐܡܪܳܐ ܕܡܺܝܬ ܡܰܠܟܳܐ (*dicitur quod mortuus sit rex*) ; ܡܶܢ ܗܳܕܶܐ (*ab hoc*) ; ܡܶܛܽܠ ܗܳܕܶܐ (*propter hoc*) ; ܟܽܠܗ̇ ܕܢܚܶܬ ܝܶܫܽܘܥ ܠܫܝܽܘܠ ܗܘܳܬ ܕܢܰܚܶܐ ܡܺܝܬ̈ܐ (*id omne quod Jesus descendit ad inferos, fuit ut mortuos vivificaret*); ܠܳܐ ܡܶܫܟܚܳܐ ܘܠܳܐ ܐܶܦܫܰܪ ܕܒܰܪܢܳܫܳܐ (*nequit esse* seu *impossibile est ut homo non erret*) ; ܐܰܬܠܓܰܬ ܘܐܰܡܛܪܰܬ (*ninxit et pluit*) ; ܪܡܰܫܰܬ (*vesperavit*) ; ܢܰܗܪܰܬ (*illuxit*) ; ܚܕܳܐ ܫܶܐܠܶܬ ܡܶܢ ܡܳܪܝܳܐ (*unum petii a Domino*); ܣܰܢܝܳܐ ܗܝ ܕܬܶܥܒܶܕ ܡܳܐ ܕܐܶܡܰܪܬ (*turpe est ut facias quod dixisti*). Item dicendum si de plurali numero agatur, v. gr. ܒܪܳܐ ܐܰܠܳܗܳܐ ܟܽܠܗܶܝܢ ܕܡܶܬܚܰܙ̈ܝܳܢ ܘܕܠܳܐ ܡܶܬܚܰܙ̈ܝܳܢ (*creavit Deus visibilia et invisibilia*) ; ܗܳܠܶܝܢ ܕܰܗܘܰܝ ܒܥܶܠܰܬ ܡܶܠܟܳܘ̈ܳܐ ܒܺܝܫ̈ܐ ܗܘܰܝ (*ea quæ evenerunt propter malos consiliarios evenerunt*).

510 — Ad hæc pertinet usus ܗܽܘ tamquam ligaminis inter unam et alteram propositionem, præ-

sertim post unam ex particulis conjunctivis, et tunc ܗܘ necessario adsumit post se litteram ܕ (n. 425), v. gr. ܠܡܢܐ ܐܫܛܬ ܠܐܚܘܟ ܚܠܦ ܗܘ ܕܬܝܩܪܝܘܗܝ (*cur despexisti fratrem tuum loco eumdem honorandi ?)*; ܐܝܟܢ ܐܠܗܐ ܕܢܬܠ ܠܢ ܘܝܗܒ ܠܢ ܒܪܗ (*tam dilexit nos Deus ut nobis suum filium daret)*; ܗܘ ܕܪܓܝܬ ܕܐܙܠ ܠܡܕܝܢܬܐ ܠܐ ܫܦܝܪ ܠܝ (*quod velis ire ad urbem, non placet mihi)*.

511 — Huc pertinent plurima verba quæ adhibentur impersonaliter i. e. in 3ª persona sing. fœm. sine agente expresso, et cum accusativo personæ in quam fit actio verbi. Hujusmodi sunt verba ܡܐܠ (*tæduit)*, ܟܪܝ (*doluit)*, ܐܠܨ (*angustia nata est)*, ܐܬܡܗܠ (*torpor natus est)*: quæ omnia in 3ª fœminina adhibentur cum littera ܠ præfixa presonæ agenti, v. gr. ܡܐܠܬ ܠܝ (*tæduit me)*; ܥܩܬ ܠܢ (*triste est nobis*, seu *angimur)*; ܡܪܬ ܠܗܘܢ (*amarum* vel *acerbum fuit eis, mœrore affecti sunt)*; ܟܪܝܐ ܠܝ (*angor)*; ܠܐ ܬܬܡܗܠ ܠܟܘܢ (*ne torpore afficiamini)*.

512 — Syri usurpant ܡܕܡ indeclinabile quo exprimunt *rem*, *negotium*, *aliquid*, etc. v. gr. ܠܐ ܚܙܝܬ ܡܕܡ ܒܒܝܬܐ (*nihil vidi in domo)*. Quando vero volunt exprimere *aliquid* vel *rem* in numero plurali, omittunt ܡܕܡ et adhibent adjectivum quod illud sequitur in numero

plurali generis fœminini, (n. 514), v. gr. ܥܒܕܬ ܠܗ ܣܓܝܐ̈ܬܐ (*feci illi plurima*); ܗܠܝܢ ܬܕܡܘܪ̈ܬܐ ܐܢܝܢ (*hæc sunt mirabilia*). Aliquando adhibetur ܡܕܡ eo sensu quo Latini dicunt *aliquid*, *quoddam*; imo de personis etiam usurpatur significans *aliquis*, *aliqua*, vel *quidam*, *quædam*, et quidem pro plurali etiam, v. gr. ܐܝܬ ܠܚܡܐ ܡܕܡ (*adestne aliquid panis?*), ܡܠܦ̈ܢܐ ܡܕܡ ܐܡܪܝܢ (*nonnulli magistri dicunt*), ܒܥܝ ܠܟ ܐܢܬܬܐ ܡܕܡ (*quære aliquam mulierem*), ܐܝܬ ܠܝ ܥܢܝ̈ܢܐ ܡܕܡ (*habeo aliquot negotia*).



ARTICULUS III

DE PRONOMINE RELATIVO.

513 — Pronomen relativum exigit apud Syros æque ac apud Arabes ut extet in correlativo sequenti pronomen personale ejusdem personæ, ejusdem generis et ejusdem numeri, ac nomen cui refertur pronomen relativum. Quo præmisso, sciendum est hujusmodi pronomen personale propositionis correlativæ aliquando elidi in Syriaca uti et in Arabica lingua, v. gr. ܟܡܐ ܐܢܘܢ ܓܒܪ̈ܐ ܕܚܙܝܬ (*quot sunt viri quos vidisti?*) pro ܕܚܙܝܬ ܐܢܘܢ.

Hic advertendum est notabile discrimen quod extat inter linguam Latinam et Syriacam quoad propositionem

quæ sequitur pronomen relativum. Nempe cum Latini regere faciunt pronomen personale hujus propositionis a verbo ejusdem propositionis, Syri illud regere faciunt a verbo propositionis præcedentis cui refertur pronomen relativum. Unde cum Latini dicunt: *Ecce libri quos desiderasti*, ubi *quos* est accusativus verbi *desiderasti*; Syri dant verbo *desiderasti* pronomen quod illud regat et relinquunt pronomen relativum rectum a propositione præcedente *ecce libri*, dicentes: ܗܐ ܟܬܒܐ ܕܪܓܬ ܐܢܘܢ; litteraliter: *ecce libri qui desiderasti eos*; item ܛܘܒܝܗ ܠܡܪܝܡ ܕܟܠܗܘܢ ܠܫܢܐ ܡܫܒܚܝܢ ܠܗ (*beata est Maria quam omnes linguæ celebrant*); propter hoc præpositio quæ apud Latinos pronomini relativo copulatur, apud Syros conjungitur pronomini ejus personali quod illud sequitur, ex gr.: ܡܢܘ ܗܢܐ ܕܡܡܠܠܬ ܥܡܗ (*quis est iste cum quo loqueris?*), ܐܬܗܦܟܘ ܒܬܐ ܕܢܦܩܢ ܡܢܗܘܢ (*dirutæ sunt domus ex quibus exirimus*), ܗܢܘ ܗܘ ܕܟܬܒ ܥܠܘܗܝ ܡܘܫܐ (*hic est de quo scripsit Moyses*).

514 — Animadvertendum est apud Syros particulam ܕ quæ est pronomen relativum necessario exprimendam esse cum quovis adjectivo completivo per gdhamam contracto, sive substantivum cui adjectivum refertur sit determinatum, sive sit indeterminatum. Exempla substantivi indeterminati cui adjungitur adjectivum cum pronomine relativo ܕ: ܐܝܟ ܒܝܫܬܐ ܕܢܣܝܟܐ (*tamquam malum conflatum ex metallo*); ܙܒܢܬ ܬܪܬܝܢ ܝܘܢܐ ܕܫܦܝܪܢ (*emi duas columbas speciosas*).

Non præfigitur tamen pronomen relativum adjectivo non contracto, v. g. ܩܪܝ ܠܗܘ ܓܒܪܐ ܡܝܩܪܐ (*advoca illum virum venerandum*). At si interponatur vox ܐܝܬ cum suffixis, tunc pronomen relativum necessario præfigendum est huic voci ܐܝܬ, unde dicitur, v. gr. ܓܒܪܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܡܝܩܪܐ (*vir qui est honoratus*), (n. 481 et 493).

515 – Ante pronomen relativum ܕ quando tenet locum substantivi, i. e. quando nullo nomini connectitur, præmittendum est aliquod nomen cui pronomen relativum referatur; si igitur nullum hujusmodi nomen extat, et pronomen relativum referatur ad personam vel rem determinatam, tunc ei præmittendum est unum ex pronominibus demonstrativis remotis, scilicet: ܗܘ, ܗܝ, ܗܢܘܢ, ܗܢܝܢ, v. gr. ܗܢܘܢ ܕܐܫܬܕܪܘ ܡܢ ܦܪܝܫܐ ܗܘܘ (*illi qui missi sunt, ex Pharisæis erant*); ܗܢܘ ܗܘ ܕܐܡܪܬ ܕܒܬܪܝ ܐܬܐ (*hic est ille quem dixi venturum post me fore*): vel ei præmittitur pronomen ܡܢ (*qui*) v. gr. ܡܢ ܕܫܕܪܢܝ ܗܘ ܐܡܪ ܠܝ (*qui misit me, ipse dixit mihi*). Sin autem relativum ܕ referatur ad nomen indeterminatum tunc ei præmittitur unum ex sequentibus pronominibus interrogativis, ܐܝܢܐ, ܐܝܢܘ, ܐܝܠܝܢ (n. 248), v. gr. ܐܝܢܐ ܕܪܓܐ ܡܠܟܘܬܐ ܕܫܡܝܐ ܒܚܘܒܐ ܕܟܝܐ ܢܫܦܪ ܠܐܠܗܐ (*qui cupit regnum cœlorum placeat Deo charitate pura*); ܐܢ ܡܚܒܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܐܝܠܝܢ ܕܡܚܒܝܢ ܠܟܘܢ ܐܝܢܐ ܐܓܪܐ ܐܝܬ ܠܟܘܢ (*si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*).

Frequentissime tamen pronomina demonstrativa promiscue pro interrogativis et vice versa usurpantur, v. gr. ܡܢ ܕܪܚܡ ܠܝ ܦܘܩܕܢܝ ܢܛܪ (*qui diligit me, mandata mea servet*).

516 — Nihilominus relativum ܕ quod tenet vicem substantivi, adhibetur aliquando solum absque ullo præmisso, v. gr. ܛܘܒܝܗܘܢ ܠܕܝܬܒܝܢ ܒܒܝܬܟ (*beati qui habitant in domo tua*); ܘܝ ܠܗ ܠܡܫܩܝܐ ܠܚܒܪܗ (*væ ei qui præbet potum socio suo*).

517 — Aliquando, præsertim in scriptis versis ex lingua Græca, præfiguntur relativo præpositiones quæ juxta ea quæ diximus (n. 513) præfigendæ sunt pronomini personali quod sequi debet relativum et ad illud referri, idque imitatione ejusdem linguæ Græcæ, v. gr. ܩܕܝܫ ܠܗܘ ܕܡܫܒܚܝܢ ܡܠܐܟܐ (*sanctus is quem laudant angeli*).

Idem habet locum cum relativo adverbiali loci, v. gr. ܐܗܦܘܟ ܠܒܝܬܝ ܡܢ ܐܝܟܐ ܕܢܦܩܬ (*revertar in domum meam, unde exivi*); ܐܫܪܐ ܠܥܢܝ̈ܕܝܢ ܒܐܘܢܐ ܕܢܝܚܐ ܡܢ ܐܝܟܐ ܕܥܪܩܘ ܟܐ̈ܒܐ (*habitare fac defunctos nostros in mansionibus quietis, unde aufugerunt dolores*). Regulariter dicendum esset in his exemplis ܐܝܟܐ ܕܡܢܗ ܢܦܩܬ, et ܐܝܟܐ ܕܡܢܗܘܢ ܥܪܩܘ.



ARTICULUS IV

DE PRONOMINE DEMONSTRATIVO.

518 – Pronomen demonstrativum licet indiscriminatim præponere vel postponere nomini demonstrato, v. gr. ܗܢܐ ܟܬܒܐ vel ܟܬܒܐ ܗܢܐ (*hic liber*), ܗܝ ܛܠܝܬܐ vel ܛܠܝܬܐ ܗܝ (*illa puella*), ܡܫܡܥܘ ܡ̈ܠܐ ܗܠܝܢ vel ܡܫܡܥܘ ܗܠܝܢ ܡ̈ܠܐ (*audiri hæc verba*).

519 – Ad demonstrandum aliquid ideale adhibetur plerumque pronomen demonstrativum proximum fœminini generis, v. gr. ܬܒ ܗܪܟܐ. ܗܕܐ ܓܝܪ ܝܬܝܪܐ ܗܝ ܠܟ (*sede hic, hoc enim melius est tibi*), ܥܒܕ ܗܕܐ ܘܚܝܐ (*fac hoc et vives*). Quando occurrunt duo demonstranda, adhibetur pro primo pronomen demonstrativum remotum, et pro altero demonstrativum proximum, ex. gr. ܡܫܝܚܐ ܡܝܩܪ ܠܢܒܝܐ ܘܠܫܠܝܚܐ. ܠܗܢܘܢ ܡܢ ܕܥܠܘܗܝ ܐܬܢܒܝܘ. ܠܗܠܝܢ ܕܝܢ ܕܥܠܘܗܝ ܐܟܪܙܘܗܝ (*Christus honorat prophetas et apostolos, illos quidem quia de ipso prophetarunt, hos autem quia eum prædicarunt*). Sæpius demonstrativum proximum pro utroque usurpatur nomine, ܡܫܡܬܐ ܥܕܬܐ ܠܗܪܛܝܩܐ ܘܠܡܨܛܠܝܢܐ. ܠܗܠܝܢ ܡܢ ܡܛܠ ܐܝܩܪܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܠܗܠܝܢ ܕܝܢ ܡܛܠ ܢܛܘܪܘܬܐ ܕܚܘܒܐ (*excommunicat Ecclesia et hæreticos et schismaticos, illos quidem propter honorem fidei, hos autem ad conservandam charitatem*).

519 [II] — Usurpatur pronomen remotum pro nomine antea memorato ut non repetatur, ex. gr. ܐܝܬܐ ܟܬܒܝ ܘܗܘ ܕܝܘܣܦ (*affer librum meum et librum Josephi*), ܓܢܒܘ ܓܢ̈ܒܐ ܡܐܢ̈ܝܢ ܘܕܝܠܗܘܢ ܕܫܒܒ̈ܝܢ (*furati sunt latrones res nostras et vicinorum*). Quod si secundum nomen regit genitivum sufficit particula ܕܝܠ et demonstrativum pronomen supprimitur, ex. gr. ܢܣܒܬ ܣܦܣܪܐ ܕܝܘܣܦ ܘܕܝܠܝ (*cepi gladium Josephi et meum*). Dicitur etiam ܕܝܠܝ ܘܗܘ, sicut etiam ܘܕܝܘܣܦ pro ܘܗܘ ܕܝܘܣܦ.



ARTICULUS V

DE CETERIS PRONOMINIBUS

519 [III] — ܚ̈ܕܕܐ Est pro ܚܕ ܚܕ, significat autem *invicem* seu communicationem actionis; commune est masculinis et femininis nominibus. Agens debet esse nomen plurale, patiensque nomen ܚ̈ܕܕܐ cum lamad[h] aut alia præpositione juxta casus; ex. gr. ܡܫܝ̈ܚܝܐ ܡܚܒܝܢ ܠܚ̈ܕܕܐ (*Christiani se invicem amant*), ܓܢ̈ܒܐ ܥܪܩܘ ܡܢ ܚ̈ܕܕܐ (*lartrones ab invicem fugerunt*), ܠܐ ܬܐܟܠܘܢ ܩܪ̈ܨܝܟܘܢ ܠܚ̈ܕܕܐ (*ne accusetis vos invicem*), ܡܪܝܡ ܘܫܘܫܢ ܦܓܥ ܠܚ̈ܕܕܐ (*Maria et Susanna sibi invicem occurrerunt*),

ܨܰܥܰܪ̈ܝ ܢܶܫ̈ܶܐ ܠܓܰܒ̈ܪܶܐ ܕܚܕ̈ܳܕܶܐ (*mulieres contumelia affecerunt suos invicem viros*).

ܚܰܕ ... ܚܰܕ Hæc vox repetita: 1° - Eundem sensum habet ac ܚܕ̈ܳܕܶܐ, ita tamen ut una pars gerat agentis officium, altera patientis, et ab invicem separentur particula patientis vel alio. Ex. ܢܶܫܰܐܶܠ ܫܠܳܡܳܐ ܚܰܕ ܠܚܰܕ (*salutemus nos invicem*), ܐܶܡܰܪ ܚܰܕ ܠܚܰܕ (*unus alteri dixit*), ܦܰܪܶܫܘ ܚܰܕ ܡܶܢ ܚܰܕ (*separate unum de altero*), ܛܥܘܢܘ ܡܰܘܒ̈ܠܶܐ ܚܰܕ ܕܚܰܕ (*portate onera unus alterius*). 2° - Significat etiam *unusquisque, quisque, singuli*, etc. Et tunc non separantur duæ voces ab invicem, de feminino autem dicitur ܚܕܳܐ ܚܕܳܐ; ex. gr. ܚܰܕ ܚܰܕ ܡܶܢ ܛܠܳܝ̈ܶܐ ܠܚܰܕ ܚܰܕ ܡܰܠܦܳܢܳܐ ܐܶܫܬܰܠܰܡ (*unusquisque puerorum unicuique magistro traditus est* seu *singuli pueri singulis magistris traditi sunt*), ܗܰܒ ܫܠܺܝܚܳܐ ܗܳܢܳܐ ܠܚܕܳܐ ܚܕܳܐ ܡܶܢ ܐܚܘ̈ܳܬܳܟ (*da nuncium hoc singulis tuis sororibus*), ܠܳܐ ܡܶܫܟܰܚ ܐ̱ܢܳܐ ܠܨܶܒܝܳܢܳܐ ܕܚܰܕ ܚܰܕ ܡܶܢܟܼܘܢ ܠܡܶܥܒܰܕ (*non possum voluntatem uniuscujusque vestrum facere*). Dicitur etiam, sed minus frequenter, ܟܽܠ ܚܰܕ pro ܚܰܕ ܚܰܕ. Ex. ܟܽܠ ܚܰܕ ܡܶܢ ܗܳܠܶܝܢ ܐܰܟܣܢܳܝ̈ܶܐ ܐܺܝܬ ܠܶܗ ܥܶܣܪܺܝܢ ܥܰܒ̈ܕܺܝܢ (*unusquisque horum peregrinorum viginti habet servos*). Etiam nomen appellativum hac ratione repetitur ad significandam participationem singulorum, exemp. grat. ܗܰܒ ܠܟܽܠܢܳܫ ܕܺܝܢܳܪ ܕܺܝܢܳܪ (*da singulis denarium*), ܐܶܬܟܪܶܟ ܡܕܺܝܢ̈ܳܬܳܐ ܡܕܺܝܢ̈ܳܬܳܐ (*circumivit per singulas urbes*).

ܚܰܕܚܕܳܢܳܐ. Nomen hoc ex ܚܰܕ ܚܰܕ derivatum est:

semper in plurali adhibetur, significatque *aliqui, aliquot, nonnulli*, etc. Fœmininum est ܚܕܚܕܢܝܬܐ. Ex. ܢܦܩܘ ܚܕܚܕܢܐ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ (*aliquot exierunt e civitate*), ܫܚܠܦ ܚܕܚܕܢܝܬܐ ܡܢ ܡܠܐ (*nonnulla verba mutavit*).

ܐܝܬ ... ܐܝܬ. Hoc verbum quod significat *est*, repetitum et aliquando solum significat partitionem inter duas aut plures res. Ejus usum ex exemplis disces: ܐܝܬ ܕܐܡܪܝܢ ܕܐܦ ܒܡܣܟܢܘܬܐ ܚܝܘ (*sunt qui dicerunt et in paupertate vixerunt*), ܢܣܒܘ ܐܓܝܪ̈ܐ ܐܝܬ ܕܬܪ̈ܝܢ ܟܟܪ̈ܝܢ ܘܐܝܬ ܕܚܡܫܐ (*mercenarii acceperunt alii duo talenta, alii quinque*), ܐܝܬ ܕܡܗܝܡܢܝܢ ܒܡܠܬܟ ܐܝܬ ܕܝܢ ܕܠܐ ܡܗܝܡܢܝܢ (*sunt qui verbo tuo credunt, sunt autem qui non credunt*).

ܡܢ. Hæc præpositio quæ significat *ex*, adhibetur pro ܐܝܬ partitivo de quo mox, regens nomen vel pronomen plurale. Ex. ܡܢܗܘܢ ܦܫܘ ܘܡܢܗܘܢ ܐܙܠܘ (*alii manserunt, alii profecti sunt*).

ܦܠܢ · ܦܠܢܝܬ · ܦܠܢ. (1) Significat ܦܠܢ personam quam quis nominare non vult, ejusque fœmininum est ܦܠܢܝܬ. Nota hæc duo nomina g.dhamata esse, alterum quidem ex ܦܠܢܐ, alterum ex ܦܠܢܝܬܐ quæ ambo inusitata sunt; nota quoque ܦܠܢܝܬ habere taw quamquam non regat

(1) Hoc nomen Semiticum in linguam Hispanicam per Arabes qui diu peninsulam illam dominati sunt introductum est. Hispani enim dicunt *fulano*, cum hujusmodi notio desit in lingua Latina linguisque quæ ex illa derivatæ sunt

genitivum, seu non sit in statu constructo cum dici deberet ܦܠܳܢܺܝܬ, vel potius ܦܠܳܢܺܝܐ, vel rectius ܦܠܳܢܐ, quia jodh non invenitur in masculino. Sed sic fert usus ut non dicatur nisi ܦܠܳܢ de masculino, et ܦܠܳܢܺܝܬ de fœminino. Ex. ܙܶܠ ܠܘܳܬ ܦܠܳܢ (*vade ad NN*). Adhibetur quoque de re. Ex. ܐܺܝܬܰܘܗܝ ܒܰܐܬܪܳܐ ܦܠܳܢ (*exstat in loco NN.*), ܐܰܚܘܢ ܐܶܬܳܐ ܡܶܢ ܡܕܺܝܢܬܳܐ ܦܠܳܢܺܝܬ (*frater noster venit ex oppido NN.*)

ܐܦܠܳܢ • Significat numerum quem quis non vult exprimere, item sermonem seu factum quod expedit tacere; plerumque repetitur per *waw* conjunctionem. Ex. ܐܶܡܪܶܬ ܠܶܗ ܐܦܠܳܢ ܘܐܦܠܳܢ (*dixi illi sic et sic*), ܐܦܠܳܢ ܫܢܺܝܢ ܚܝܳܐ ܦܶܛܪܳܘܣ (*vixit Petrus sic annos*), ܥܒܰܕܬ ܥܰܡܝ ܐܦܠܳܢ ܘܐܦܠܳܢ (*fecisti mecum sic et sic*), ܐܦܠܳܢ ܢܶܫܶܐ ܐܶܬܝ (*tot mulieres venerunt*).

ܟܡܳܐ • Indeclinabile est et tria significat: 1° - *Quantum* interrogativum. Ex. ܟܡܳܐ ܝܰܘܡܺܝܢ ܦܫܰܬ ܬܰܡܳܢ (*quot dies mansisti illic?*). 2° - *Quantum* admirativum. Ex. ܟܡܳܐ ܓܰܒܖ̈ܐ ܚܙܺܝܬ (*quot viros vidi!*); ܟܡܳܐ ܐܰܓܺܝܖ̈ܐ ܐܺܝܬ ܒܒܰܝܬ ܐܳܒܝ (*quot mercenarii sunt in domo patris mei!*); 3° - *Dum*, *tanto tempore quo*, sequitur semper particula ܕ. Ex. ܠܳܐ ܬܡܰܠܶܠ ܥܰܡ ܗܰܘ ܕܰܓܳܠܳܐ ܟܡܳܐ ܕܚܰܝ ܐܢ̱ܬ (*ne loquaris cum illo mendace dum vivis* seu *toto tempore quo vivis*). Si præcedit ܟܠ, tunc significat *quamtumque*, etc.

ܐܪܘܡܡܟ ܡܪܝܐ ܟܠ ܟܡܐ ܕܡܨܐ ܐܢܐ (*exaltabo te, Domine quamtum possam*).

ܐܢܫ — (*Aliquis, quidam*); pl. ܐܢܫܝܢ; negat. ܠܐ ܐܢܫ (*nemo*).

ܡܕܡ — ܟܠ De primo vide (n. 512), de altero vide (n. 487, 2).



ARTICULUS VI

DE NUMERALIBUS.

519 — IV Nomen numeratum quamquam Arabice et Hebraice sit modo singulare modo plurale, Syriace est semper plurale. Cum autem numerum sequitur, plerumque est in statu gdʰamæ cum nun, raro in statu emphatico. Ex. ܚܡܫܐ ܝܘܡܝܢ (*quinque dies*), ܬܫܥ ܫܥܝܢ (*novem horæ*), ܚܕܥܣܪܐ ܐܡܗܢ (*undecim ancillæ*), ܫܬܡܐܐ ܪܥܘܢ (*sexcenti pastores*) (1). Potest nomen numeratum ante numerum venire, et tunc est in statu emphatico. Ex. ܝܘܡܐ ܬܠܬܐ (*tres dies*), ܫܢܝܐ ܐܪܒܥܝܢ (*quadraginta anni*). Unde vides numeralia nomina nunquam esse in statu constructo, exceptis numeris unitatis

(1) Notatu dignum est usum adhibendi nomen rei numeratæ in plurali cum nun in nulla dialectorum Syriacarum vulgarium hodie vigentium exstare ac cognosci nisi in dialecto Maclulæ; illic enim dicitur, ex. gr. ܚܡܫܐ ܝܘܡܝܢ (*quinque dies*), ܬܠܬ ܟܠܢ (*tres sponsæ*): male tamen pronunciant vocalem quæ præcedit nun sine productione.

quæ cum gdʰama et taw tunc proferuntur. Ex. ܡܢ ܐܪܒܥܬ ܪܘܚܐ *(ex quatuor ventis)*, ܥܣܪܐ ܡܕܝܢܬܐ *(Decapolis)*.

591 V — Ad epocham notandam, adhibetur particula ܒ conjuncta tum cum numero dierum tum cum nomine mensis vel cum voce ܒܝܪܚ *mensis* ante nomen mensis ; dein nomen ܒܫܢܬ *anno* constructum cum numero annorum in fœminino ; ex. gr. ܐܬܟܬܒ ܒܥܣܪܐ ܒܬܡܘܙ ܒܫܢܬ ܐܠܦ ܘܫܒܥܡܐܐ ܘܚܡܫܝܢ ܘܬܠܬ *(scriptum die 10 Julii anno 1753)*; frequentius ܒܝܪܚ ܬܡܘܙ .

CAPUT III

DE VERBO

ARTICULUS I

DE TRANSITIVO ET INTRANSITIVO ET DE CONVERSIONE INTRANSITIVI IN TRANSITIVUM ET VICEVERSA, NECNON DE SIGNIFICATIONE FORMARUM VERBI.

520 I — Verba apud Syros vel sunt origine activa seu transitiva (ܡܥܒܪܢܐ) ut ܩܛܠ *(occidit)*, ܥܒܕ *(fecit)*, vel sunt neutra seu intransitiva, (ܠܐ ܡܥܒܪܢܐ) v. gr. ܐܙܠ *(ivit)*, ܝܬܒ *(sedit)*, vel denique sunt simul activa et

neutra, v. gr. ܗܦܟ (*reversus est* et *convertit*), ܫܪܐ (*descendit* et *dissolvit*), ܐܪܚܩ (*elongavit* et *procul fuit* seu *recessit*).

520 II – Aliquando in verbis quæ habent sensum transitivum simul et intransitivum distinguitur sensus alter ab altero per diversitatem formæ quam assumit verbum in aoristo sic ܓܡܪ in sensu transitivo fit in aoristo ܢܓܡܘܪ (*perfecit*, *absolvit*) et in sensu intransitivo fit in aoristo ܢܓܡܪ (*consumptus est*). Animadverte porro verbum intransitivum habere hoc sibi proprium quod liceat ei adjicere pronomen ejus agentis suffixum particulæ ܠ, ut vidimus, v. gr. ܩܘܡܘ ܠܟܘܢ (*manete*), ܐܙܠܝ ܠܟܝ (*vade f.*).

521 – Conversio verbi intransitivi in transitivum, vel verbi transitivi habentis unum accusativum in verbum transitivum habens duos accusativos fit per reductionem verbi vel ad formam ܐܦܥܠ, v. gr. ܐܪܓܙ (*irritavit*) ab intransitivo ܪܓܙ (*indignatus est*), ܐܘܟܠ (*cibavit*) a nudo ܐܟܠ (*comedit*), ܐܩܝܡ (*erexit*) a ܩܡ (*surrexit*); vel ad formam ܦܥܠ v. gr. ܡܟܟ (*humiliavit*) a ܡܟܟ (*humilis fuit*), ܣܪܩ (*evacuavit*) a ܣܪܩ (*vacuus fuit*), ܝܩܪ (*honoravit*) a ܝܩܪ (*honorabilis fuit*); vel ad formam ܫܦܥܠ, v. gr. ܫܥܒܕ (*subdidit*) a ܥܒܕܐ (*servus*), ܫܘܕܥ (*significavit*, *certiorem fecit*) a ܝܕܥ (*novit*).

522 — Conversio autem verbi transitivi in intransitivum fit per adjectionem syllabæ ܐܬ initio verbi, ex. gr. ܐܬܬܒܪ (*fractus est*) a ܬܒܪ (*fregit*), ܐܬܩܪܒ (*oblatus est*) a ܩܪܒ (*obtulit*), ܐܬܬܘܣܦ (*additus est*) ab ܐܘܣܦ (*auxit, addidit*), ܐܫܬܘܕܥ (*certior factus est*) a ܫܘܕܥ (*certiorem reddidit*).

Porro plurima verba efformantur a nominibus quæ a nullo verbo derivantur, quod quidem apud Syros frequentius occurrit quam apud Arabes : Videlicet ex nominibus radice trilitteris formatur verbum intransitivum trilitterum auctum ad formam ܦܥܠ ; ex nominibus radice quadrilitteris formatur verbum quadrilitterum, ex. gr. ܦܓܡ (*frænavit*) a ܦܓܘܡܐ (*frænum*); ܫܡܫ (*coluit*, et origine *coluit solem*, uti solebant prisci Aramæi ethnici) a ܫܡܫܐ (*sol*), ܩܣܡܣ (*ornavit*) a nomine Græco ܩܘܣܡܘܣ (*cosmos*), ܩܛܓܪ (*accusavit*) a nomine Græco ܩܛܓܪܝܐ (*categoria*). Aliquoties verbum derivatum habet formam ܐܦܥܠ, ut ܐܦܬܪ (*convivium fecit*) a ܦܬܘܪܐ (*mensa*).

523 — Hæc omnia autem de conversione transitivi verbi in intransitivum et viceversa ex usu discuntur ; formæ enim verborum habent plurimos sensus qui lege fixa determinari nequeunt, quemadmodum res se habet in lingua Arabica. Sic v. gr. forma ܦܥܠ aliquando eundem sensum habet ac forma nuda, addita tantum quadam

intensitate, v. gr. ܩܰܛܶܠ (*occidit multos*) a ܩܛܰܠ (*occidit*), ܬܰܒܰܪ (*contrivit*) a ܬܒܰܪ (*fregit*), ܗܰܦܶܟ (*evertit susque deque*) a ܗܦܰܟ (*evertit*). Item forma ܐܰܦܥܶܠ aliquando adhibetur ad indicandum simpliciter eventum cujusdam actionis vel operis vel rei, v. gr. ܐܰܚܢܶܦ (*apostata factus est*) a ܚܰܢܦܳܐ (*ethnicus*), ܐܰܫܚܶܡ (*æruginavit*) a ܫܘܚܡܬܳܐ (*ærugo*), ܐܰܦܪܺܝ (*fructificavit*) a ܦܺܐܪܳܐ (*fructus*) quod initio erat ܦܰܪܝܳܐ uti patet etiam ex Hebraico. Sunt nonnulla verba quæ nonnisi in forma nuda adhibentur, ut ܐܶܙܰܠ (*ivit*), ܚܙܳܐ (*vidit*); et e contra sunt alia verba quorum forma nuda inusitata est, ex. gr. ܐܰܘܕܺܝ (*confessus est*), ܐܰܪܚܶܩ (*secessit*), ܡܰܚܶܩ (*subsannavit*). Quædam verba assumunt in formis auctis sensum longe diversum a sensu formæ nudæ, v. gr. ܨܠܳܐ (*inclinatus est*), ܨܰܠܺܝ (*oravit*); ܫܠܶܡ (*absolutus est*) ܐܰܫܠܶܡ, (*tradidit*) ܫܰܠܶܡ (*implevit, salutavit, solvit*); ܫܪܳܐ (*solvit*), ܫܰܪܺܝ (*cœpit*).

524 – Animadverte tandem omnes verborum formas communes esse significationi transitivæ et intransitivæ, imo ipsa verba aucta quæ habent initio syllabam ܐܶܬ præformativam ad creandam notionem intransitivam, possunt interdum habere sensum transitivum, v. gr. ܐܶܬܕܟܰܪ (*recordatus est*), ܐܶܬܥܗܺܝ (*meminit*), ܐܶܫܬܘܕܰܥ (*recognovit*), ܐܶܬܥܛܶܦ (*induit*). Excipe solas formas

ܐܬܬܡܗܠ et ܐܬܡܗܡܗܠ quæ nunquam transitivæ esse possunt.



ARTICULUS II

DE VERBO PASSIVO.

525 – Syriaca lingua caret forma passiva modo quo eam habent Arabes ac Hebræi; cui quidem defectui supplent Syri per formas dictas reflexivas quæ nempe a verbis activis formantur addita initio syllaba præformativa ܐܬ. Videlicet vox passiva formæ nudæ fit ad normam ܐܬܦܥܠ v. gr. ex ܒܙ fit ܐܬܒܙܙ (direptus fuit), ex ܫܒܩ fit ܐܫܬܒܩ (relictus est), ex ܡܚܐ fit ܐܬܡܚܝ (verberatus est), ex ܨܪ fit ܐܨܛܝܪ (formatus seu pictus est); forma ܐܦܥܠ habet passivam vocem ad normam ܐܬܬܦܥܠ; et forma ܦܥܠ ad normam ܐܬܦܥܠ; tandem forma quadrilittera ad normam ܐܬܦܥܠܠ uti explicavimus plenius ubi egimus de formis reflexivis. Reperiuntur quædam passivæ formæ quæ non respondent suis formis activis modo exposito sic, v. gr. ܐܬܪܚܩ (elongatus fuit) adhibetur uti passivum verbi ܐܪܚܩ cum tamen ܪܚܩ inusitatum sit; item ܐܫܬܠܡ (traditus est) ut passivum formæ ܐܫܠܡ; ܐܬܬܚܕ (comprehensus est) uti passivum

ܐܘܙܗܪ ; ܐܬܙܗܪ (*præmonitus est*) ut passivum ܐܙܗܪ (*præmonuit*) ; item ܐܣܬܲܟܲܠ (*intellectus fuit*) ut passivum ܐܣܬܲܟܲܠ (*intellexit*). Pleraque verba formæ ܐܦܥܠ habent in voce passiva formam illam quæ respondet formæ nudæ.

526 – Quidam grammatici tradunt verbum activum habens initio syllabam præformativam ܐܫ fieri passivum per additionem ܬ post ܐܫ dummodo ejus litteræ sint plus quam quinque, v. gr. ex ܐܫܬܘܕܥ (*recognovit*) formatur passivum ܐܫܬܬܘܕܥ (*recognitus fuit*), ex ܐܣܬܪܗܒ (*acceleravit, festinavit*) fit passivum ܐܣܬܬܪܗܒ (*acceleratus fuit*), ex ܐܫܬܘܕܝ (*promisit*) fit ܐܫܬܬܘܕܝ (*promissus fuit*). Attamen praxis non videtur confirmare istam regulam.

527 – Porro voces passivæ non formantur nisi ex verbis vere activis quæ nempe non indigent particula seu præpositione præfigenda nomini in quod actio verbi transit : proindeque verba quæ actionem in nomen mediante præpositione habent non fiunt passiva, uti sunt sequentia exempla: ܓܚܟ ܒܗ (*derisit eum*), ܪܦܣ ܠܠܘܬܗ (*subito supervenit illi*), ܐܬܐ ܠܘܬܗ (*venit ad eum*), ܚܦܛ ܕܝܠܗ (*curam egit illius*). Nihilominus auctores Syri aliquando liberius in hujusmodi verbis procedunt, solent enim ex eis passivam vocem formare dempta illa præpositione , sic ex ܒܙܚ ܒܗ (*irrisit eum*) formant

ܐܬܒܙܚ (*irrisus fuit*), ex ܗܝܡܢ ܒܗ (*credidit in eum*) dicunt ܐܬܗܝܡܢ (*creditus est*), ex ܣܓܕ ܠܗ (*adoravit eum*) dicunt ܐܣܬܓܕ (*adoratus fuit*), ex ܓܕܦ ܒܠܗܘܢ (*blasphemavit eum*) dicunt ܐܬܓܕܦ (*blasphematus est*).

528 – Verba quæ habent duo accusativa quando fiunt passiva concordantur cum secundo accusativo rei, non vero cum accusativo personæ ; sic v. gr. si converti velis sequens exemplum ܚܘܝܬܟ ܐܘܪܚܬܐ (*demonstravi tibi vias*) in passivam formam, minime dices ad instar Arabum ܐܢܬ ܡܚܘܝܬ ܐܘܪܚܬܐ (*tu demonstratus es vias*), sed dices ܐܬܚܘܝ ܠܟ ܐܘܪܚܬܐ (*viæ demonstratæ sunt tibi*).

529 – Solent Syri plerumque cum verbo passivo agens exprimere mediante præpositione ܠ v. gr. ܢܫܬܟܚ ܠܟ (*possibile erit tibi*), ܗܘ ܢܫܬܟܚ ܠܟܘܢ (*id fit a vobis*), ܩܪܝܬ ܟܬܒܐ ܕܡܬܥܒܕ ܠܦܝܠܣܘܦܐ (*legi librum elaboratum a philosopho*), ܓܒܪܐ ܕܝܘܢܐ ܫܒܝܐ ܗܘܐ ܠܣܛܢܐ (*vir dæmoniacus captivatus erat a satana*).

Interdum agens exprimitur mediante præpositione ܡܢ (*ex*), v. gr. ܐܬܪܕܝܢ ܡܢ ܐܠܗܐ (*castigati sumus a Deo*), ܐܬܓܢܒܬ ܣܘܣܝܬܢ ܡܢ ܡܣܟܢܐ (*equa nostra furto subducta fuit a mendicis*); vel exprimitur agens mediante præpositione ܒ v. gr. ܒܟ ܡܪܝ ܟܠܢ ܢܬܒܪܟ (*a te, Domine, omnes nos benedicamur*).

ARTICULUS III

DE VERBI MODO INDICATIVO.

530 - Modi verbales in lingua Syriaca et ceteris Semiticis non habent proprias flexiones, sed exprimuntur modo per hanc, modo per illam ex flexionibus communibus verbi, cum vel sine alius vocis auxilio.

531 — Ut ab indicativo incipiamus, tempus præteritum exprimitur semper et ordinarie per flexionem præteriti, v. gr. ܡܝܬ ܡܘܫܐ (*mortuus est Moyses*).

Habent tamen Syri et alium modum quo exprimunt tempus præteritum, nimirum assumendo participium passivum verbi et addendo post illud nomen agens habens præfixam præpositionem ܠ (1), v. gr. ܫܡܝܥ ܠܝ ܕܡܬܪܚܡܢ ܠܟܝ ܕܡܥܐ ܕܥܝܢܐ pro ܫܡܥܬ (*auditum fuit mihi* i. e. *audivi dilectas esse tibi lacrymas oculorum*), ܠܐ ܚܙܐ ܠܝ ܓܒܪܐ ܗܢܐ pro ܠܐ ܚܙܝܬ (*non vidi hunc virum*). Istud porro participium vel flectitur i. e. concordatur in genere et numero cum nomine quod erat patiens verbi præteriti, v. gr. ܠܐ ܚܙܝܐ ܠܝ ܫܘܬܦܘܬܐ (*non vidi commercium*), ܡܢ ܕܠܐ ܫܩܝܠܐ ܠܗ ܡܥܡܘܕܝܬܐ ܢܐܙܠ (*qui non accepit baptismum abeat*); vel adhibetur indeclinabile, v. gr. ܐܝܟ ܠܐ ܚܙܐ ܠܟܘܢ ܟܠܬܝ (*nonne vidistis mei fratres sponsam?*). Qui modus exprimendi

(1) In dialectis vulgaribus hodiernis Assyriæ et Turabdin nonnisi hæc forma cognoscitur ad præteritum exprimendum.

temporis præteriti per participium hac circumlocutione adhibetur etiam cum verbis quæ non sunt trilittera nuda, v. gr. ܡܢ ܕܠܐ ܡܩܒܠ ܠܗ ܪܘܫܡܐ ܢܐܙܠ (*qui non accepit signaculum abeat*). Quod rarum est.

Præteritum verbi substantivi *esse* exprimitur per ܗܘܐ, in quo tamen littera ܗ otiatur quoties præcedit prædicatum, dummodo prædicatum sit adjectivum (494) v. gr. ܫܦܝܪ ܗܘܐ ܠܟ (*bonum fuit tibi*), ܪܚܡܐ ܗܘܐ ܠܝ (*cupido fuit mihi*), ܪܚܝܩܐ ܗܘܝܬ (*longinquus fui*).

Nonnunquam præteritum historicum exprimitur per præsens, i. e. per participium activum, per imitationem linguæ Græcæ et in versione librorum Græcorum; id tamen rarum est. At hic modus exprimendi tempus præteritum per præsens regularis est et frequentissimus quoad verbum ܐܡܪ (*dixit*), cujus participium adhibetur sensu præteriti, ex. gr. ܐܡܪ ܡܠܐܟܐ ܠܡܪܝܡ ܫܠܡ ܠܟܝ (*dicit angelus Mariæ ave*), ܐܡܪܝܢ ܫܠܝܚܐ ܠܡܫܝܚܐ ܐܘܣܦ ܠܢ ܗܝܡܢܘܬܐ (*dicunt apostoli Christo auge nobis fidem*).

532 – Tempus imperfectum exprimitur in verbis activis per participium activum, in passivis per participium passivum, addito in utroque casu præterito ܗܘܐ (1) cum ܗ *otianti* constanter, de cujus temporis conjugatione jam egimus in capite de flectendo participio (n. 287).

(1) Rarissime vel nunquam invenitur ܗܘܐ ante participium in lingua litterali, sed id regulare est in dialecto hodierna Maclulæ, nec non in dialecto antiqua Chaldaica et apud Talmudistas, idque conforme est linguæ Arabicæ.

Accipe aliud exemplum ex verbo ܐܡܰܪ (*dixit*): ܐܳܡܰܪ ܗ݇ܘܳܐ (*dicebat*), ܐܳܡܪܺܝܢ ܗ݇ܘܰܘ (*dicebant*), ܐܳܡܪܳܐ ܗ݇ܘܳܬ݂ (*dicebat* f.), ܐܳܡܪ̈ܳܢ ܗ݇ܘܰܝ (*dicebant* f.), ܐܳܡܰܪ ܗ݇ܘܰܝܬ (*dicebas*), ܐܳܡܪܺܝܢ ܗ݇ܘܰܝܬܽܘܢ (*dicebatis*), ܐܳܡܪܳܐ ܗ݇ܘܰܝܬܝ (*dicebas* f.), ܐܳܡܪ̈ܳܢ ܗ݇ܘܰܝܬܶܝܢ (*dicebatis* f.), ܐܳܡܰܪ ܗ݇ܘܺܝܬ (*dicebam*), ܐܳܡܪܺܝܢ ܗ݇ܘܰܝܢ (*dicebamus*), ܐܳܡܪܳܐ ܗ݇ܘܺܝܬ (*dicebam* f.), ܐܳܡܪ̈ܳܢ ܗ݇ܘܰܝܢ (*dicebamus* f.).

Item imperfectum verbi passivi, v. gr. ܡܶܬ݂ܩܰܒܰܠ ܗ݇ܘܳܐ (*acceptabatur*), ܡܶܬ݂ܩܰܒܠܺܝܢ ܗ݇ܘܰܘ (*acceptabantur*), etc. Imperfectum verbi substantivi *esse* exprimitur per vocem ܐܺܝܬ habentem sibi suffixa pronomina personalia et addito deinde verbo ܗܘܳܐ cum ܗ otianti, v. gr.:

ܐܺܝܬܰܘܗ݈ܝ ܗ݇ܘܳܐ. (*erat*), ܐܺܝܬܰܝܗܽܘܢ ܗ݇ܘܰܘ (*erant*)
ܐܺܝܬܶܝܗ̇ ܗ݇ܘܳܬ݂ (*erat* f.), ܐܺܝܬܰܝܗܶܝܢ ܗ݇ܘܰܝ (*erant* f.)
ܐܺܝܬܰܝܟ ܗ݇ܘܰܝܬ (*eras*), ܐܺܝܬܰܝܟܽܘܢ ܗ݇ܘܰܝܬܽܘܢ (*eratis*)
ܐܺܝܬܰܝܟܝ ܗ݇ܘܰܝܬܝ (*eras* f.), ܐܺܝܬܰܝܟܶܝܢ ܗ݇ܘܰܝܬܶܝܢ (*eratis* f.)
ܐܺܝܬܰܝ ܗ݇ܘܺܝܬ (*eram*), ܐܺܝܬܰܝܢ ܗ݇ܘܰܝܢ (*eramus*).

Sic dices ܝܶܫܽܘܥ ܐܺܝܬܰܘܗ݈ܝ ܗ݇ܘܳܐ ܒܗܰܝܟܠܳܐ (*Jesus erat in templo*). Si autem hujus verbi substantivi subjectum sit indeterminatum, tunc exprimitur tempus imperfectum per vocem ܐܺܝܬ indeclinabilem cum addito verbo ܗܘܳܐ modo explicato, ex. gr. ܐܺܝܬ ܗ݇ܘܳܐ ܚܰܕ ܒܰܪܢܳܫܳܐ (*erat*

quidam ægrotus) , ܐܝܬ ܗܘܘ ܡܫܓܠܣ̈ܐ *(erant aliqui claudi).*

532 II — Sæpe tamen participium solum significat tempus imperfectum. Id habere locum potest : 1 - In propositione incidenti , ex. gr. ܡܝܬܬ ܛܠܝܬܐ ܟܕ ܩܪܐ ܬܪܢܓܠܐ *(mortua est puella cum cantabat gallus)*, ܚܙܝܬ ܓܒܪܐ ܕܛܥܝܢ ܐܡܪܐ *(vidi virum qui agnum portabat)* ; 2 - In propositione conjuncta per particulam ܘ, ex. gr. ܢܫ̈ܐ ܒܟܝܢ ܗܘܝ ܘܡܪܩܕܢ *(mulieres flebant et plangebant)*, ܛܠܝ̈ܐ ܚܕܝܢ ܗܘܘ ܘܡܫܒܚܝܢ *(pueri lætabantur et canebant).* Uno verbo quoties ex contextu intelligi potest de imperfecto tempore sermonem haberi , verbum auxiliare ܗܘܐ supprimere licet.

532 III — Plus quam perfectum exprimitur per præteritum verbi addito verbo ܗܘܐ cum ܗ otianti, v. gr. ܐܙܠ ܗܘܐ ܠܫܘܩܐ *(iverat ad forum).* Tamen præteritum ܗܘܐ sæpenumero , præsertim in poesi , redundat post præteritum simplex , v. gr. ܩܡ ܗܘܐ ܡܪܢ ܡܢ ܩܒܪܐ *(surrexit Dominus a sepulcro).*

533 — Præsens exprimitur per participium activum flectendum modo explicato (n. 288) , v. gr. ܐܙܠܝܢ ܕܪ̈ܐ ܘܐܬܝܢ ܕܪ̈ܐ *(prætereunt sæcula et veniunt sæcula).* Interdum pro participio activo adhibetur participium passivum uti diximus supra (n. 298) , v. gr. ܛܥܝܢ ܐܢܐ ܡܘܒܠܐ ܝܩܝܪܬܐ *(fero onus grave).* Adhibetur etiam

aoristus etsi raro pro præsente, v. gr. ܐܒܪܟ ܠܡܪܝܐ (*Benedico Domino*).

534 — Tempus futurum proprie exprimendum est per aoristum, v. gr. ܘܝ ܠܝ ܒܗܘ ܝܘܡܐ ܕܒܗ ܢܕܘܢܢܝ ܐܠܗܐ (*væ mihi illa die qua me judicabit Deus*). Frequenter tamen adhibetur pro futuro participium activum, v. gr. ܠܡܚܪ ܐܬܐ ܐܢܐ ܠܘܬܟ (*cras veniam ad te*).

535 — Aliquando futurum exprimitur per præteritum, nempe post ܡܐ (*si et quando*), v. gr. ܡܐ ܕܐܫܬܠܡܬ ܨܠܘܬܐ ܩܘܡ ܙܠ (*quando absolvetur oratio, surge et abi*), et post particulas conditionales, uti videbis. Licet etiam participium et aoristus post ܡܐ, sed id rarum est.

536 — Verbum *habere* exprimitur a Syris per vocem ܐܝܬ indeclinabilem et per præpositionem ܠ præfigendam, seu notam dativi, agenti possidenti seu habenti, v. gr. ܐܝܬ ܠܟ ܣܓܝܐܢ ܣܡܡܢܐ (*habes multa pharmaca*). Imperfectum verbi *habere* exprimitur per ܐܝܬ modo nunc indicato, addito præterito ܗܘܐ cum ܗ otianti, v. gr. ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܬܪܝܢ ܒܢܝܐ (*habebat duos filios*). Futurum verbi *habere* exprimitur per aoristum verbi ܗܘܐ ex. gr. ܢܗܘܐ ܠܟ ܩܢܝܢܐ ܣܓܝܐܐ (*habebis multas opes*).

ARTICULUS IV

DE SUBJUNCTIVO ET CAUSATIVO.

537 – Subjunctivus modus qui respondet Latinorum subjunctivo vel infinitivo, quando verbum præcedens est unum ex verbis exprimentibus actum voluntatis, exprimitur in Syriaco idiomate per aoristum, cui præfigitur particula ܕ, sive agatur de tempore præsenti, sive de præterito, v. gr. : ܪܳܓܶܒ ܐ̱ܢܳܐ ܕܶܐܚܙܶܐ ܠܡܰܠܟܳܐ (*volo videre regem*) ; ܦܰܩܕܶܗ ܕܢܶܛܰܪ ܠܓܰܢܬܳܐ (*præcepit ei ut custodiret hortum*). Nonnunquam exprimitur simpliciter per aoristum absque ܕ præfixa, si tamen verbi præcedentis et verbi subjunctivi agens sit una eademque persona, et insuper si verbum præcedens sit unum ex sequentibus vel similibus, nempe ܡܨܳܐ (*valuit*), ܐܶܫܟܰܚ (*potuit*), ܝܺܕܰܥ (*cognovit*) in sensu *valuit*, etc. v. gr. : ܠܳܐ ܡܳܨܶܐ ܐ̱ܢܳܐ ܐܶܬܟܰܬܶܫ ܥܰܡ ܣܳܗ̈ܕܶܐ (*non valeo pugnare cum martyribus*); ܐܶܡܰܠܠܳܟ ܡܳܪܝ ܐܰܝܟ ܕܐܺܝܬܰܝܟ ܠܳܐ ܝܳܕܰܥ ܐ̱ܢܳܐ (*nescio Domine te prædicare uti es*). Nonnunquam, præsertim in poesi, aoristus verbo ܗ̱ܘܳܐ copulatur ad significandum præteritum imperfectum subjunctivi, ut : ܐܶܙܰܠܬ ܡܰܪܝܰܡ ܕܬܶܣܥܘܿܪ ܗ̱ܘܳܬ ܠܶܐܠܺܝܫܰܒܰܥ (*ivit Maria ut Elisabetham visitaret*), ܠܳܐ ܡܨܳܐ ܗ̱ܘܳܐ ܕܢܶܛܥܶܐ ܗ̱ܘܳܐ ܠܝ (*non poterat me decipere*). Plerumque subjunctivus exprimitur per aoristum sine ܕ quando verbum præcedens est in imperativo, v. gr. : ܦܰܩܶܕ ܠܝ ܐܺܬܶܐ ܠܘܳܬܳܟ (*præcipe mihi ut veniam ad te*),

ܫܒܘܩ ܕܢܣܒܥܘܢ ܩܕܡܝܬ ܒܢ̈ܝܐ *(sine ut saturentur filii)*. Adhibetur etiam ܕܠܐ ut particula conjunctiva post verbum ܨܒܐ *(voluit)*, ex. gr. quod in Evangelio: ܨܒܐ ܐܢܐ ܕܠܘ ܡܢ ܟܕܘ ܡܣܩܬ ܢܘܪܐ *(volo ut jam ardeat ignis)*.

538 – Ut plurimum vero quoties agens verbi præcedentis et agens verbi subjunctivi ad unam eamdemque personam referuntur, pro subjunctivo adhibetur infinitivus verbalis (n. 281) cum præfixa lamad[h], v. gr. ܨܒܝܬ ܠܡܥܡܪ ܒܒܝܬܗ ܕܐܠܗܐ *(volui habitare in domo Dei)*, ܡܨܐ ܐܢܬ ܠܡܐܬܐ ܥܡܝ *(potesne venire mecum?)*.

538 II – Item adhibetur infinitivus verbalis quoties subjunctivus determinatum agentem non habet, i. e. tunc infinitivus evadit ut nomen agens propositionis, v. gr. ܛܒ ܠܡܬܬܟܠܘ ܥܠ ܡܪܝܐ *(bonum est sperare in Domino)*. Quando autem infinitivus aliqua præpositione copulari debet, intercedit ܕ, ut: ܛܒ ܡܢ ܕܠܡܬܬܟܠܘ ܥܠ ܒܪܢܫܐ *(melius quam confidere in homine)*.

Quandoque loco aoristi adhibetur participium activum, dummodo agatur de 3ª persona, et verbum antecedens sit unum ex sequentibus, nempe ܫܪܝ *(cœpit)*, ܡܨܐ *(valuit)*, ܐܫܟܚ *(potuit)*, ܫܒܩ *(sivit)*, etc.; v. gr. ܠܐ ܡܨܐ ܗܘܐ ܥܐܠ ܠܘܬܢ *(nequit hic inter nos ingredi)*, ܠܐ ܐܫܟܚ ܒܝܬܐ ܐܚܕ ܠܗܘܢ *(non potuit domus capere illos)*, ܡܥܕܝܢ ܗܘܘ ܠܬܘܪ̈ܥܬܐ ܡܣܩܝܢ *(assueti sunt restaurare ruinas)*, ܫܪܝ ܬܪܢܓܠܐ ܩܪܐ *(cœpit gallus cantare)*.

Item post imperativum pro subjunctivo adhibetur participium præsens, v. gr. ܐܡܪ ܠܗ ܡܥܕܪܐ ܠܝ (*dic ei ut adjuvet me*), ܫܒܘܩܘ ܬܪ̈ܝܗܘܢ ܐܬܪܒܝܘܢ (*sinite utraque crescere*), ܫܒܘܩ ܠܗܘܢ ܐܠܝܢ ܟܢܦ̈ܝܗܘܢ (*sine eos librare suas alas*).

539 — Modo subjunctivo similis est modus causativus, qui indicat causam finalem, vel efficientem, et apud Syros exprimitur etiam per ܕ cum aoristo, v,gr. ܬܐ ܕܬܒܝܐܘܢ ܬܬܒܝܐܘܢ (*veni ut vos consolemini*). Quandoque ante ܕ additur una ex particulis causalibus, v. gr. ܐܝܟܢܐ (*uti*), ܡܛܠ (*propter*), ܐܝܟ (*sicut*), v.gr. ܫܕܪ ܐܠܗܐ ܒܪܗ ܐܝܟܢܐ ܕܟܠ ܡܢ ܕܡܗܝܡܢ ܒܗ ܠܐ ܢܐܒܕ (*misit Deus filium suum ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat*). Interdum post aoristum adjicitur verbum ܗܘܐ in præterito, si verbum quod præcedit sit in præterito, v. gr. ܫܡܫܐ ܚܫܟ ܕܠܐ ܢܚܙܐ ܗܘܐ ܨܥܪܐ ܕܡܪܗ (*sol obscuratus est ne videret ignominiam Domini sui*). Nonnunquam pro aoristo occurrit participium activum absque particula, v. gr. ܢܬܠ ܠܗܘܢ ܠܡܐܟܠ pro ܕܢܐܟܠܘܢ (*dabimus illis ut manducent*), ܐܡܪ ܠܐܚܝ ܦܠܓ ܥܡܝ ܝܪܬܘܬܐ pro ܕܢܦܠܓ (*dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*).

540 — Adhibentur etiam uti particulæ causativi præsertim negativi ante aoristum ܕܠܡܐ et ܕܕܡ (*ne forte*), quæ sine ulla particula connectuntur cum sequen-

tibus vocibus, v. gr. ܚܙܘ ܕܠܡܐ ܫܘܠܛܢܟܘܢ ܗܢܐ ܢܗܘܐ ܠܬܘܩܠܬܐ (*videte ne hæc potestas vestra sit in laqueum*); ܐܙܕܗܪ ܡܢ ܒܝܫܐ ܕܠܡܐ ܗܘ ܐܟܠܩܪܨܐ ܢܫܠܚܟ (*præcave a malo* i. e. *diabolo ne te spoliet*).

541 — In causativo quoque, quando verbi præcedentis et verbi causativi agens pertinet ad unam eandemque personam, licet pro causativo usurpare infinitivum verbalem cum lamadh præfixa, v. gr. ܘܚܪ ܡܪܝܐ ܠܡܫܡܥ ܐܢܚܬܗ ܕܡܣܟܢܐ (*respexit Dominus ad audiendum gemitum miseri*). Item dicendum quando verbum præcedens est in imperativo ut supra notavimus.

542 — Conjunctio *donec* ante verbum, quæ indicat terminum *finalem*, exprimitur per ܥܕܡܐ ܕ cum aoristo, v. gr. ܬܒ ܡܢ ܝܡܝܢܝ ܥܕܡܐ ܕܐܣܝܡ ܒܥܠܕܒܒܝܟ (*sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos*), etc. Item dicendum de cœteris particulis conjunctivis. Inutile est advertere modum subjunctivum item et causativum nonnisi unum tempus habere quod omnibus temporibus inservit.

543 — Modus indicativus conjunctus qui scilicet pendet a verbo quod significat actum mentis, exprimitur per particulam ܕ quæ intercedit inter duas propositiones quarum secunda potest exprimere sive factum pendens a prima, sive ejusdem causam efficientem; prioris exemp. ܣܒܪ ܐܢܐ ܕܝܘܣܦ ܗܘ ܬܡܢ (*existimo Josephum illic esse*); alterius exemplum ܘܡܛܠ ܕܠܟ ܐܢܬ ܐܬܚܙܝܬ ܡܚܕܐ ܕܚܝܐ

(miserere mei quia tu es fons vitæ). Frequenter ante ܕ in hoc altero casu adjicitur emphatice vel ܡܛܠ, vel ܥܠ vel ܒ, v. gr. ܡܫܬܒܩܢ ܠܗ ܚܛܗܘܗܝ ܣܓܝܐܐ ܡܛܠ ܕܐܚܒܬ ܣܓܝ *(remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum)*.

Propositio causalis quæ non pendet a verbo antecedente exprimitur per particulam Græcam ܓܝܪ *(etenim)* adjiciendam post primam vocem illius propositionis, v. gr. ܒܥܐ ܐܢܐ ܡܢܟ ܕܨܠܘܬܐ ܬܗܘܐ ܡܩܪܒܬ ܠܐܠܗܐ ܗܘ ܓܝܪ ܫܦܝܪܐ *(peto a te ut orationem offeras Deo, hoc enim est bonum)*. Quandoque apud recentiores adhibetur ܕܝܢ *(autem)*, loco ܓܝܪ, quemadmodum apud eosdem adhibetur ܓܝܪ in pro ܕܝܢ, quod utrumque erroneum est.

544 – Nota propositionem quæ sequitur verbum *dicere* etsi proferatur prout a suo auctore prolata est, quandoque prænotari particula ܕ, v. gr. ܫܡܥܬܘܢ ܕܐܬܐܡܪ ܕܥܝܢܐ ܚܠܦ ܥܝܢܐ *(audistis quia dictum est : oculum pro oculo)*, ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܕܐܢܐ ܐܢܐ ܪܥܝܐ *(dixit illis ego sum pastor)*.Quando vero quispiam citat alius verba, mos est ut post primum verbum dicti quod citatur, vox ܠܡ adjiciatur v. gr. ܠܐ ܬܬܕܠܚܘܢ ܒܪܥܝܢܝܟܘܢ ܡܢ ܡܠܬܐ ܕܗܐ ܠܡ ܡܛܐ ܝܘܡܗ ܕܡܪܢ *(nolite turbari in mentibus vestris ex dicto: ecce venit dies Domini nostri)*, ܠܡܠܬܐ

ܡܠܐ ܡܬܕܝܢܬܘܢ ܠܐ ܬܬܩܪܒ ܘܠܐ ܬܛܥܡ (*quare judicamini per dictum ne accedas neve gustes !*) .

ARTICULUS V

DE PROPOSITIONE CONDITIONALI.

545 I — Propositio conditionalis apud Syros ut apud Arabes duplex est; alia significat quod potest evenire, alia quod non evenit. Latine quidem utriusque conditionis particula est *si*; sed *modi* verborum differunt ; nam in priore verbum est in indicativo, ut *si medicus es, sana me*; in posteriore verbum est in optativo seu subjunctivo imperfecto , ut *si medicus esses , me sanares*. Syriace autem particula prioris conditionalis est ܐܢ (*si*), post quam venit aoristus vel participium activum ad indicandum tempus futurum; v. gr. ܐܢ ܨܒܐ ܐܢܬ ܕܬܥܘܠ ܠܚܝܐ ܛܪ ܦܘܩܕܢܐ (*si vis vitam ingredi, serva mandata*). Aliquando post ܐܢ redundat ܗܘ cum ܕ sequente, v. gr. ܐܢܗܘ ܕܝܠܦܬ ܢܡܘܣܐ ܕܐܠܗܐ ܠܐ ܬܕܚܠ (*si didicist[i] jam legem Dei , noli timere*). Nonnunquam pro aoristo tempus præteritum in propositione expletiva occurri[t] sensu futuri, v. gr. ܐܢ ܚܙܬ ܥܝܢܝ ܠܐܠܗܐ ܚܙܝܐ ܢܘܗܪܐ (*si oculus meus videbit Deum, videbit lucem*); ܐܢ ܪ̈ܚܡܝܟ ܠܐ ܢܩܕܡܘܢܟ ܐܒܕܢ (*si misericordia tua te non adpre[hen]catur peribimus*).

Item occurrit præteritum in sensu futuri in propositione expletiva post conditionalem ܡܢ v. gr. ܡܢ ܕܚܙܐ ܠܝ ܚܙܐ ܠܡܢ ܕܫܕܪܢܝ. (*qui me videt videt eum qui misit me*), ܡܢ ܕܫܡܥ ܡܠܬܝ ܠܕܝܢܐ ܠܐ ܐܬܐ ܐܠܐ ܫܢܐ ܠܗ ܡܢ ܡܘܬܐ ܠܚܝܐ (*qui audit verbum meum in judicium non venit, sed transiit i. e. transibit a morte ad vitam*).

Item in propositione expletiva conditionalis post ܐܝܢܐ, præteritum habet sensum futuri, v. gr. ܐܝܢܐ ܕܫܘܐ ܗܘܐ ܕܢܬܦܨܚ ܒܚܙܘܟ ܢܣܠܐ ܠܡܐܟܘܠܬܐ (*Quicumque dignus fit ut gaudeat visu tuo, spernet cibum*).

Notio autem quæ Latina lingua exprimitur per *cumque*, a Syris significatur per ܟܠ quod præcedit ܐܡܬܝ (*quando*), ܐܝܟܐ (*ubi*), ܟܡܐ (*quantum*), ܡܢ (*quis*), ܡܐ (*quod*), quibus habentur notiones *quandocumque, ubicumque, quantumque*, etc. Exempla : ܟܠ ܐܡܬܝ ܕܚܙܐ ܠܝ ܥܪܩ ܡܢܝ (*quotiescumque me videt, a me fugit*), ܥܒܕ ܟܠ ܡܐ ܕܨܒܐ ܐܢܬ. (*fac quodcumque velis*), ܟܠ ܐܝܟܐ ܕܐܙܠ ܐܢܐ ܒܬܪܝ (*quocumque vadam sequere me*).

545 II – Denique si tempus præteritum in conditionali significare vis, adhibendum est verbum in præterito, ex. gr. ܛܘܒܝܟ ܐܢ ܠܐ ܚܛܝܬ ܒܙܒܢ ܛܠܝܘܬܟ (*beatus es si non peccasti ætate infantiæ tuæ*), ܐܢ ܡܫܝܚܐ ܠܐ ܩܡ ܣܪܝܩܐ ܗܝ ܟܪܘܙܘܬܢ (*si Christus non surrexit, vana est prædicatio nostra*).

Nota tandem propositionem quæ a conjugatione ܐܢ ceteris pronominibus præcitatis regitur, posse esse sine verbo, quod Arabica lingua non tolerat, ex. gr. ܐܢ ܬܐܒ ܐܢܬ ܠܐ ܬܕܚܠ (*si pœnitens es, noli timere*), ܡܢ ܕܫܦܝܪ ܒܦܪܨܘܦܗ ܒܠܚܘܕ ܚܣܝܪ ܗܘ (*quicumque pulcher est in vultu tantum, deficiens est*).

546 — Particulæ conditionalis alterius generis nempe non eventus sunt: ܐܠܘ (*si*) et ܐܠܘܠܐ (*nisi*): post ܐܠܘ quidem plerumque verbum conditionale est in præterito, et verbum propositionis expletivæ in imperfecto (532), v. gr. ܐܠܘ ܡܢ ܥܠܡܐ ܗܘܝܬܘܢ ܥܠܡܐ ܠܕܝܠܗ ܪܚܡ ܗܘܐ (*si de mundo essetis mundus quod suum est diligeret*); post autem ܐܠܘܠܐ plerumque venit nomen, deinde ܕ, et post ܕ verbum conditionale in præterito; verbum propositionis expletivæ in imperfecto, v. gr. ܐܠܘܠܐ ܡܪܝܐ ܕܥܕܪ ܠܢ ܚܝܐ ܒܠܥܝܢ ܗܘܘ ܠܢ (*nisi Dominus nos defendisset, vivos deglutissent nos*): nonnunquam post ܐܠܘܠܐ non sequitur immediate nomen, v.g. ܐܠܘܠܐ ܐܬܐ ܡܫܝܚܐ ܡܢ ܦܪܩ ܗܘܐ ܠܢ (*nisi Christus venisset, quis salvasset nos?*).

Unde vides in conditionali hujus generis tempus præsins et præteritum eadem ratione significari, quemadmodum in conditionali prioris generis præsens et futurum non differunt. Denique sciendum est propositionem quam conjunctio ܐܠܘ regit, posse verbo carere,

ex. gr. ܦܩܚ ܗܘܐ ܠܗ ܐܠܘ ܐܫܬܕܝ ܒܝܡܐ (*melius esset illi si in mare projiceretur*).



ARTICULUS VI

DE NEGATIVO ET AFFIRMATIVO PER EXCLUSIONEM

547 – Lingua Syriaca non habet multas particulas negativas : negatio enim præcipue exprimitur per particulam ܠܐ (*non*), quæ adhibetur in negatione verbi cujusvis modi et temporis et in negatione cujusvis generis propositionis, v. gr. ܠܐ ܝܕܥ ܐܢܐ ܠܟܝ (*te non agnosco*), ܠܐ ܫܡܥܬ ܩܠܗ (*non audivi vocem ejus*). In negatione propositionis compositæ ex subjecto et prædicato frequenter et eleganter additur post negativam ܠܐ verbum ܗܘܐ præteritum in sensu præsentis cum ܗ otiante, unde, negando hanc propositionem, v. gr. ܐܠܗܐ ܥܘܠܐ ܗܘ dicitur : ܐܠܗܐ ܠܐ ܗܘܐ ܥܘܠܐ (*Deus non est injustus*). Item negando ܐܢܐ ܐܝܬܝ ܢܘܟܪܝܐ dicitur : ܠܐ ܗܘܝܬ ܢܘܟܪܝܐ (*non sum peregrinus*). Observa ܗ verbi ܗܘܐ semper otiari post ܠܐ.

548 – Et in genere quando negativa cadit in pronomen vel aliud præter verbum, post ܠܐ addi solet ܗܘܐ, v. gr. ܠܐ ܗܘܐ ܠܗܕܐ ܒܥܝܬ (*non hoc petivi*). Plerumque vero pro ܠܐ ܗܘܐ dicitur ܠܘ per contractionem,

v. gr. ܠܘ ܡܢ ܕܡܐ ܐܠܐ ܡܢ ܐܠܗܐ ܐܬܝܠܕܘ *(non ex sanguine sed ex Deo nati sunt).*

549 — In negationis repetitione adhibetur ܐܦܠܐ vel ܘܠܐ, ex. gr. ܠܐ ܬܕܓܠ ܐܦܠܐ ܬܐܡܐ *(non jures neque mentiaris)*, ܘܐܢ ܠܐ ܫܒܩܝܢ ܐܢܬܘܢ ܚܕ ܠܚܕ ܐܦܠܐ ܐܒܘܟܘܢ ܫܒܩ ܠܟܘܢ *(si non dimiseritis vobis invicem, neque pater vester dimittet vobis)*. Quando verbum est negativum, potest particula negationis utrumque subjectum afficere, ut ܠܐ ܝܕܥ ܐܢܐ ܠܐ ܠܐܒܘܟ ܘܠܐ ܠܐܡܟ *(non cognosco neque patrem tuum neque matrem tuam)*, ܠܐ ܬܐܡܘܢ ܠܐ ܒܫܡܝܐ ܘܠܐ ܒܐܪܥܐ *(nolite jurare neque per cœlum neque per terram).*

550 — In negatione vocis ܐܝܬ indeclinabilis, habet locum contractio, et pro ܠܐ ܐܝܬ dicitur ܠܝܬ (n. 381), v. gr. ܠܝܬ ܠܝ ܒܝܬܐ ܒܐܪܥܐ *(mihi domus non est in terra)*; et in negatione vocis ܐܝܬ habentis sibi adnexa suffixa, dicitur: ܠܝܬܘܗܝ, ܠܝܬܝܗ̇, etc. (n. 381), v. gr. ܝܫܘܥ ܠܝܬܘܗܝ ܬܡܢ *(Jesus non est hic)*. Sed licet quoque dicere sine contractione ܠܐ ܐܝܬ et ܠܐ ܐܝܬܘܗܝ, etc. v. gr. ܐܢ ܠܐ ܐܝܬܝܟ ܡܫܝܚܐ ܘܠܐ ܢܒܝܐ *(si tu non es Christus neque propheta).*

551 — Inter particulas quæ habent sensum negationis, computatur particula ܠܡܐ *(ne)* vel cum

præfixa dalath ܕܠܡܐ (*ne forte*), quæ exigit ut quod post se venit sit dubium vel incertum, v. gr. ܚܙܝ ܠܡܐ ܠܐܢܫ ܠܐ ܬܐܡܪ (*vide ne cuiquam dicas*), ܕܠܡܐ ܐܝܟ ܐܪܝܐ ܢܚܛܘܦ ܠܢܦܫܝ (*ne forte tamquam leo rapiat animam meam*).

552 – Huc pertinet particula ܐܠܐ vel ܐܠܐ ܐܢ qua affirmatur aliquid per exclusionem cujusvis rei præter illud, v. gr. ܠܐܝܢܐ ܬܪܥ ܕܐܪܥܐ ܢܩܘܫ ܐܠܐ ܠܬܪܥܟ (*cujusnam portam pulsabimus nisi portam tuam?*), ܠܡܢܘ ܢܓܘܣ ܐܠܐ ܐܢ ܠܡܪܚܡܢܘܬܟ (*ad quemnam confugimus nisi ad tuam misericordiam?*), ܠܐ ܫܠܡ ܒܚܐܪܐ ܐܠܐ ܐܢ ܒܚܘܕܪܐ ܕܫܢܝܢ ܬܪܬܝܢ (*non fuit absolutus liber nisi spatio duorum annorum*).



ARTICULUS VII

DE INTERROGATIVO.

553 – Particula interrogativa in Syriaco idiomate ut in omnibus mundi idiomatibus (1) præponitur ceteris vocibus quibus constat propositio interrogativa. Syri tamen non habent proprie dictam particulam interrogativam ad instar أ et هل Arabum, et *num* ac *an* Lati-

(1) Mirum est in lingua Arabica vulgari Ægypti particulam interrogativam rei post verbum poni, cum dicatur v. gr. اخذت اي pro اي شيء اخذت *quid cepisti?*

norum (1). Sed sæpe nulla præmissa particula propositionem interrogativam enunciant, quæ nonnisi uti talis ex contextu intelligitur v.gr. ܗܟܢܐ ܠܐ ܐܫܟܚܬܘܢ ܕܬܬܥܝܪܘܢ ܥܡܝ (*sicne non potuistis vigilare mecum ?*); ܠܐ ܗܘܐ ܗܢܐ ܒܪܗ ܕܝܘܣܦ (*nonne hic est filius Joseph ?*). Nihilominus ad exprimendam hujusmodi interrogationem simplicem, scriptores Syri adhibent particulas quæ in origine non habent sensum interrogativum : hujusmodi est particula ܠܡܐ, v. gr. ܠܡܐ ܐܢܐ ܡܪܝ (*numquid ego sum Domine ?*) ܠܡܐ ܠܐ ܗܘܝܬ ܒܪ ܚܐܪܐ (*numquid non sum liber ?*) ܠܡܐ ܠܐ ܫܠܝܛ ܠܢ ܠܡܐܟܠ (*numquid non licet nobis edere ?*). Hujusmodi est quoque ܕܠܡܐ, v. gr. ܕܠܡܐ ܗܠܝܢ ܐܝܟ ܒܪܢܫܐ ܐܡܪ ܐܢܐ (*numquid hæc dico tamquam homo ?*), ܕܠܡܐ ܣܠܝܗ ܐܠܗܐ ܠܥܡܗ (*numquid repulit Deus populum suum ?*). Quando propositio interrogativa sequitur aliam propositionem interrogativam, tunc pro particula interrogativa adhibetur ܐܘ (*aut*) v.gr. ܡܢܐ ܡܣܬܒܪ ܠܟ ܐܘ ܒܪܢܫܐ ܐܘ ܥܠ ܥܘܬܪܗ ܕܐܠܗܐ ܡܡܪܚ ܐܢܬ (*quid putas o homo, an contra divitias Dei audes ?*) ܡܢܐ ܗܝ ܡܝܬܪܘܬܗ (2) ܕܝܗܘܕܝܐ ܐܘ ܡܢܐ ܝܘܬܪܢܗ ܕܓܙܘܪܬܐ (*quæ est præstantia Judæi; aut quæ utilitas circumcisionis ?*)

(1) Paucæ sunt linguæ quæ particulam habent propriam ad significandam simplicem interrogationem, inter quas sunt Græca et Latina. Nam fere omnes linguæ vulgares in Europa hodie vigentes hujusmodi particula carent; ipsa quoque lingua Arabica vulgaris.

(2) Apud Orientales ܡܝܬܪܘܬܗ (n. 461).

Quandoque in interrogatione simplici de realitate adhibetur ܐܘ quin præcedat alia propositio interrogativa, v.gr. ܐܘ ܠܐ ܝܕܥܝܢܬܘܢ ܕܥܘܠܐ ܡܠܟܘܬܗ ܕܐܠܗܐ ܠܐ ܝܪܬܝܢ (*nescitis iniquos regnum Dei non possessuros esse?*).

554 — Adhibetur etiam uti particula interrogativa de realitate vox barbara ܐܪܐ, v. gr. ܐܪܐ ܠܝܬ ܠܟ ܣܒܪܐ ܒܝ (*numquid non habes spem in me?*). Aliquando ܐܪܐ occurrit in sensu ܡܟܝܠ (*itaque, ergo*), v. gr. ܒܪܢܫܐ ܡܡܠܠܐ ܗܘ ܐܪܐ ܐܝܬ ܠܗ ܢܦܫܐ ܡܠܝܠܬܐ (*homo loquendi facultate præditus est, ergo habet animam rationalem*). Utraque hæc particula Græca est sed cum diversitate quantitatis vocalium, quam diversitatem Syriaca lingua exprimere nequit.

555 — Tamquam interrogativa particula adhibetur etiam ܟܒܪ, quæ tamen postponitur primæ voci propositionis interrogativæ, v. gr. ܐܬܐ ܒܪܗ ܕܐܢܫܐ ܘܡܫܟܚ ܟܒܪ ܗܝܡܢܘܬܐ (*filius hominis veniens, putas, inveniet fidem?*). Frequentius adhibetur ܟܒܪ post aliam vocem interrogativam ad majorem claritatem, v. gr. ܡܢܘ ܟܒܪ ܐܝܬܘܗܝ ܥܒܕܐ ܡܗܝܡܢܐ (*quis putas est fidelis servus?*) ܡܢܐ ܟܒܪ ܢܐܡܪܘܢ (*quidnam dicent?*), ܗܐ ܚܢܢ ܫܒܩܢ ܟܠܡܕܡ ܡܢܐ ܟܒܪ ܢܗܘܐ ܠܢ (*ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?*).

556 — Pro interrogativo cum sensu affirmationis adhibetur ܠܐ ܗܘܐ; ex.: ܠܐ ܗܘܐ ܠܟܘܢ ܕܒܢܝܐ ܟܠ ܡܕܡ

(nonne Deus est qui omnia creavit ?).

557 — Ceteræ voces interrogativæ quæ a Latinis considerantur ut pronomina vel adverbia, notissimæ sunt ex iis quæ suis locis exposuimus.

558 — Si vero propositio interrogativa ab alia propositione præcedente pendet tunc si interrogatio est simplex seu versatur circa realitatem tantum adhibetur ܐܢ (1) sine particula interrogativa ; ceteræ particulæ interrogativæ non mutantur ; tantummodo si propositio quæ interrogationem antecedit implicat tacite vel expresse verbum dicere, tunc particula ܐܢ ceteræque interrogativæ assumunt ante se particulam dalath, v. gr. ܡܫܐܠܝܢ ܗܘܘ ܘܐܡܪܝܢ ܕܐܢ ܫܠܝܛ ܒܫܒܬܐ ܠܡܐܣܝܘ *(interrogabant dicentes num licet sabbato curare ?)* ; ܠܐ ܝܕܥ ܐܢܐ ܕܐܢ ܐܬܐ ܐܝܙܓܕܐ *(nescio utrum venerit legatus)* ; ܡܫܐܠ ܗܘܐ ܠܗܘܢ ܕܐܝܟܐ ܡܬܝܠܕ ܡܫܝܚܐ *(sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur).*

Omittitur autem particula ܕ quando propositio quæ præcedit interrogationem non implicat verbum dicere, v. gr. ܠܐ ܝܕܥ ܐܢܐ ܒܡܢܘ ܐܬܓܘܣܘ *(nescio ad quemnam confugere ?)*, ܠܐ ܝܕܥܝܢ ܐܢܬܘܢ ܐܡܬܝ ܐܬܐ ܡܪܗ ܕܒܝܬܐ *(nescitis quando veniet paterfamilias)*, ܐܙܠܘ ܚܙܘ ܟܡܐ ܠܚܡܝܢ ܐܝܬ ܠܟܘܢ *(ite et videte quot panes habetis ?)* ; ܠܐ ܫܡܥܬ ܐܢ ܢܦܩ ܡܠܟܐ *(numquid audisti si rex*

(1) Ita quoque res se habet in linguis Europæis hodiernis plurimis.

exivit ?). At licet ܘ cum ܐܢ, ex. gr. ܐܙܠ ܚܙܝ ܘܐܢ ܕܢܚ ܫܡܫܐ *(ito et vide num ortus est sol).*



ARTICULUS VIII

DE IMPERATIVO ET PROHIBITIVO.

559 – Imperativus habet suam notam formam, v. gr. ܬܐ ܠܗܪܟܐ *(veni huc)*. Attamen in verbo ܗܘܐ *(fuit)* loco hujus formæ adhiberi potest elegantius tempus præteritum uti in sequentibus exemplis: ܗܘܝܬ ܝܕܥ *(scito)*, ܗܘܝܬܘܢ ܥܝܪܝܢ *(estote vigilantes)*, ܗܘܝܬܝ ܚܦܝܛܐ ܠܒܥܠܟܝ *(esto diligens* seu *dilige virum tuum)*. Inde vides pro imperativo cujusvis verbi licere adhiberi præteritum verbi ܗܘܐ cum participio activo verbi de quo agitur.

560 – Imperativus primæ et tertiæ personarum fit per aoristum simpliciter sine ulla particula præcedente, v. gr. ܢܫܒܚ ܠܡܪܝܐ *(laudemus Dominum)*, ܝܡܝܢܟ ܬܥܕܪܢܝ *(dextera tua opituletur mihi)*. Ex verbo autem ܗܘܐ pro imperativo adhibetur etiam, ut diximus, tempus præteritum cum istis personis, v. gr. ܗܟܢܐ ܗܘܝܢ ܚܫܝܒܝܢ ܠܟܘܢ *(sic reputemur apud vos)*, ܨܒܐ ܐܢܐ ܕܗܘܘ ܡܨܠܝܢ ܓܒܪܐ *(volo ut orent viri)*, ܗܘܬ ܝܠܦܐ *(discat f.)*.

Frequenter præmittitur imperativo primæ personæ pluralis vox ܬܘ (*venite*) quæ est imperativus 2ᵉ pers. plur. masc. ex verbo ܐܬܐ, v. gr. ܬܘ ܢܙܡܪ ܠܐܠܗܢ (*venite psallamus Deo nostro*).

561 – Prohibitivus est negatio imperativi, et pro eo adhibetur particula negans ܠܐ cum aoristo, v. gr. ܠܐ ܬܡܠܠ (*ne loquaris*, seu *noli loqui*), ܠܐ ܢܐܙܠ (*ne eamus*), ܠܐ ܢܚܕܐ ܐܢܫ ܒܒܝܫܬܗ ܕܐܚܘܗܝ (*nemo gaudeat de malo fratris sui*). Prohibitivus autem verbi ܗܘܐ fit per ܠܐ cum præterito ut diximus de imperativo, v. gr. ܠܐ ܗܘܐ ܡܐܢܐ ܠܢ (*ne tædeat nos*), ܠܐ ܗܘܬ ܪܚܡܐ ܟܣܦܐ ܪܥܝܢܟܘܢ (*ne diligat mens vestra argentum*).

562 – Adprecativus affirmativus sequitur omnino regulas imperativi, et negativus prohibitivi, v. gr. ܪܚܡ ܥܠܝ ܐܠܗܐ (*miserere mei Deus*), ܐܠܗܐ ܢܒܪܟ ܥܒܕܝܟܝ (*Deus benedicat opera tua f.*).



ARTICULUS IX

DE ADMIRATIVO ET OPTATIVO.

563 – Admirativi particula est ܡܐ ut apud Arabes, quam sequitur vel adjectivum contractum, quod frequentius est, vel verbum. Exempla primi casus, ܡܐ ܝܐܝ

ܡܳܐ ܫܦܺܝܪ ܝܰܘܡ ܡܰܘܠܳܕܳܟ݂ *(quam pulcher est dies nativitatis tuæ !)*, ܡܳܐ ܕܚܺܝܠܳܐ ܗܺܝ ܫܳܥܬܳܐ ܗܳܕܶܐ *(quam terribilis est hæc hora !)*, ܡܳܐ ܡܚܰܒܒܺܝܢ ܡܰܫܟܢܰܝܟ݂ *(quam dilecta sunt tabernacula tua!)*.Exempla secundi ܡܳܐ ܣܓܺܝܘ ܐܳܠܨܰܝ *(quam multiplicati sunt qui tribulant me !)* ܡܳܐ ܪ̈ܚܶܡܬ ܢܳܡܽܘܣܳܟ݂ *(quam multum dilexi legem tuam !)*.

564 – Qnandoque adhibetur ܟܡܳܐ loco ܡܳܐ in admirativo , v. gr. ܟܡܳܐ ܒܰܣܺܝܡ ܩܳܠܳܐ ܗܳܢܳܐ *(quam suavis sit hæc vox!)*, ܟܡܳܐ ܚܠܶܝܢ ܢܶܥܡܳܬܳܟ݂ *(quam dulces melodiæ tuæ !)*, ܟܡܳܐ ܡܚܰܒܶܒ ܠܰܢ ܐܰܠܳܗܳܐ *(quam nos Deus amat !)*. Particula ܟܡܳܐ accipere potest præpositionem ܕ quando propositio ab alia propositione præcedente pendet, ex. gr. ܬܶܫܒܽܘܚܬܳܐ ܠܰܐܠܳܗܳܐ ܕܟܡܳܐ ܡܪܰܚܡܳܢܳܐ ܗܽܘ *(Deo gloria, quam misericors est !)* Sæpe ante ܟܡܳܐ venit ܐܳܗ *(oh !)* ex. gr. ܐܳܗ ܟܡܳܐ ܡܰܪܺܝܪ ܟܳܣܳܐ ܕܡܙܰܓ ܐܳܕܳܡ ܠܒܢܰܘ̈ܗܝ *(oh quam amarus est calix quem Adam suis filiis miscuit !)*.

565 – Pro optativo adhibetur ܐܰܠܗܽܘܦ post quam additur plerumque ܕܶܝܢ , et deinceps collocatur verbum vel in præt. vel aor. , vel participio v. gr. ܐܰܠܗܽܘܦ ܕܶܝܢ ܐܰܡܠܶܟܬܽܘܢ *(utinam regnassetis !)* ܐܰܠܗܽܘܦ ܕܶܝܢ ܡܣܰܝܒܪܺܝܢ ܗܘܰܝܬܽܘܢ ܠܝ *(utinam tolerassetis me)*, ܐܰܠܗܽܘܦ ܕܶܝܢ ܢܶܗܘܶܐ ܠܗܽܘܢ ܠܶܒܳܐ ܗܳܢܳܐ *(utinam haberent hoc consilium !)*.

566 — Adhibetur quoque particula ܠܘܝ pro optativo, v. gr. ܠܘܝ ܩܪܝܪܐ ܗܘܝܬ (*utinam frigidus esses!*).

567 — Exprimitur interdum optativus per ܡܢ (*quis ?*) sequente ܕܡܢ, et postea verbum ܝܗܒ (*dedit*) vel ܥܒܕ (*fecit*) in præt. aut aor., ita ut verbum concordetur cum ܡܕܡ v. gr. ܡܢ ܕܡܢ ܥܒܕ ܕܡܫܟܚܢܐ ܗܘܝܬ ܠܡܡܛܝܘ (*utinam possem pervenire*, ad litteram *quis fecisset ut potuissem pervenire ?*), ܡܢ ܢܬܠܟ ܐܚܐ ܕܝܠܝ, (*utinam esses frater meus*, ad litteram *quis te daret mihi fratrem meum ?*), ܡܢ ܕܡܢ ܝܗܒ ܠܝ ܡܒܘܥܐ ܕܕܡܥܐ, (*utinam haberem fontes lacrymarum*, ad litteram *quis daret mihi fontes lacrymarum ?*).



CAPUT IV

DE PARTICULIS.



ARTICULUS I

DE PRÆPOSITIONIBUS.

568 — Licitum est præpositionem quæ non sit cum nomine orthographice copulata, a suo nomine

separare per conjunctionem Græcam aut quid simile quod post primum propositionis membrum venire debet, ex. gr. ܡܢ ܒܬܪ ܕܝܢ ܙܒܢܐ ܣܓܝܐܐ (*post autem diuturnum tempus*), ܩܕܡ ܓܝܪ ܕܢܦܘܩ (*ante enim quam egressus esset*), ܚܠܦ ܡܢ ܕܗܒܐ ܩܢܐ ܡܣܟܢܘܬܐ (*pro auro quidem possidet paupertatem*).

569 — Nunc nonnulla de significationibus præpositionum.

ܒ *Beth* quidem significat *in*, *per*, *cum*, instrumentale, *pro* commutationis, etc. Adhibetur quoque *beth* in jure jurando, dummodo verbum jurandi expressum sit, ܝܡܝ ܠܝ ܒܐܠܗܐ (*jura mihi per Deum*). Quod si verbum jurandi non sit expressum, tunc nomen per quod juratur accipit ܠܐ, ut ܠܐ ܚܝܝܟ (*per tuam vitam*), ܠܐ ܐܠܗܐ (*per Deum*).

Adhibetur quoque *beth* in sensu concomitantiæ, ut ܐܬܘ ܬܘܬܒܐ ܒܫܪܒܬܗܘܢ (*venerunt peregrini cum prole sua*). Significat etiam *medium* quo res fit, ut ܫܒܩܘܗܝ ܒܚܒܠܐ (*fune eum demiserunt*). Et tunc sæpe copulatur voci ܝܕ ut ܦܪܩ ܐܠܗܐ ܠܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ ܒܝܕ ܡܘܫܐ (*liberavit Deus filios Israel per Moysen*). Adhibetur etiam ܒܝܕ alio sensu, hoc est causalitatis, ut ܢܦܠ ܐܕܡ ܒܝܕ ܥܒܪ ܦܘܩܕܢܐ (*lapsus est Adam propter transgressionem præcepti*).

570 — Præpositio *sine* exprimitur Syriace per

ܒܠܐ aut ܕܠܐ, nomen autem ab ea rectum nudum manet, vel accipit præpositionem *beth* cum ܕܠܐ, quod tamen rarum est. Nonnunquam sine exprimitur per ܠܐ sequente beth. Igitur hæc phrasis *fecisti illud sine scientia*, dicitur ܥܒܕܬܝܗܝ ܒܠܐ ܡܕܥܬܐ, aut ܕܠܐ ܡܕܥܬܐ, aut ܕܠܐ ܒܡܕܥܬܐ, aut denique ܠܐ ܒܡܕܥܬܐ.


571 – Licet supprimere præpositionem beth ante ܒܝܬ habens sensum loci, ut ܩܡ ܒܝܬ ܕܝܢܐ (*stetit in judicii loco seu tribunali*), ܗܘܐ ܒܝܬ ܐܣܝܪ̈ܐ (*fuit in carcere*). Imo supprimitur beth etiam cum ܒܝܬ significant *domum* aut *habitaculum*, ut ܣܓܝܐܢ ܐܢܝܢ ܐܘܢ̈ܐ ܒܝܬ ܐܒܝ (*multæ sunt mansiones in domo patris mei*). E contra non raro exprimitur beth cum ܒܝܬ in sensu *loci*, ut ܥܡܪ ܗܘܐ ܒܒܝܬ ܩܒܪ̈ܐ (*habitabat inter sepulcra*).

572 – Sæpe adhibetur beth cum nomine agente cujus verbum est passivum loco ܡܢ, ut ܒܟ ܐܘ ܡܢܟ ܡܪܝܐ ܢܬܒܪܟ (*per te*, aut *a te*, *Domine*, *benedicamur*).

573 – ܠ Lamadh est pro dativo casu Latinorum atque pro ad ; non raro nomen temporis quo res fit accipit lamadh, ut ܒܢܝܢܝܗܝ ܠܫܒܥ ܫܢܝ̈ܢ (*ædificavimus illum septem annis*). Etiam agens cujus verbum est participium passivum, accipit lamadh, ut ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܣܝܡ ܗܘ ܠܐܚܝ (*liber hic compositus est a fratre meo*), ܡܫܝܚܐ

ܚܙܝܬܘܢ ܗܘ ܒܝܬܐ ܠܐܪܕܝܟܠܐ ܕܡܠܟܐ (*vidistine domum ab architecto regis ædificatam ?*). Hanc rationem habet usus participii passivi pro præterito activo, de quo (n. 531), ut ܫܡܝܥ ܠܝ *(audivi)*, ܚܙܐ ܠܟ *(vidisti)*.

Ceterarum præpositionum significationes facile sciri possunt ex praxi et lexicis. De præpositione ܕ mox habebitur sermo in speciali capite.



ARTICULUS II

DE WAW . ܐܦ , ܐܘ .

574 I –Conjunctio *waw* easdem fere significationes habet ac *et* Latinum, ejus tamen usus multo frequentior est ac *et* Latinum. Sequentia notatu digna sunt :

574 II – Cum particulam regiminis scilicet præpositionem vel pronomen relativum simili conjungit licet supprimere secundam particulam , ut ܡܠܠ ܒܢܝܚܘܬܐ ܘܡܟܝܟܘܬܐ (*loquere cum mansuetudine et humilitate*), ܦܘܩ ܡܢ ܒܝܬܐ ܘܡܕܝܢܬܐ (*exi a domo et ab urbe*); attamen præpositiones quæ nominibus adhærent i. e. ܕ , ܒ , ܠ , amant repeti, ex. gr. ܪܘܚܐ ܕܚܝܠܐ ܘܕܚܟܡܬܐ (*spiritus fortitudinis et sapientiæ*), ܝܩܪ ܠܐܒܘܟ ܘܠܐܡܟ (*honora patrem tuum et matrem tuam*). In genere melius est repetere præpositionem et quamcumque particulam.

Licet tamen eam supprimere in poesi etiamsi sit

nomini adhærens. Pariter oportet repetere particulam si conjunctum vel id quod ipsi conjungitur, pronomen est personale, ex. gr. ܐܡܪ ܐܢܐ ܠܟ ܘܠܐܚܘܟ (*dico tibi et fratri tuo*), ܒܥܝܢ ܡܢ ܐܒܘܟ ܘܡܢܟ (*rogamus patrem tuum et te*).

575 — Per conjunctionem ܘ duo aut plura verba possunt unum nomen regere, ut ܒܢܐ ܘܨܒܬ ܗܝܟܠܐ (*templa ædificavit et exornavit*).

576 — In Syriaca lingua conjunctio ܘ potest afficere simul tum subjectum conjunctum tum subjectum cui conjectum est, sicut in Græca et Latina lingua, ex. gr. ܐܡܪ ܗܕܐ ܘܠܐܒܘܟ ܘܠܐܡܟ (*dic hoc et patri tuo et matri tuæ*). Melius in hoc casu usurpatur ܐܦ, ex. gr. ܙܒܢ ܐܦ ܒܝܬܗ ܐܦ ܩܢܝܢܗ (*vendidit et domum suam et bona sua*); secundum ܐܦ potest habere ܘ. Aut primum habet ܐܦ, alterum ܘ, ut ܫܒܘ ܐܦ ܛܠܝܐ ܘܢܫܐ (*captivos duxerunt et pueros et mulieres*).

577 — Redundare potest ܘ in propositione quæ a propositione præcedente pendet, ut ܟܕ ܗܠܝܢ ܐܡܪ ܘܗܐ ܐܪܥܐ ܙܥܬ (*cum hæc dixisset, ecce terra commota est*). Frequentissime redundat ܘ in versione N. Testamenti Heracleensi ad imitationem Græci textus. E contra potest ܘ subintelligi cum plurima numerantur, ex. gr. ܢܬܬܟܠ ܟܠܢ ܥܠ ܐܠܗܐ ܒܐܘܠܨܢܐ ܒܪܕܘܦܝܐ ܒܐܘܠܨܢܐ (*confidamus in Deum in angustiis, in persecutionibus, in tribulationibus*).

Supprimitur etiam ܘ cum duo verba in eadem propositione sese explicant, ut ܩܘܡ ܐܙܠ *(surge et vade)*, ܐܙܠܬ ܡܠܠܬ ܥܡܗ *(iri et locutus sum illi)*. Pariter supprimitur ܘ inter duo verba quando primum verbum est quasi adverbium secundi, ܢܒܝܐ ܩܕܡܘ ܫܒܚܘܟ *(prophetæ præcessere celebrarunt te* , i. e. *præcelebrarunt te)* , quasi dicas : *prophetæ antea celebrarunt te)*; ܦܢܝ ܫܕܪ ܠܐܚܘܟ *(denuo mitte fratrem tuum)*.

578 — Cum ܘ conjungit duas negationes, oportet repetere particulam negativam, ex. gr. ܠܝܬ ܠܢ ܕܗܒܐ ܘܠܐ ܣܐܡܐ *(non habemus aurum neque argentum)* , aut secundum exprimitur per ܐܦܠܐ vel ܘܐܦܠܐ, ex. ܠܐ ܕܡܟܢ ܐܦܠܐ ܢܡܢ *(nec dormivimus nec dormitavimus)*. Usurpatur ܐܦܠܐ etiam cum secunda negatio expletiva est primæ, ut ܠܝܬ ܕܥܒܕ ܛܒܬܐ ܐܦܠܐ ܚܕ *(non est qui facit bonum neque unus)* , ܠܐ ܬܣܒ ܒܐܦܐ ܠܐܢܫ ܐܦܠܐ ܠܐܚܘܟ *(ne accepies personam ullius vel ipsius fratris tui)*.

579 — Quod Itali exprimunt per *perfino*, Galli per *même*, Angli per *even*, Latini per *vel ipse*, Syriace exprimitur per ܘ, vel per ܐܦ, vel per utrumque, ex.gr. ܗܢܐ ܕܚܫܐ ܘܐܦ ܡܢ ܛܠܠܗ *(hic parescit vel ipsam suam umbram)*.

580 — Usurpatur ܘ Syriace etiam ad indicandum statum sicut Arabice, ut diximus in capite de speciebus præpositionum; quæcumque autem præpositio potest

ea copulari, ut ܢܦܩܘ ܗܡܝܪ̈ܢܐ ܥܡ ܚܒ̈ܠܐ ܒܨܘܪ̈ܝܗܘܢ (*exierunt obsides cum funibus in collis*), ܗܦܟܘ ܦܠܚ̈ܐ ܡܢ ܚܩܠܐ ܘܒܟܝܢ (*reversi sunt villici e rure flentes*). Copulatur etiam particula ܘ propositio quæ est ut consequentia propositionis præcedentis, ut ܫܡܥ ܡ̈ܠܝ ܘܚܐ ܐܢܬ (*audi verba mea ut salvus sis*).

Nunquam ܘ usurpatur in jurejurando sicut in Arabica lingua.

581 — Conjunctio ܐܘ (*aut*) potest etiam redundare cum primo subjecto, ut ܐܘ ܦܘܩ ܡܢ ܗܢܐ ܒܝܬܐ ܐܘ ܐܦܩ ܡܢܗ ܡܟܫܘܠܐ (*aut exi de domo hac aut amove ab ea scandalum*). Adhibetur etiam ܐܘ sensu (*an*) in propositione interrogativa, ܡܢ ܐܬܐ ܝܘܣܦ ܐܘ ܐܚܘܗܝ (*quis venit, Josephne an ejus frater?*) Adhibetur etiam in propositione interrogativa sensu reprehensionis, ut ܘܝ ܠܟ ܡܢ ܕܝܢܗ ܕܐܠܗܐ ܐܘ ܡܣܒܪ ܐܢܬ ܕܐܝܬ ܠܘܬܗ ܡܣܒ ܒܐܦ̈ܐ (*væ tibi propter Dei judicium! putasne esse apud ipsum acceptationem personarum?*)

Sicut ܘ ita ܐܘ dispensat a repetitione particulæ, et sicut ea repetit aliquando particulam, ut expositum est (n. 574).

582 — Adhibetur etiam ܐܘ sensu (*quam*) post adjectivum comparativum ad imitationem Græcæ linguæ, ex. gr. ܦܫܝܩ ܠܓܡܠܐ ܕܢܥܘܠ ܒܚܪܘܪܐ ܕܡܚܛܐ ܐܘ ܕܢܥܘܠ ܥܬܝܪܐ ܠܡܠܟܘܬܗ

(Joseph amavit melius in carcerem conjici quam contra suum dominum peccare).

583 – Adhibetur ܐܘ etiam sensu partitionis seu æquiparationis, ex. gr. ܟܠܗܘܢ ܒܢܝܢܫܐ ܡܝܬܝܢ ܐܘ ܒܝܫܐ ܐܘ ܛܒܐ *(omnes homines moriuntur, sive mali, sive boni).* Hoc sensu melius adhibetur ܐܢ *(si)*, v. gr. ܗܒ ܡܐ ܕܐܝܬ ܠܟ ܐܢ ܩܠܝܠ ܐܘ ܣܓܝ *(da quod habes, sive parum, sive multum).*



ARTICULUS III

DE DIVERSIS SIGNIFICATIONIBUS PARTICULÆ ܕ

584 – Plures particularum Syriacarum diversas habent significationes, ut ceteroquin res se habet in omnibus mundi linguis. Lubet hic paululum id exponere de particula ܕ cujus frequentissimus est usus in sermone Syriaco.

Itaque particula ܕ

1 – Est signum genitivi seu regiminis nominis, ex. gr. ܡܠܟܐ ܕܐܪܥܐ *(rex terræ).*

2 – Præfigitur nomini loci vel personæ vel rei ad significandam originem, vel materiem, vel relationem, ut ܨܠܡܐ ܕܣܐܡܐ *(simulacrum argenteum)*, ܢܨܝܒܝܢ ܕܬܚܘܡܐ *(Nisibis quæ est in confinibus)*, ܝܘܣܦ ܕܪܡܬܐ *(Joseph Ramathensis)*.

3 — Præfigitur nomini urbis vel alius loci ad significandam sedem episcopalem, v. gr. ܐܘܣܛܐܬܝܘܣ ܕܐܢܛܝܘܟ (*Eustathius episcopus Antiochiæ*).

4 — Occurrit ut pronomen relativum, v. gr. ܡܪܝܐ ܕܒܪܢ (*Dominus qui creavit nos*), ܛܘܒܝܗ ܠܟܪܣܐ ܕܛܥܢܬܟ (*beatus venter qui te portavit*).

Occurrit præfixa adjectivo contracto ad indicandum illud adjectivum esse mere qualificativum nominis præcedentis, minime vero illius attributum neque exprimere ejus statum, v. gr. ܐܝܠܢܐ ܕܢܨܝܒ (*arbor plantata*), ܚܙܝܬ ܢܫ̈ܐ ܕܩܪ̈ܝܒܢ (*vidi mulieres proximas*).

6 — Occurrit præfixa propositioni aut quasi propositioni quæ tenet locum adjectivi qualificativi nominis præcedentis, v. gr. ܚܠܐ ܗܘ ܡܘܬܐ ܕܡܛܠ ܐܠܗܐ (*dulcis est mors propter Deum*).

7 — Significat idem ac ذو Arabum, i. e. efficit ex substantivis adjectiva, et tunc nomen cui præfigitur adsciscit sibi adnexum pronomen suffixum ejusdem generis ac numeri cujus est nomen quod præcedit ܕ, v. gr. ܫܡܥܘܢ ܕܐܣܛܘܢܗ (*Simeon Stylita*), ܝܗܘܕܐ ܕܐܓܪܬܗ (*Judas auctor epistolæ*), ܗܝ ܕܕܡܗ (*hæmorrhoissa*), litt. *quæ habet sanguinem*.

8 — Est copula propositionis cum præcedenti significans *quod* aut infinitum latinum v. gr. ܫܡܥܬ ܕܡܝܬ ܪܫܝܥܐ (*audivi quod impius mortuus est*).

9 — Venit ante aoristum vicem gerens particulæ

ut quæ regit subjunctivum aut infiniti qui ejus significationem habet, v. g. ܦܩܕ ܕܢܐܬܘܢ (*jussit ut venirent*), ܒܥܐ ܐܢܐ ܕܐܚܙܝܘܗܝ (*volo videre eum*).

10 – Venit ante aoristum et vicem gerit *ut* particulæ quæ significat causam finalem, v. gr. ܩܪܝܬܟ ܕܬܥܕܪܢܝ (*vocavi te ut me adjuvares*).

11 – Occurrit media inter conjunctiones seu particulas et propositionem quam illæ regunt, uti vidimus, v. gr. ܡܛܠ ܕܐܚܒܬܟ (*quoniam dilexi te*), ܐܝܟ ܕܐܡܪܬ (*quemadmodum dixisti*), ܒܬܪ ܕܐܙܠ (*postquam ivit*).

12 — Significat *ubi*, *quo*, si venit post nomen loci, ܗܐ ܠܕܝܢܐ ܥܐܠ ܐܢܐ ܐܬܪܐ ܕܐܚܐ ܠܐܚܘܗܝ ܠܐ ܦܪܩ (*jam in judicium ingredior, ubi frater non potest liberare suum fratrem*).

13 – Significat derivationem et ejus vicem gerit. Nam substantivo conjuncta illud reddit adjectivum sensu. Sic nomina numeralia cardinalia reddit ordinalia, ut ܕܬܪܝܢ (*secundus*), ܕܬܠܬܐ (*tertius*), ܕܥܣܪܐ (*decimus*); ex. gr. ܕܬܠܬ ܙܒܢܝܢ (*tertia vice*), ut distinguatur a ܬܠܬ ܙܒܢܝܢ (*ter*); item ܡܡܠܠܐ ܕܪܘܚ ܠܐ ܡܣܬܟܠ ܠܗ ܒܪܢܫܐ ܕܒܣܪ (*sermonem spiritualem non intelligit homo carnalis*). Hac ratione usus ܕ est frequentissimus; imo necessarius est cum adjectivum per derivationem formari nequit, v. gr. ab adverbiis, ut ܕܠܥܠ (*supernus*), ܕܠܬܚܬ (*infernus*), ܕܠܒܣܬܪ (*posterior*), ܕܗܪܟܐ (*relativus ad illum locum*), ܕܫܥܬܐ (*extemporaneus*),


ܕܠܥܠܡܝܢ (*sempiternus*). Pluralis exprimitur per ܗܠܝܢ ante ܕ, ex. gr. ܥܒܕ ܗܠܝܢ ܕܡܚܝܒܢ (*fac obligatoria*).

14 – Copulatur ܕ cum ܒܝܬ ad significandum *cœtum, gentem, stirpem, factionem*, ut ܕܒܝܬ ܡܘܫܐ (*Moysis gens*, seu *collegæ*, seu *consocii*, etc.

15 – Sæpe ܕ est particula redundans emphasis gratia, id autem frequentissimum est cum ܐܝܟ sequente pronomine demonstrativo, ut ܠܐ ܚܙܝܬ ܕܐܝܟ ܗܢܐ ܓܒܪܐ (*non vidi talem virum*), ܕܐܝܟ ܗܠܝܢ ܡܠܐ ܡܡܠܠ ܐܢܬ (*taliane loqueris?*). Aliquoties in tali casu duplicatur ܕ per pleonasmum, ut ܐܬܚܪܒ ܥܘܬܪܐ ܕܕܐܝܟ ܗܢܐ (*destructa est opulentia talis*).

16 – Potest esse ܕ pro ܒ *concomitantiæ*, id autem famosum est cum ܠܐ (*non*), ut ܐܙܠ ܕܠܐ ܙܝܢܐ (*profectus est sine armis*).

585 – Propter varietatem autem significationis particulæ ܕ, non raro repetita occurrit in eodem vocabulo, ut ܗܝܡܢ ܕܕܡܪܝܐ ܗܝ ܐܪܥܐ (*credo Domini esse terram*). Quod huic particulæ speciale est, cum ceteræ particulæ nunquam in eadem voce repetantur.



APPENDIX

DE ARTE POETICA APUD SYROS.



ARTICULUS I

DE POESI LINGUÆ SYRIACÆ.

Ignotum est utrum temporibus antiquis aliquis ex doctis Syris adgressus sit librum de poesi Syriaca scribere. Antiquissimum, quod sciamus, opus de arte poetica apud Syros, quod ad nos pervenerit, composuit unus ex doctis Jacobiticæ sectæ, nomine Jacobus Severius dictus Bartellensis qui seculo XIII° ineunte floruit. Attamen hic auctor de arte poetica tractavit prout suum acutum ingenium ipsi suggessit, non prout ea est in praxi apud Syros, neque prout luminaria litteraturæ Syriacæ, Ephræm, inquam, Isaac, Jacob Saruggencis, Narsai, alii insignia exempla poeseos tradiderunt. Quod opusculum Jacobi Bartellensis lucem vidit nostro seculo per cl. syriologum Gallum, presbyterum Martin cum versione Gallica (1). Anno autem 1875 optimus monachus Maronita, Gabriel Cardahi, Romæ in lucem dedit opusculum a se Arabice compositum de poesi Syriaca, cui titulum fecit الكنز الثمين (*Pretiosus Thesaurus*), in quo magis diffusus fuit in enumerandis ac breviter describendis omnibus viris qui hucusque Syriaco metro in omnibus regionibus ac sectis scripserunt, pauca de ipsa arte versus faciendi tradidit. Idem auctor nonnulla de elemen-

(1) V. De la Métrique chez les Syriens par Mr l'abbé Martin. Leipzig 1879.

tis poeseos Syriacæ attigit in fine suæ grammaticæ Syriacæ quam Arabice Romæ edidit anno 1880.

Nos in hac Appendice omnia quæ de poetica arte scitu digna sunt, quam breviter sed non parce exponere satagemus, secundum quod ex obviis libris poetarum Syrorum melioris notæ colligere nobis datum est.

Itaque apud antiquissimos Syros certe poetæ exstitere, at nescimus prorsus qualis fuerit eorum poesis ante seculum Christi III^m^, cum nihil illo seculo anterius metrice compositum ad nos pervenerit, ita ut ne nomen quidem *poeseos* vel *poetæ* antiqui Syri nobis reliquerint, quod posteriores Syros induxit ut nomen *poetæ* ab exotica lingua idest a Græca tam aliena a lingua Syriaca tum origine tum indole mutuarentur (quod et ipsi Latini Græcis affines fecerunt) ; etenim Syri *poetam* dicunt ܦܘܐܝܛܐ (Orientales ܦܘܐܝܛܐ); *poeseos* autem nomen non a Græcis ipsis acceperunt, sed a ܦܘܐܝܛܐ dixere Syriaco more ܦܘܐܝܛܘܬܐ , quod tamen potius significaret poetæ qualitatem seu professionem quam ipsam poesim (1) .

Pars poematis certo numero versuum constans seu *stropha* dicitur Syriace velut et Arabice ܒܝܬܐ , quod non

(1) Dignum est observatione quod cum poesis in omnibus linguis etsi parum aut nihil cultis existat, paucissimæ tamen sunt linguæ quæ *poesi* et *poetæ* nomen posuerint. Nam omnes fere Europæ linguæ vel ipsa Latina hoc nomen a Græca mutuatæ sunt: etsi Germanica lingua nomen habet quod non videtur esse barbarum, hoc nomen ab alia notione recenter translatum esse debet. Ex populis autem Semiticis, sola Arabica gens nomi[illegible]enuina posuit *poeseos*, *poetæ*, *compositionis metricæ*, *versificantis*, etc. Syri, si rationales esse voluissent, debebant ex Arabica lingua suæ linguæ quam maxime affini ejusque germana sorore hæc nomina assumere dicentes ܣܩܠܢܐ (*poeta*) et ܣܩܠܢܐ (*poesis*), potius quam mendicare a lingua alienissima quæ tam longe a sua lingua origine et indole distat. Sed litterati non semper philologi vel philosophi sunt vel in ipsa illuminatissima Europa

videtur ad Arabibus imitatum. Summa stropharum seu versuum, scilicet *carmen* seu *poema*, dicitur modo ܡܐܡܪܐ, modo ܡܕܪܫܐ, modo ܣܘܓܝܬܐ, vel ܥܢܝܢܐ, vel ܩܠܐ juxta diversitatem modi et metri. Hæ sunt species poematis Syriaci, quæ non usurpantur nisi in compositionibus religiosis vel potius ecclesiasticis Nestorianorum, Jacobitarum et Maronitarum excepto ܡܐܡܪܐ quod in omni poeseos specie adhibetur. Præter has species habent Nestoriani et Jacobitæ in suis libris liturgicis alias quibus singuli utuntur in suis officiis religiosis tantum, quales sunt ܒܥܘܬܐ et ܡܥܢܝܬܐ apud Jacobitas, et ܬܫܒܘܚܬܐ apud Nestorianos. Mirari hic liceat Syros suum ingenium poeticum nonnisi in rebus religiosis ac ecclesiasticis exercuisse, nam paucissimæ sunt elucubrationes poeticæ Syriacæ circa alias materias versantes.

Metrum nominant Syri ܡܫܘܚܬܐ.



ARTICULUS II

ENUMERATIO CELEBRIORUM POETARUM SYRORUM

Quomodo fuerit poesis apud Syros tribus prioribus Christi seculis, ignoramus ut supra dictum est.

Inter antiquissimos poetas Syros nobis notos memorandus est primo famosus hæresiarcha Bardaisanes qui II° Christi seculo Edessæ floruit, quique elegantissima æque ac acutissima carmina metris novis a se in-

ventis composuit, quæ a populo et a religionis ministris publice in ipsis eccelsiis canebantur quamquam pravas abderent doctrinas; res ita permansere donec seculo IV° apparuit S. Ephræm qui nova carmina longe elegantiora ac eminentiora ipsis metris a Bardaisane inventis composuit, quæ sanam doctrinam sublimioremque scientiam divinam celebrabant, ita ut poemata Bardaisanica omnino evanuerint nihilque ex iis ad nos pervenerit.

Ex viris qui metrica compositione seculo III° noti fuere, commemorandus est Simeon Barsabbaʿe, cujus adhuc exstant varia carmina religiosa genere dicto ܥܘܢܝ̈ܬܐ composita, quæque partem liturgiæ ecclesiæ Nestorianicæ formant.

Seculo IV° floruit magnus Ecclesiæ et nationis Syræ doctor et lumen et gloria, S. Ephræm Edessenus dictus per antonomasiam Syrus, quem licet appellare primum, eminentiorem ac sublimiorem Syrorum poetam. Eum imitati sunt sed non attigerunt eminentes poetæ qui postea apud Syros innotuerunt. Carmina Ephræmi tam multa sunt ac mirum in modum copiosa ut adhuc eorum verum numerum assequi non potuerint investigatores, quamquam omnis solertia ac liberalitas in eis exquirendis impensa sit. Ephræmi nomine notum est genus carminis quod dicitur ܡܫܘܚܬܐ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ quamquam non hoc genere dumtaxat usus sit sanctus doctor sed innumeris aliis generibus.

Circa seculum IV innotuit etiam in Syriaca poesi quidam Cyrillona, cujus vel ipsum nomen ignotum erat usque ad præsentis seculi initia, cum plurima hujus insignis poetæ carmina religiosa detecta sunt, quæque omnia eo genere quod dicitur Ephræmiticum composita sunt.

Cum circa illam ætatem controversiæ et dissensiones religiosæ nationem Syram et totum Orientem deplorabili modo lacerare cœperint, inde in quatuor principaliores sectas religiosas divisa est natio Syra, scilicet Orthodoxorum qui dicuntur Melchitæ, Nestorianorum, Jacobitarum et Maronitarum. Prima quidem secta nullum notum poetam produxit præter Isaac et Balæum ܒܠܝ de quibus mox. Maronitica autem gens ignoratur utrum præteritis seculis aliquem poetam mentionis dignum habuerit. Itaque omnes peotæ Syri inde a seculo VI et deinceps aut ad Nestorianos aut ad Jacobitas pertinent. Postquam tamen seculo circiter XIV sol litteraturæ Syriacæ a scholis Nestorianorum et Jacobitarum occidit, renasci visus est apud Maronitas inde a XVI seculo, quodam cum splendore, qui tamen temporibus prioribus comparatus, vix crepusculum dici potest.

Ut ad seriem poetarum Syrorum revertamur, sec. V° Antiochiæ floruit S. Isaacus cognomento magnus, præstantissimus poeta sacer, cujus carmina fere omnia metro Ephraimitico composita sunt.

In eodem seculo V° innotuit apud Jacobitas collegium quoddam poetarum quibus datum est nomen ܩܘܩܝܐ, quorumque antesignanus erat Simeon dictus propter hoc Cucita. Hi innumera sacra poemata pro ecclesiastico usu composuerunt, quæ in liturgiam Jacobitarum et Maronitarum introducta sunt sub hoc titulo ܩܘܩܝܐ.

Celeberrimus Nestorianorum poeta est Narsai seu Narsæus, quem sui Spiritus sancti citharam appellant. Famam adeptus est Narsai primo in schola celeberrima Edessæ, postea se Nisibin contulit ibique aliam æque

celebrem scholam fundavit. Obiit seculo V° labente. Maxima pars carminum Narsai metrum dictum a Jacobitis Jacobiticum præseferunt.

Apud Jacobitas seculo V° et VI° claruit poeta celeberrimus Jacobus Sarugensis, i. e. episcopus Sarug, qui meretur primum locum post S. Ephræmum præstantiæ occupare. Ejus carmina omnia metro ter quaterno composita sunt, quod propter hoc Jacobiticum dicitur a Jacobitis et Maronitis.

Seculo VII vixit apud Jacobitas Jacobus Edessenus i. e. episcopus Edessæ, qui aliis litterariis meritis eminentibus addidit titulum poetæ, utpote qui multas composuit poeticas elucubrationes varii generis, venustate et sublimitate non carentes. Omnes hæ Jacobi Edesseni elucubrationes metricæ sunt de genere dicto ܡܕܪ̈ܫܐ, quas pro diebus festis per anni circulum composuit juxta ritum Jacobitarum in eorumque officium inseruit ecclesiasticum quo usque ad hunc diem Jacobitæ et Maronitæ utuntur.

Iisdem seculis V°, VI° et VII° alii innotuere apud Nestorianos et Jacobitas poetæ, longe iis quos commemoravimus inferiores.

Atque hic finem habuit prima periodus litteraturæ Syriacæ in qua suam paritatem ac naturalem elegantiam conservavit hæc litteratura, quæque scriptores classicos, quos nunquam potuerunt posteriores assequi, eminenti gradu produxit et præsertim poetas. Post hanc epocham quam auream licet nuncupare, idest post seculum VIII°, cum res omnes Orientalium populorum per invasionem et occupationem Arabum Muhammedanorum, *proh dolor!* conturbatæ ac subversæ fuerint, cumque inter cetera linguam Syriacam Arabica in omnibus fere

regionibus paullatim prostraverit ejusque locum occupaverit, cœpit Syriaca litteratura declinare ac ad ruinam vergere donec seculo XIII labente fere extincta sit. Tamen ipso hoc seculo antequam in totalem ruinam litteratura Syriaca incideret, extremum, ut ita dicam, visa est adhibere conatum ut iterum sese erigeret per celeberrimum virum, totius nationis Syræ splendorem et gloriam, Gregorium, inquam, Barhebræum cognomento Abulfarag qui omnibus litterarum humanarum ac scientiarum generibus versatus fuit, atque inter cetera ipsa poesi. Per Barhebræi obitum fere totaliter extinctum est lumen Syriacæ linguæ, saltem agud Occidentales.

Inter causas quæ ad offuscandam litteraturam Syriacam verterunt, pessimum criterium numerandum est quod scholas Syriacas illis seculis ita invasit ut scriptores et præsertim metrici (nam non omnes poetæ nomen merentur) plus verbis quam sensui studerent, quodque insulsissimum homoœteleuti usum, lusum verborum, ingratissimas etymologias ac derivationes, frequentissimum verborum exoticorum (barbarorum dixerim) abusum, similiaque vitia litteraria produxit. Non defuere certe illi longæ epochæ qui metrice scripserint, qui tamen haud merentur cum poetis primæ epochæ comparari ab eisque longissime distant. Tres tamen a ceteris distingui debent, qui apud Nestorianos quadam celebritate innotuerunt, Georgius Warda et Khamis bar Qardahh qui ad seculum XIV pertinent, et Ebedjesus Sobensis qui ad seculum XIVm. Omittimus consulto ceteros nominare.



ARTICULUS III

DE PARTIBUS CARMINIS SYRIACI.

Carmen in lingua Syriaca sicut in omnibus mundi linguis, constat versibus habentibus singulis eandem mensuram seu dispositionem syllabarum. In nobilioribus quidem antiquis linguis, ut Græca, Latina, Sanscredamica et Arabica, duo in syllabis considerantur ad rectitudinem versus, numerus et quantitas, notum est autem per quantitatem intelligi longitudinem vel brevitatem syllabarum. In aliquibus linguis non consideratur quantitas syllabarum, sed accentus tantum, ut sunt fere omnes linguæ Europææ hodiernæ. In lingua autem Syriaca neque quantitas neque accentus in syllabis consideratur, sed numerus tantum, nam omnes vocales in hac lingua unam quantitatem habent, cum omnes sint vel longæ vel clausæ, quæ metrice æquivalent longis. Omnis igitur vocabuli Syriaci, quamquam longissimi, omnes syllabæ, sive initiales, sive mediæ sive finales, qualicumque numero litterarum constent, eandem omnino habent metrice quantitatem; unde ex.gr. monosyllaba ܗܘܐ, ܡܘܬ, ܠܚܫ eundem metrice valorem inter se habent ac quæcumque syllaba verbi ܡܫܚܘܐܠܘܬܐ.

Sciendum est Syros cum poesim scribunt, versus per lineas haud separare ut est usus ceterorum populorum et ipsorum Arabum, sed continuo eos scribere ad instar prosæ; attamen omnem versum a sequenti separant per punctum; strophæ autem invicem separantur per quatuor puncta hac forma ⁘ vel hac ⁜



ARTICULUS IV

DE HOMŒOTELEUTO.

Homœoteleuton seu quod hodie in linguis Romanis dicitur *rima*, ignotum erat antiquis Syris; etenim celebriores epochæ aureæ poetæ, Ephræm, Isaac, Narsaj, Jacob ceteri usque ad seculum Chr. IX^m vel potius X^m sine *rima* cecinere musas Syriacas. Pariter Hebræi, Græci, Latini, Indi hoc poeseos ornamentum ignorarunt, imo apud Græcos et Latinos vitium erat duo versus in eandem terminationem exire. Primus populus apud quem homœoteleuton visum fuerit, sunt Arabes, imo videntur Arabes nunquam versus composuisse sine eo. Ab Arabibus illud ceteri populi didicere, inter quos populi Europæi hodierni omnes. At Arabes excedunt limites in adhibenda *rima*, cum integri poematis sæpe longissimi omnes versus una eademque syllaba construunt; Europæi autem populi ad summum quatuor versus eodem sono desinentes tolerant. Imo Arabes etiam in solutam orationem rimam introducunt, quod apud Europæos non licet nisi in proverbiis.

Quandonam autem cœperit rima adhiberi apud Syros, non potest dici cum certitudine, probabilissimum est id non fuisse ante seculum X^m vel ad summum sec. IX^m (1). Ex eo tempore homœoteleuton in Syriaca poesi usque ad hunc diem constanter regnavit. At semper

(1) Monachus Maronita Gabriel Cardahi, a nobis in principio hujus Appendicis commemoratus, asseruit, in sua grammatica pag. 72 homœoteleuton primum apud Syros ineunte seculo VI° a quodam Bar K^haldun introductum esse, sed nescio quo fundamento; nam difficile est mihi credere compositionem metricam a prælaudato monacho citatam in ejus libro de poetis Syris pag. 78 et seq. posse esse fœtum seculi VI^i.

illud amotum fuit a compositionibus metricis librorum liturgicorum apud Jacobitas et Maronitas vigentium, exceptis admodum paucissimis hymnis illius generis quod dicitur ܒܥܘܬܐ. Apud Nestorianos vero, omnes fere compositiones metricæ quæ posterioribus seculis in liturgiam invectæ sunt, rimam habent, in quo usu seu potius abusu famosi sunt apud ipsos duo sacri poetæ ab eis valde celebrati, Georgius Warda et K^h^amis Qardah^h^, quorum carmina quæ liturgiæ Nestorianæ partem formant, discretum lectorem ad nauseam provocant ob inauditas ac insulsas verborum flexiones, derivationes et lusus quibus illa referta sunt quorumque ne umbram quidem invenire est apud classicos scriptores antiquos, quæ omnia excessivæ cupidini homœoteleuti tribuenda sunt.

Rima apud Syros ab ultima littera consonanti formatur sive quiescenti sive mobili; et si littera una est ex ܒܓܕܟܦܬ, indifferens est sonus lenis aut asper, exceptis gamal et caf, unde rima existit inter v. gr. ܡܫܡܫܝܟ et ܐܬܠܒܫܝܟ, et inter ܟܣܝܐ et ܟܠܓܐ; quod equidem extraneum est. Quando autem rima est quiescens, vocalis quæ eam præcedit debet esse eadem, ut ܦܢܝܢ et ܣܓܝܢ, ܠܒܓܝܢ et ܡܟܝܠ ܪܚܝܢ; non licet igitur v.gr. ܢܦܘܩ cum ܢܫܡܫ; at apud Orientales licitum est rimare pt^h^ah^h^am cum zqafa et vice versa, quia hæ duæ vocales eundem sonum habent apud ipsos; quod equidem extraneum est. Imo apud Orientales rima existit inter bet^h^ lene et waw quia eundem sonum habent apud ipsos, ut ܡܣܒܪܐ et ܡܫܬܘܐ, quod mirum in modum extraneum est.

Si ante rimam quiescentem est littera quiescens,

licet hanc præcedentem litteram variare, ut ܡܛܠܬ, ܦܪܝܫܬ et ܠܝܬ. Sin autem rima est mobilis, sufficit quod ejus vocalis eadem sit, ut ܡܪܝܡܐ et ܢܣܡܐ; non licet igitur, ex. gr., apud Occidentales ܟܫܡܫܐ et ܟܐܦܐ. At littera quæ præcedit rimam mobilem potest habere quamcumque vocalem longam vel quiescens esse, unde rima existit ex. gr. inter omnia sequentia verba: ܢܗܘܪܐ, ܗܘܝܢܐ, ܓܠܠܐ, ܟܘܪܐ. ܡܣܩܢܐ, ܡܘܪܐ, ܫܘܪܐ, ܡܢܐ, ܕܘܪܐ, ܠܒܢܐ. Item inter ܢܫܐ, ܡܫܐ, ܟܣܐ, ܦܢܘܫܐ, ܟܠܫܐ, ܡܓܗܫܐ, ܪܫܐ, ܡܠܒܘܫܐ. Item inter ܟܚܘܒܠܬܐ, ܐܘܠܝܐ, ܠܡܕܒܝܐ, ܡܕܢܚܝܐ, ܐܕܠܬܐ, ܟܢܕܠܬܐ, ܡܫܢܝܐ, quæ omnia sanum criterium moleste fert. Litteræ autem quæ non leguntur, non mutant conditionem *rimæ*, nam sonus solus in *rima* consideratur, unde rima exstat inter ܡܫܝܢ et ܡܫܟܝ, inter ܟܠܗܘܢ et ܗܘܐ ܗܘ, inter ܐܪܟܗ, ܡܥܠܠ et ܡܛܠܢ.

Rima potest vel variare ita ut unaquæque stropha diversam in suis membris seu versibus *rimam* habeat, vel eadem esse in omnibus poematis strophis, quod ultimum rarum est. Non adhibetur autem *rima* nisi in compositionis metricæ genere, cujus omnia membra æqualia sunt; tunc enim omnis stropha constat quatuor (raro sex) versibus seu membris, quæ habeant omnia unam eandemque *rimam*, vel quorum singula bina habeant suam, vel quorum denique tria priora sint sine vel cum propria rima, quartum vero vel per paria aut per

trina habeat suam vel eandem habeat per totum poema, id est rima sit eadem sive in quarto versu vel uniuscujusque paris aut trini aut omnium poematis strophis. Alternationem rimæ non cognoscunt Syri. Denique licet apud Syros eamdem rimæ vocem in duobus vel amplius successivis versibus repeti, etsi eundem habeat sensum.

Syri non solum *rimæ* usum in compositione metrica ab Arabibus didicere, sed etiam in soluta oratione, sed fatendum est hoc ultimum admodum rarum esse et apud Barhebræum nonnisi in operum ejus præfationibus illud invenitur.

Rimæ similis est *acrostichis*, quæ est compositio metrica cujus primæ versuum seu potius stropharum litteræ determinatum nomen proprium vel vocabulum vel phrasim formant. Hoc ornamenti poetici genus quod in Hebraica sacra poesi notissimum est et litteras alphabeti pro basi habet, usitatissimum est apud Syros, præsertim apud S. Ephræmum, cujus compositiones metricæ, potissimum eæ quæ ad genus dictum ܡܕܖ̈ܫܐ pertinent, sæpe habent in initio stropharum litteras alphabeti sive sigulares sive binas, sive ordine recto sive inverso. Habet etiam S. Ephræm aliquoties in suis $mad^{h}ras^{h}is$ acrostichidem formatam ex quinque litteris sui nominis ܐܦܪܝܡ aut alius nominis vel phraseos. Rarissime acrostichis in membris unius strophæ concluditur; id tamen frequens est in compositionis Græcæ genere quod dicitur ܩܢܘܢܐ *canon*, quodque in Græcorum libris liturgicis passim cernitur; cum autem Syri has compositiones seu *canones* in suam linguam converterint et in suam liturgiam introduxerint, hujusmodi acrostichidem in versione imitati sunt.

Alia ornamenti litteralis genera habent Syri in sua poesi, in quibus acutissimum auctoris ingenium et magna vis ad attrectanda seu flectenda vocabula et litteras et ab iis extrahenda ingeniosos verborum lusus, sed in quibus fere semper sensus deficit vel infirmus evadit elegantiamque atque fluiditatem amittit. Hac re distinxit se maxime unus ex posterioribus sectæ Nestorianæ litteratis, Ebedjesus episcopus Sobæ seu Nisibis seculi XIV scriptor; qui hanc maxime arduam viam trivit in conscribendo suo famoso opere cui titulus ܦܪܕܝܣܐ quodque refertum est exquisitissimis singularitatibus sed litteralibus non autem rhetoricis.

Hic auctor suum librum composuit ut æmularetur et vinceret celeberrimum pœtam Arabem H^{h}ariri, qui in suo divano dicto مقامات hujusmodi genus ornamenti litteralis feliciter tractavit ac executus est, Arabibusque ostenderet justa suam prætensionem linguam Syriacam non minus divitem , flexibilem et fluidam esse quam Arabicam: quoad primum quidem id est æmulationem H^{h}ariri, negari nequit poetam Syrum victoriam tulisse, cum verborum rarissimæ ac difficillimæ singularitatis quibus Ebedjesus sua poemata replevit, apud H^{h}ariri nec reperiuntur nec reperiri poterant; item forte dici posset de flexibilitate ac fluiditate linguæ Syriacæ ; at quoad copiam, longe distat a veritate prætentio Ebedjesus.



ARTICULUS V

DE MODIS VERSUS SYRIACI.

Syri modum versus appellant eodem nomine ac metrum ܡܫܘܚܬܐ. Modi autem versus Syriaci multi sunt qui nonnisi syllabarum numero inter se differunt ut supra dictum est.

Versus autem pedibus constat. Præcipui vero pedes sunt quinque: Pes ternarius, i. e. tribus syllabis constans, ut ܩܘܡ ܗܠܟ; quaternarius, ut ܫܡܥܘܢ ܠܟ; quinarius, ut ܫܘܒܚ ܠܟ ܗܕܪܐ; sexius, ut ܐܘܕܘ ܠܡܫܝܚܐ ܒܕܠܘܐ; denique septenarius, ut ܐܒܘܢ ܐܦܩܢ ܟܠܗ ܠܒܪܝܬ. Hi sunt pedes quibus versus Syriaci cujuscumque generis poetici componi possunt, præsertim duo genera dicta ܡܐܡܪܐ et ܡܕܪܫܐ, sive simplicibus sive compositis. Nam, ut diximus supra, præcipua metricæ compositionis genera apud Syros, sunt hæc nominibus Syriacis expressa: ܡܐܡܪܐ, ܡܕܪܫܐ, ܣܘܓܝܬܐ, ܩܠܐ, ܡܥܢܝܬܐ e ܟܢܘܢܐ quod etiam dicitur ܩܢܘܢܐ.

Sciendum est autem omnes poeticas compositiones generis ܡܕܪܫܐ quæ in libris liturgicis Nestorianorum, Jacobitarum et Maronitarum exstant esse auctoris S. Ephræmi, paucissimis exceptis; omnia quoque exempla quæ citaturi sumus, ejusdem esse doctoris; item plurimas eorumdem librorum liturgicorum compositiones generum

ܥܢܝܢܐ et ܩܠܐ, eundem habuisse auctorem, ideo has compositiones inter se simillimas esse in trium dictarum ecclesiarum libris. Singula prædicta genera poetica diversos comprehendit modos, præsertim genera ܡܕܪܫܐ, ܩܠܐ ܥܢܝܢܐ. Omnis modus notatus est titulo particulari seu eo quod in libris liturgicis Græcorum dicitur ΕΙΡΜΟΣ. Sed tituli eorumdem modorum sæpe differunt inter Nestorianos, Jacobitas et Maronitas.

His præmissis operæ pretium existimamus esse præcipuos modos singulorum generum poeticorum ܡܐܡܪܐ, ܡܕܪܫܐ, ܣܘܓܝܬܐ, ܩܠܐ et ܥܢܝܢܐ explicare. Omnes hi modi metrici duabus speciebus concluduntur, ad quarum alteram carmina uniformia pertinent, altera continet carmina difformia. Prior modus in tres classes dividitur.

Igitur prima classis carminum uniformium est septenaria, quæ scilicet componitur pedibus septem syllabarum, ut ܠܐ ܢܐܪܫܐ ܒܠܒܟ ܠܐܚܘܟ. Hoc metrum simile est jambico Græcorum et Latinorum et illi Arabum quod dicunt رَجَز, at in numero syllabarum, non autem in quantitate. Hoc metro maxima pars poematum S. Ephræmi composita est, ideoque ejus nomine distinguitur ut diximus; eodem metro scripsit etiam Cyrillona et Isaac nuncupatus Magnus qui seculo V° floruere. Hoc metrum in genere poetico quod dicitur ܡܐܡܪܐ, habet pro hirmo seu titulo apud Jacobitas et Maronitas ܡܘܫܚܬܐ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ, a Nestorianis vero nuncupatur ܡܢܝܬܐ ܐܦܪܝܡܝܬܐ aut ܡܢܝܬܐ ܕܐܦܪܝܡ; ejus versus

dividuntur in disticha, ut ܕܚܘܒܗ ܡܠܟ ܟܠ ܠܒܪ̈ܝܬܗ ܘܩܘܝܡܗ ܡܫܬܥܒܕܝܢ ܠܗ. Verum in libris liturgicis Jacobitarum et Maronitarum extat genus hymni cujus versus sunt septenarii divisi per strophas quarum singulæ quatuor, sex vel alio pari versuum numero constant; hæ autem strophæ fere semper quatuor sunt. Hoc genus metricæ compositionis dicitur ܡܕܪܫܐ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ. In ceteris autem generibus hoc metrum potest habere strophas constantes quatuor, quinque, sex, octo vel decem versibus. In genere quidem ܡܥܢܝܬܐ, species metri cujus titulus ܒܥܠܐ ܘܒܥܠܬܐ vel ܫܘܒܚܐ ܠܟ ܡܪܝ habet strophas singulas quatuor versibus constantes; en exemplum strophæ hujus metri: ܐܘ ܒܪܐ ܡܪܢ ܐܝܟܢ ܘܒܝܬ ܥܦܪܐ· ܟܫܝܪܐ ܘܡܠܐܟܐ ܠܫܘܒܚܟ· ܘܒܢܝܢܫܐ ܕܟܠܐ ܠܬܘܕܝܬܐ· ܡܫܒܚ ܟܠ ܡܢܗ ܘܐܦ ܐܢܫܐ ܕܡܢܗ. Huic simile est ܡܕܪܫܐ cui titulus ܗܢܐ ܫܘܒܚܐ ܡܫܝܚ ܡܪܢ, et ܩܠܐ cujus hirmus est ܐܬܩܢܘܗܝ ܟܠܒܐ ܕܡܠܟ ܡܪܢ, et ܟܢܘܢܐ cui titulus ܠܟܘܢ ܡܪܢܐ ܒܢܘܫܡܥܐ, et aliud ܟܢܘܢܐ nuncupatum ܫܒܚܘ ܠܟ ܡܪܢܐ, et tertium dictum ܠܒܥܐ ܐܠܐ ܘܫܡܝܐ, et alia. Strophæ singulæ mad^h^ras^h^i cujus hirmus est ܕܡܘܪܝܐ, quinque habent versus septenarios. Exemplum: ܥܒܕܐ ܕܢܘܪܐ ܒܡܘܢܬܐ· ܡܠܐ ܘܡܫܠܡ ܦܘܡ ܡܢ ܐܢܫ ܐܠܗܘܢ ܕܡܢ ܐܒܪܫܝܬܗܘܢ· ܠܐ ܗܘܐ ܡܫܠܡ ܕܡܫܠܡܘܬܗܘܢ· ܐܠܐ

ܒܥܘܢ ܕܐܬܩܛܠܘܢ. Strophas sex versibus septenariis constantes habet mad^{h}ras^{h}i species cujus titulus tum apud Nestorianos, tum apud Jacobitas est ܘܠܟ ܢܘܚܐ. Exemplum strophæ: ܚܣܝܐ ܙܕܩܐ ܘܠܐ ܡܫܬܒܩܘܢ. ܐܬܡܠܠ ܥܡܝ ܟܠܠ ܦܘܩܕܢܝ. ܦܘܩܕܐ ܕܪܒܐ ܕܢܡܠܠ. ܟܠ ܐܢܫܐ ܘܠܐ ܡܢ ܡܠܠ. ܠܚܒܪܘܗܝ ܐܡܝܢܐ ܠܟܘ. ܘܠܡܪܘܗܝ ܠܐ ܡܫܩܠ ❋ Huic simile est ália mad^{h}ras^{h}i species nuncupata ab utrisque ܡܥܝܪܢܐ ܡܪܢ ܠܟ ܠܒܢܝܢܢ, et ܩܠܐ habens titulum apud Jacobitas ܕܒܝܬ ܓܙܐ ܡܢ ܐܬܘܗܝ, et apud Nestorianos ܡܘܕܪܘܬܗ ܕܒܪܬܐ et ܟܢܫܐ quod Jacobitæ nuncupant ܠܒܢܝ ܕܥܡܬܐ ܘܐܘܟܝ, et aliud ab iisdem nuncupatum ܡܫܝܚܬܐ ܕܪܚܡܐ.

Strophas octo versibus septenariis constantes habet species mad^{h}ras^{h}i cui titulus apud Jacobitas ܡܫܒܚܐ ܘܡܫܡܫܐ et ܕܢܝܫܠܘܗ ܕܒܪܬܐ apud Nestorianos. Exemplum strophæ: ܠܗܐ ܚܘܒܠܐ ܠܡܫܪܘܬܐ. ܐܡܢ ܢܡܘܣܐ ܕܟܠ ܩܕܝܫܘܗܝ. ܡܫܡܠܝܐ ܓܡܝܪܐ ܡܫܪܘܬܐ. ܘܟܢܫܐ ܠܡܘܡܢܗ ܕܘܚܠܐ. ܡܢ ܩܕܝܫܐ ܕܢܒܝܐ ܟܢܫܐ. ܕܒܝܬ ܟܠ ܡܢ. ܕܥܡ ܠܐ ܡܘܕܐ ܥܡ ܡܫܪܘܬܐ. ܐܒܗܬܐ ܘܡܘܕܐ ܠܟ ܢܡܘܣܐ ❋

Strophas denique decem versibus septenariis constantes habet mad^{h}ras^{h}i species cui titulus ܡܠܘ ܟܠ ܟܠ ܥܢܘܝܐ apud utrosque. Exemplum strophæ: ܐܬܘܕܝ

ܕܒܘܬܐ ܕܚܕ ܬܘܕܝ܃ ܐܘ ܡܫܡܘܬܐ ܕܚܕ ܟܠܗ ܥܠܡܐ܃
ܘܒܠܒ ܡܢܝ ܘܠܐ ܡܫܡܥܢܐ܃ ܐܝܟ ܐܟܘܬ ܠܒܢܝܢܫܐ܃ ܕܐܢ
ܐܫܬܡܥ ܐܝܟ ܒܪ ܛܒܐ܃ ܘܐܢ ܐܬܩܛܠ ܐܝܟ ܒܪ ܡܠܟܐ܃ ܘܐܢ
ܐܬܡܟܟ ܐܝܟ ܡܣܟܢܐ܃ ܐܝܟ ܐܘܡ ܡܠܟܘܬܗ ܕܐܘܣ܃ ܐܝܟ ܛܒܐ
❀ ܐܘ ܒܪ ܛܒܐ܃ ܫܘܒܚܐ ܠܟ ܕܗܘܐ ܠܐܒܘܗܝ

Secunda carminis uniformis classis habet versus quorum singuli constant tribus pedibus quaternis separatis ab invicem, unde summa cujusque versus est duodecim syllabæ. Hæc metri species dicitur a Jacobitis ܡܫܘܚܬܐ ܕܡܪܝ ܝܥܩܘܒ (*metrum domini Jacobi*), qui est Jacob Sarugensis episcopus poeta celeberrimus seculi VI qui hoc metro ingens volumen composuit sacrorum poematum. Nestoriani hoc metrum appellant ܡܐܡܪܐ ܕܢܪܣܝ vel ܡܐܡܪܐ ܢܪܣܝܐܝܐ quia hoc metro alter Nestorianæ sectæ celeberrimus ejusdem seculi poeta Narsaj omnia sua carmina composuit. Hæc metri species nonnisi in ܡܐܡܪܐ usitatur, ejusque strophæ constant distichis fere semper ab invicem sensu separatis. Ex *memris* autem hujus generis extraxerunt Jacobitæ speciem hymni quæ dicitur ܒܥܘܬܐ ܕܡܪܝ ܝܥܩܘܒ, simile quoad versuum dispositionem et usum liturgicum illi quæ dicitur ܒܥܘܬܐ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ; etiam in liturgiam Maronitarum hæc carminis species introducta est. Hoc metrum nullibi extra ܡܐܡܪܐ et ܒܥܘܬܐ inde extractæ invenitur nisi in una tantum madhrashi specie a Jacobitis nuncupata ܩܕܡ ܕܪܐ

ܠܟܝ, et a Nestorianis ܒܩܝܢ ܕܝܒܬܡܘܗ, cujusque compositiones non pertinent ad S. Ephræmum. Exemplum strophæ:

ܡܢܝ ܠܟܠܡܢܘܐ · ܚܛܐ ܕܟܠܐ · ܡܥܡܝ ܣܟܠܐ : ܘܦܬܚ ܠܐܘܪܚܐ · ܕܐܣܬܝܪܝܢ ܗܘܘ · ܒܐܦܝ ܐܢܫܐ : ܠܫܡܝ ܕܟܝ ܒܘܣܡܐ ܠܥܡܐ ܡܒܥܝ · ܘܡܚܘܐ ܐܢܘܢ : ܘܐܡܝܢ ܐܢܘܢ · ܫܡܠܐ ܕܗܘܝܐ · ܠܟܠܗܘܢ ܫܡܝܐ ❀

Tertia denique classis carminum uniformium habet versus quinarios, i. e. quorum singuli quinque constant syllabis; ejus titulus apud Jacobitas est ܡܫܘܚܬܐ ܕܡܪܝ ܒܠܝ (*metrum domini Balæi*), qui Balæus incertum est qua ætate vixerit, sed non post seculum V^m; parum autem ex ejus compositionibus metricis ad nos pervenit quæ omnia hoc metrum exhibent. Hoc metro etiam S. Ephræmus valde plura carmina composuit. Hoc metrum præter ܡܐܡܪܐ, adhibetur in generibus poeticis ܩܠܐ, ܬܘܪܓܡܐ, ܬܫܒܘܚܬܐ et ܒܥܘܬܐ. Ex madʰrasʰis species quæ apud Jacobitas titulum habet ܐܠܐ ܠܟܣܢܘ ܡܣܘܪܐ et apud Nestorianos ܥܠ ܟܐܒܐ ܥܠ ܡܣܝܢ; singulæ strophæ quatuor constant versibus; en strophæ exemplum: ܩܠܐܪܐ ܕܠܐ ܢܠܟܡܘܗ · ܐܘܡ ܕܦܘܪܫܢܐ · ܡܘܠܕܐ ܒܦܘܪܩܢܗ · ܐܠܐ ܐܫܡܫ ܒܫܡܝܢܐ ❀

Alia madʰrasʰi species cui titulus apud Jacobitas ܬܫܡܫܬܐ ܐܡܬܝ ܠܗܘ, et apud Nestorianos ܒܩܝܢ ܕܒܝܬܡܘܢ ܕܝܢܐ, habet hoc metrum, sed ejus strophæ quinque constant versibus; en strophæ exemplum: ܒܝܢ ܕܡܫܐ ܒܫܠܘܗ ·

ܘܦܪܩ ܠܒܘܣܡܐ ܠܓܘܫܡܗ ܕܡܠܟܐ ܟܠܗ. ܠܓܘܫܡܗ. ܡܪܝܡ ܠܟ
ܗܘ ܗܘ ܠܓܘܫܡܐ . ܟܠܗ ܠܓܘܫܡܗ ܠܟܠܟܘܢ ❊ Etiam species ܡܠܐ quæ titulum habet ܟܠܠ ܐܡܪܐ ܕܡܫܝܚܐ, et ܟܢܫܐ quæ nuncupatur ܕܒܘܠܟܐ ܡܘܕܥܢܐ , et aliæ hoc metro componuntur . Omnium autem harum specierum strophæ sunt quaternariæ : Sed omnium notissimum est ܕܘܒܝܐ seu hymni species, similis illis quæ a S. Ephræmo et a Jacobo nuncupantur et de quibus supra; titulum habet ܕܘܒܝܐ ܕܡܢܐ ܠܡܫܘܡܠܐ vel ܕܘܒܝܐ ܕܡܪܝ ܟܠܗ ; in libris Jacobitarum et Maronitarum frequens ; strophæ quaternariæ.

Atque hæc sunt metri uniformis (id est cujus versus omnes æquales sunt) genera præter quæ nunquam componitur ܡܐܡܪܐ .

Nunc de speciebus metrorum difformium, seu mixtorum. Ardua res esset eas omnes enumerare, tam multæ sunt in omnibus poeseos generibus. En præcipuæ :

Ex mad^hras^his mentionem meretur mad^hras^h cujus hirmus apud Jacobitas est ܗܘ ܠܗ ܡܫܝܚܐ , apud Nestorianos autem ܒܡܠܟܘܬܗ ܕܡܠܟܐ . Ejus stropha constat decem membris ab invicem separatis, quorum unumquodque quatuor constat syllabis; en exemplum ejus strophæ: ܗܘ ܠܗ ܡܫܝܚܐ.
ܕܚܕܝܢ ܟܠܗܘܢ . ܟܠܗ ܡܫܝܚܐ . ܡܥܕܪ ܟܐܢܐ . ܡܣܒܪ ܡܫܪܪ .
ܟܘܠܗ ܓܘܢܐ. ܦܘܪܩܢ ܦܪܘܫܐ. ܐܦ ܐܪܥܝܬܐ. ܫܪܐ ܕܡܣܒܪܘ .
ܐܡܝܢ ܕܟܠܗ ܡܠܟܐ ❊

Aliud madhrash titulum habet ܗܘ ܕܒܠܐ ܡܪܢ ܕܒܠܘ ܫܘܠܡܐ ejus stropha constat octo membris quaternis, divisis in duas partes. Ex: ܐܘ ܠܒܢ ܢܘܗܪܐ · ܕܠܒܫܬ · ܠܒܘܫܐ · ܡܡܘܬܢ ܐܬܠܒܫܬ ܒܕܡܘܬܢ · ܥܒܕܬ ܡܢ ܠܟܠܢ · ܘܦܪܩܬ ܠܟܠܢ · ܘܐܠܒܫܬܢ ܢܘܪܐ · ܟܠܢ ܠܫܘܒܚܐ ܒܝܬ ❊

Tertium madhrash cujus titulus est ܡܘܫܐ ܠܟ ܕܢܗܪܐ, habet in unaquaque stropha duos versus æquales, quorum singuli constant quatuor membris, quorum primum et tertium sunt quinaria, secundum et quartum quaterna. Ex: (1) ܗܘ ܡܫܒܚܐ ܗܘ ܕܡܫܪܪܢ · ܐܒܐ ܦܪܘܫܐ (2) ܘܡܚܒܫ ܒܪܘܚܗ ܐܒܐ ܡܫܡܫܐ · (3) ܕܡܬܪܓܡܘܢ ܐܒܗܬܐ ܢܗܘܪ ܐܢܬ · (4) ܘܢܗܪܐ ܐܠ ܕܦܬܚ ܐܘ ܠܡܫܬܒܚ ❊.

Quarti madhrash cujus hirmus apud Jacobitas est ܘܦܪܝܫܘܬܐ, apud Nestorianos ܒܬܘܠܬܗ ܕܡܪܝܐ ܒܟ, unaquæque stropha duodecim constat membris, quæ omnia sunt quinaria, excepto octavo quod est sive tertiarium sive binarium ad libitum. Ex: ܕܝܢ ܡܫܘܚܬܐ ܐܠܐ ܠܟ ܒܫܘܒܚܐ ܕܡܫܝܚܐ · ܫܘܐ ܠܡܠܟܘܬܟ ܐܘܪܐ ܕܝܢ ܡܫܝܢ ܒܟ · ܘܡܫܘܚܬܐ ܐܚܪ · ܕܒܟ ܡܫܬܡܥܢ ܐܘܪܐ · ܘܒܟ ܠܘܒܢ ܡܢ ܦܪܨܘܦ ܟܠܡܐ · ܐܘ ܪܒܐ ܕܐܡܪܘ · ܘܡܢܢ ܕܡܠܟܘܬܗ · ܥܠ ܟܠ ܠܟ ܟܠܐ ܡܫܝܚܐ · ܕܐܠܗܐ ܟܠܐ ܡܪܝܐ ❊

Quinti madhrash cujus titulus apud Jacobitas est ܐܒܐ ܒܒܪܗ ܗܘܐ, apud Nestorianos autem ܒܡܫܝܚܐ ܦܬܝܚܢ, singulæ strophæ sex membris constant, quæ sunt septenaria, exceptis tertio et quarto quæ sunt quinaria. Ex :

ܡܛܪܐ ܐܣܩܬ ܟܕ ܡܬܚܬܐ܃ ܒܢܘܢ ܣܡܠܐ ܕܢܣܦܘܢ ܒܬܫܒܘܚܬܐ܃
ܘܟܕ ܐܘܕܐ ܛܒܬܐ܃ ܘܓܠܐ ܒܣܡܝܐ ܡܠܟܐ܃ ܘܗܘܘ ܐܡܝܪܐ ܣܗܕܐ܃
ܘܒܟܘܣܣܗ ܠܐܟܪܐ ܕܓܢ ܀

Ex genere ܩܠܐ primo mentionem meretur qal celeberrimum cujus hirmus est apud Jacobitas ܩܘܩܝܐ, apud Nestorianos ܕܢܝܚ ܚܘܠܡܢܐ, et apud Maronitas ܦܫܝܛܬܐ. Ejus stropha sex componitur partibus, quarum prima, secunda, quinta et sexta habent singulæ duo membra, primum septenarium, secundum sive quaternum sive quinarium, tertia autem pars et quarta constant singulæ duobus membris quaternis. Ex: (1) ܐܠܗܐ ܕܫܡܝܐ (7) · ܐܬܓܠܝܬܘܢ
ܫܘܪܐ (5) · (2) ܕܐܬܓܠܝ ܠܟܠ ܥܒܕܘܗܝ (7) · ܘܫܘܪܐ ܒܗܘܢ
ܡܪܝܐ (5) · (3) ܒܝܘܡ ܟܢܫܗ (4) · ܘܐܠܗܐ ܕܐܬܓܠܝ (5) · (4) ܐܝܟ
ܕܐܬܓܠܝ (4) · ܕܒܪܐ ܒܪ ܐܢܫ (5) · (5) ܠܟܠܢ ܥܢܝܐ ܕܫܡܝܐ (7) ·
ܟܕ ܗܘ ܕܝܢܐ (4) · (6) ܕܐܬܓܠܝ ܕܫܡܝܐ ܒܬܫܒܘܚܬܐ (7) ·
(5) ܫܘܒܚܐ ܠܡܠܟܐ ܀

Alterum qal dicitur ܡܪܗ ܕܪܘܚܐ. Ejus stropha quatuor componitur partibus æqualibus, quarum unaquæque habet primum membrum quaternum, alterum quinarium. Ex: (1) ܐܘܪܫܠܡ ܟܝܢܐ (4) · ܘܐܪܝܚܬ ܐܢܐ ܡܪܢ (5) · (2) ܘܐܝܟ ܟܒ ܒܢܝܐ (4) · ܕܐܬܐ ܘܟܢܫܐ (5) · (3) ܒܒܝܬ ܡܫܝܚ (4) · ܡܠܟܐ (5) · (4) ܒܪܝܟܘܬܐ ܕܐܬܐ (4) · ܢܣܒ ܟܠ ܒܢܝܐ (5) ܀ Huic qalo simile est mad^h^ras^h^ cujus hirmus est ܗܘ ܡܠܟܘܬܐ܂

Scholion — Licet poetæ non raro addere syllabam

unam membro seu pedi, quod frequentissimum est in compositionibus S. Ephræmi; ex. ܡܠܟܘܗ ܐܠܗܘܗܝ ܠܟܠ ܦܘܪܩܢܢ, ubi syllaba redundat, cum versus sit ex madhrasho cujus hirmus est ܐܘܡܢ ܡܗܝܪܐ, cujus singulæ partes debent habere primum membrum quinarium, hic autem constat sex syllabis. Item in hac stropha ܡܒܝܬ ܠܟܠܢ ܢܣܒܘܢ ܘܢܣܒܠ· ܘܡܣܬܒܥܘܢ ܣܒܥܐ ܒܟܠܗܘܢ ܘܡܣܬܒܠ· ܘܩܣܡܘܢ ܣܒܪܐ· ܟܠ ܢܣܥܘܢ· ܘܒܣܡܐ ܗܘܐ ܡܫܝܚܘܢ· ܐܪܐ ܢܘܣܦܐ quæ pertinet ad madhrashum cujus hirmus est ܗܒܠܢ ܡܪܢ ܒܢܘܣܦܐ, quartum membrum quod incipit his verbis ܘܒܣܡܐ ܗܘܐ ܡܫܝܚܘܢ quinque habet syllabas cum habere deberet quatuor. E contra, licet aliquando poetæ unam syllabam de versu minuere; ex: ܡܫܪܝܐ ܐܘܩܝܡܘܢ quod est hirmus qali cujusdam, quodque sex habet syllabas, cum metrum requirat septem.

Atque hæc sufficiant ut summaria notio viæ quam Syri in componendis carminibus poeticis persecuti sunt.



ARTICULUS VI

DE LICENTIIS POETICIS.

Poetæ Syri paucissimas habent licentias, ita ut dempto metro, nullum omnino discrimen maneat inter prosam et poesim, præter prædictas licentias paucissimas. Quarum hæc summa :

1 — Licet poetæ alaf initialis vocalem brevem quæ vulgo per errorem ut longa pronunciatur aut cum geminatione litteræ sequentis, elidere seu potius eam brevem pronunciare, ea conditione tamen ut nulla difficultas pronunciationis ex hac elisione enascatur. Ex : ܐܒܐ ܢܘܗܪܐ pro ܐܒܐ ܢܘܗܪܐ, ܐܢܐ ܠܡܠܟܐ pro ܐܢܐ ܠܡܠܟܐ, ܐܫܬܡܫ ܢܫܬܡܫܘܢ pro ܐܫܬܡܫ ܢܫܬܡܫܘܢ; in duobus ultimis exemplis littera quæ sequitur alaf non deberet geminari quamquam de facto geminetur (ab Orientalibus) per errorem.

2 — Licet pariter quiescentem facere litteram jodh initialem vocali brevi motam, i. e. ejus vocalem elidere, prædicta tamen conditione. Ex: ܠܐ ܡܝܬܪܐ pro ܠܐ ܡܝܬܪܐ, ܐܢܬ ܗܘ ܡܫܝܚܐ pro ܐܢܬ ܗܘ ܡܫܝܚܐ.

3 — Licet litteram quiescentem mobilem reddere, ex. gr. litteras præformativas futuri nun et taw in verbo concavo, ut ܢܩܘܡ pro ܢܩܘܡ, ܬܪܘܡ pro ܬܪܘܡ.

4 — Licet in medio vocis ex duabus quiescentibus primam mobilem reddere si regula mhagjana id non ferret, ut ܡܫܒܚܬܐ, ܐܘܓܠܝܘܢ, pro ܡܫܒܚܬܐ, ܐܘܓܠܝܘܢ. E contra licet regulam mhagjanæ præterire, ut ܡܠܟܐ ܐܫܒܚܘ pro ܐܫܒܚܘ ܕܡܠܟܐ.

5 — Licet mobilem reddere vocalem quæ zlamam clausam sentiat, finalem litteram vocabuli quam alia quiescens sequatur, ex. gr. pes septenarius ܡܢ ܐܘܪܫܠܡ ܠܥܠܡ, ubi metrum requirit ut mim in ܐܘܪܫܠܡ moveatur per vocalem clausam propter ʿain sequens quod est

quiescens. Uno verbo ex duabus litteris quiescentibus successivis, primam licet euphoniæ causa et metri regula movere, non autem secundam. Hallucinati sunt igitur qui inter Europæos existimarunt secundam litteram quiescentem in hoc casu moveri. Adverte tamen hanc mobilitatem quiescentis non esse necessariam ideoque non licere ubi vitiatur metrum, ex. gr. in versu S. Ephræmi ܡܰܢ ܕܡܶܬܦܰܠܰܓ ܒܳܟ ܠܳܐ ܢܶܡܛܶܐ ubi habentur nun ܡܰܢ et dalath ܕܡܶܬܦܰܠܰܓ sequentis quiescentia, non licet non movere, secus deficit metrum.

6 — Licet poetæ formam nominis aut verbi mutare regulam prætereundo, ut ܚܰܕܺܝܬ pro ܚܶܕܝܰܬ a ܚܕܺܝ (*lætatus est*), ܠܳܐ ܬܶܫܒܽܘܩܶܝܢܳܢܝ pro ܠܳܐ ܬܶܫܒܩܺܝܢܳܢܝ, (*ne deseras me*), ܐܰܫܪܶܝܢܰܢ pro ܐܰܫܪܺܝܢ (*colloca nos*), ܬܶܣܒܺܝܢܳܝܗܝ pro ܬܶܣܒܺܝܢܶܝܗܝ (*capies f. eum*).



TABULA

DOCTISSIMO NECNON DESIDERATISSIMO

DOMINO

CLEMENTI JOSEPHO DAVID

ARCHIEPISCOPO SYRO DAMASIENSI

E VIVIS ANNO M DCCC XC SUBLATO

PRÆSENS OPUS

AB IPSO A PLURIBUS JAM ANNIS

EX ARABICA IN LATINAM LINGUAM TRANSLATUM

ET HACTENUS

VARIAS OB CAUSAS

TYPIS NON MANDATUM

IN GRATITUDINIS AC VENERATIONIS

TESTIMONIUM

LIBENTER DEDICAMUS